BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
4
B
40
NAPOLI

4.
B.
40.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS
DE OCTAVIS FESTORUM
QUÆ IN ECCLESIA UNIVERSALI CELEBRANTUR,
IN DUOS TOMOS DISTRIBUTUS,

AUCTORE
JO: BAPTISTA PITTONO
SACERDOTE VENETO.

TOMUS SECUNDUS.

DE OCTAVIS COMMUNIBUS.



EXCUDEBAT VENETIIS
Leonardus Pittonus Auctoris Pater.
ANNO MDCCXXXIX.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Ex Legato D. Ioan: Imparati

Digitized by Google

DE
OCTAVA COMMUNI
ASCENSIONIS DOMINI.
CAPUT PRIMUM.

PRima ex communibus, ſeu non privilegiatis Octavis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, ſe offert illa Aſcenſionis Domini. Hæc revera juxta ſeriem hiſtoricam geſtorum Chriſti, ponenda erat immediatè ante Octavam Pentecoſtes: ſed cùm intentio noſtra fuerit non intermiſcere Octavis privilegiatis communes, nec communibus Privilegiatas, ſed illas & iſtas ſeparatim collocare, ideo tanquam primam ex communibus, à ſuo proprio loco deſumptam ad hunc cenſuimus transferre inter ſuas. Itaque Feſtum Aſcenſionis Domini ſolemniter celebratur in Eccleſia Dei, completo numero Dierum quadrageſimo, de quo idcircò dicitur Act. 1. Apoſt. *Per dies quadraginta apparens eis.* Quia verò in Monte ſecuta eſt Chriſti exaltatio ad Crucem, etiam in Monte voluit ſuam exaltationem ad Solium: ſiquidem ſuæ Aſcenſioni elegit Montem Oliveti, qui vicinus eſt Monti Calvario. Hæc eſt quidem admirabilis Aſcenſio: nam elevatus eſt, non ſubitò raptus, ut Elias & Henoch, non furtim ſublatus, ſed præſentibus Diſcipulis, hoc eſt, non ſolùm Apoſtolis, verùm etiam nonnullis aliis Fidelibus, quos ſecum duxit: & non ſolùm præſentibus, ſed te- 623

ſtibus, de viſu, unde *videntibus illis elevatus eſt*, ait S. Bernardus *de grad. humil. cap.* 1. ergo à ſe, ſuique virtute per dotem agilitatis: idque ſenſim & pedetentim, ut diutiùs paſceret oculos Diſcipulorum intuentium; & ex illa tam clara elevatione deſiderium veniendi ad ipſum excitaretur in eis. *Nubes* autem, *quæ ſuſcepit eum ab oculis eorum*, ſuſcepit eum in alto, quando oculi eorum non poterant clarè eum videre, & nihilominus adhuc aſpiciebant, & ideò dicitur: *Cùmque intuerentur in Cœlum euntem illum*, hoc eſt, in ultimo confinio aeris, in quo poterant videre & ideo S. Auguſtinus ſerm. 7. de Aſcenſ. *Stabant Apoſtoli, & aſcendentem Dominum oculis ſequebantur: & licèt ad deducendum Salvatorem viſio humana defecerit, Fidei devotio non defecit: uſque ad nubes enim Chriſtum deducunt oculis, uſque ad Cœlos autem Chriſtum Fidei devotione comitantur*. In actu autem Aſcenſionis, *elevatis manibus, benedixit eis*: elevavit enim manus, ut ſuos Patri offerret; & ut inimicos, altè retracta manu, percuteret: quapropter S. Bernardus *homil.* 2. *ſuper Miſſus eſt*, licèt hoc loco non loquatur de Aſcenſione, loquitur tamen ad rem noſtram: *ut & ſuis ſuavis, & hoſtibus fortis appareret*. Benedixit autem eis, ut eos contra hoſtem muniret, & bonis cœleſtibus augeret.

624 Quod autem per Regalem Prophetam dicitur: *Aſcendit in voce tubæ*, hoc refertur ad ſonum Prædicationis Evangelicæ, qui ſonus fuit eis injunctus, & ideo ſtatim poſt Aſcenſionem Domini dicitur in Evangelio: *illi autem profecti prædicaverunt ubique*. Denique quoad ea, quæ proſequitur dictus Propheta: *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit Dona hominibus*, hoc intelligitur de captivis captivitate inferni, quos ſecum poſt mortem eduxit, è Limbo Patrum, & quos in illa viſibili Chriſti Aſcenſione non viderunt Diſcipuli aſpicientes: Dona verò dedit, per miſſionem Spiritus Sancti, in cujus invocatione

idcircò

Digitized by Google

Idcircò unico ſeptem Donorum vocabulo eum nuncúpat Eccleſia Septiformem, ſcilicet in Hymno: *Tu ſeptiformis munere:* & in Sequentia Miſſæ: *Da tuis Fidelibus in te confidentibus Sacrum Septenarium*. Eſt autem de Fide, Chriſtum, non tantùm quà Deus eſt, ſed etiam, quà Homo, aſcendiſſe ad ſolium Dei Patris, ibique ad dexteram ejus, quaſi Dominum Cœli, & Terræ, Angelorum, & Hominum, conſidere: id enim docet Apoſtolus *ad Coloſſen. cap.* 3. *verſ.* 1. ut ex eo tradit Cornelius à Lapide *in Commentar. in Acta Apoſtolor. cap.* 1. *verſ.* 9. Quia enim Chriſtus ſe in Cruce infra omnes creaturas humiliavit, hinc & meruit in ſua Aſcenſione ſuper omnes exaltari, ut habetur *ad Philippen. cap.* 2. *verſ.* 10. cui per dotem ſubtilitatis Cœlos penetranti, quaſi Domino Regique ſuo, occurrit tota Cœleſtis Aula, omneſque omninò Angeli, ut docuit S. Cyprianus, Epiphanius Nyſſenus *ſerm. de Aſcenſ.* ac triumphantes tunc cecinerunt illud Regalis Prophetæ: *Attollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.*

Sed & notandum eſt hoc proprio loco, quòd de Chriſto dicitur Aſcenſio, ad differentiam Aſſumptionis, & Evolationis: ſiquidem Aſcenſio ad Chriſtum pertinet, quoniam Aſcenſio fit propria virtute Aſcendentis, unde Pſalm. 20. verſ. ult. *Exaltare, Domine, in virtute tua*. Aſſumptio verò pertinet ad Beatam Virginem, quia Aſſumptio fit virtute Chriſti aſſumentis, qui Filius ſpecialiter obſequitur Matri. Evolatio denique pertinet ad Sanctos, quia evolatio fit miniſterio Angelorum. Præterquam quòd locus Evolantium eſt diſtinctio Chororum; locus verò Aſſumptæ Virginis eſt ſuper Choros Angelorum: at locus Chriſti aſcendentis eſt ſuper locum Aſſumptæ Virginis, ut habet Michael Timotheus *in Div. Offic. tr.* 3. *q.* 118. *pag. mihi* 91. Itaque Chriſtus *aſcendit ſuper Cœlos Cœlorum ad Orientem*, hoc eſt, uſque ad Filium ſibi 625

perſonaliter unitum, non utique ſecundùm locum, ſed ſecundùm humanæ naturæ immutationem: acceſſit gloria, non deceſſit natura: abſorpta eſt Paſſibilitas, ſucceſſit impaſſibilitas; periit mortalitas, acquiſita eſt carni Verbi coeternitas, ut benè Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib. 9. cap. 8. pag. mihi* 614. Aſcendit igitur Jeſus, ut impleret omnia, & ideò ejus Aſcenſio appellatur ab Auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum, *Finis Oeconomiæ*, id eſt, *Incarnationis Jeſu Chriſti*, *& Gloria ejus complementum*. Licèt enim ejus Anima nunquam non prædita fuerit Gloria, eamque Corpus quoque adeptus ſit, dum prodiit è Tumulo, aliquid tamen cumulatiſſimæ Servatoris Gloriæ deeſſe videbatur, antequàm in Cœlum reverteretur; unde dixit Diſcipulis: *Expedit vobis, ut ego vadam; ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*, in cujus miſſione completa eſt ejus Gloria: & ideò S. Auguſtinus ait: *Quantus Deus, qui dat Deum!* ut ex eo tradit Ludovicus Thomaſſinus *de Dier. Feſtor. celebrat. lib. 2. cap.* 17.

Itaque per hanc admirabilem Aſcenſionem 626
Chriſtus adſtruxit Fidem ſuæ Divinitatis, dicente Auguſtino ſerm. 6. de Aſcenſ. *In die illa Nativitatis verè Hominem ſe eſſe confeſſus eſt; In hac verò Deum ſe eſſe in Aſcenſione teſtatus eſt: In illa gratiam digniſſima Humanitatis, in hac die fidem manifeſtiſſime Divinitatis aſſeruit*. Aſcendit igitur Jeſus, *& ſedet à dextris Dei*; ad illam ſcilicet dexteram Dei, de qua prænunciavit Regalis Propheta, Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis*; quàm dexteram de ſe eſſe dictam ipſe Chriſtus teſtatus eſt, quando congregatis Phariſæis, interrogavit eos, dicens: *Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus Filius eſt?* Et reſponſo accepto, quod erat Filius David; Ait illis: *Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus eſt?* Er-

go

go David intellexit de Deo Patre dicente ad Deum Filium, *ſede à dextris meis*. Quia verò in hodierna Officii & Miſſæ Oratione rogamus Deum Patrem, ut ſicuti Aſcenſionem Dei Filii credimus, ita concedat, ut quoque mente in Cœleſtibus habitemus: ideo S. Auguſtinus *ſerm.* 1. *de Feſto Aſcenſionis*, qui eſt 174. de tempore, ſic ait: *Quanta gloria eſt, quòd aſcendit in Cœlum! Quòd ſedet ad dexteram Patris! Totum hoc Fide tenemus, oculis cordis intuemur*. Dum autem conſtanter credimus, de vitiis noſtris ſcalam nobis facimus; ſi vitia noſtra calcamus: elevabunt nos, ſi fuerint infra nos, ut ipſe eleganter proſequitur *ſerm.* 3. *ſeu* 176. *de tempore*: & hoc modo cum Chriſto aſcendemus, & in Cœleſtibus habitabimus. Itaque præparemus nos ad tantam Solemnitatem, & corde contrito & humiliato implorantes veniam, dicamus devotè ei cum Eccleſia Catholica: *Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis*.

§. I.

De Litaniis minoribus, ſeu Rogationibus, in triduo ante Aſcenſionem Domini recitandis.

LIcèt primo intuitu videatur, Litanias minores, ſeu Rogationes, nihil habere cum Feſto Aſcenſionis: attamen, re maturè conſiderata, eas ad illud referendas eſſe indubitanter cenſemus. Hoc autem non ſolùm patet ex eò, quòd, cùm debeamus à Vigilia Aſcenſionis hoc Caput primum neceſſariò inchoare, neceſſe etiam ſit, ut in ipſa Vigilia aliquid dicatur de hujuſmodi Litaniis, de quibus differendum eſſet abſque prævia de eis cognitione: verùm etiam, quia revera per has triduanas Sanctorum invocationes, Anima noſtra orationibus munita acquirit ſibi alas, ut poſſit ad Cœlum volare, ut ſic Chriſtum aſcendentem liberè ſequi & nos valeamus: ergo hiſce tribus diebus oramus, ut poſtea cum Chriſto aſcendamus. Sic enim Chriſtus nos docuit, nam ter oravit in Horto: tribus horis pependit in Cruce: triduo jacuit in Sepulchro, ut ſic perveniret ad gloriam Reſurrectionis, & ad triumphum Aſcenſionis in Cœlum. Meritò ergo Eccleſia ante Feſtum Aſcenſionis trinam indicit nobis Rogationem: ut ter oremus cum Chriſto: tribus ferè horis, quibus durant tres Proceſſiones, Crucis mortificationem amplectamur: denique hoc triduo ad pœnitentiam deſtinato, mente deſcendamus in fætidum ſepul-

chrum noſtrorum peccatorum, quibus contritione deletis, reſurgimus, ut tandem cum Chriſto aſcendere mereamur ad Cœlum: ita, & egregiè Paulus Maria Quarti *de Proceſſ. tract.* 1. *ſect.* 2. *punct.* 10. *verſ. Secundò*, *pag.* 27. *juxta edit. Venet. de Anno* 1727.

Quia verò in his Proceſſionibus dicuntur Lita- 628
niæ, ideò ſciendum eſt, quòd hoc nomen à Græcis eſt ſumptium, & propriè ſonat humilem miſerorum ad genua procumbentium ſupplicationem: unde in eorum Liturgiis, & in Ordine Romano, formula illa Precationis, *Kyrie eleiſon*, id eſt, *Domine miſerere*, quam Eccleſia, veluti de profundis clamans ad Dominum, ejus miſericordiam obnixè implorat, propria & ſingulari appellatione *Litania* dicitur, utpotè habens in ſe neſcio quid grandioris affectus & compunctionis. Inde factum eſt, ut catenæ illæ Precatiuncularum longo ordine inter ſe connexarum, quibus Eccleſia in Proceſſionibus ad invocandam Sanctorum interceſſionem, *Litaniæ* quoque nominarentur, quia ſolemni more ab illa ſupplicatione, *Kyrie eleiſon*, inchoantur & in eandem deſinunt, & ideò vulgari idiomate apud Gallos *Kyriellarum* appellationem ſortitæ ſunt, ait Jacobus Eveillon Canonicus Eccleſiæ Andegavenſis in ſuo Libro *de Proceſſ. Eccleſiaſt. capitul.* 30. *pagin. mihi* 298. Litaniam autem eſſe vocabulum Græcum, ex recentioribus dicit eruditiſſimus Amicus meus Joannes Doctor de Comitibus in ſua Diſſertatiuncula *de Litaniis minoribus & majoribus*, quam, ne ſeparatim edita deperderetur, volui reimpreſſam Venetiis in additione ad Joannem Mariam Turrinum *in ſuo Directorio Sacrificantium*: Sic igitur initio eleganter habet: *Noſtri, qui Grajam vocem ſecuti ſunt, Supplicationes ſeu Rogationes appellant* Litanias, non Lætania *cum diphtongo, ut quidem perperam & ineptè ſcribunt*: Lętania *enim cum diphtongo, à verbo* Lętor, *feſtivos dies, non ſupplicationes ſignificat*.

Quoad harum Litaniarum, ſeu Supplicationum, 62
vel

vel Rogationum inſtitutionem, quæ fiunt hiſce tribus diebus ante Aſcenſionem Domini, unanimes & concordes aſſerunt Auctores fuiſſe S. Mamertum Viennæ in Gallia Epiſcopum: Ita ex antiquis Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 9. *capit.* 5. *pagin. mihi* 591. Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. libr.* 6. *capitul.* 102. *ſub numer.* 4. Michael Timotheus *in Divin. Offic. tract.* 3. *quaſt.* 110. Ex recentioribus verò Bartholomæus Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *titul.* 11. *ſub num.* 11. Michael Bauldryus *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par.* 4. *capitul.* 12. *ſub num.* 14. *pagin.* 266. Paulus Maria Quarti *de Proceſſ. Litan. tract.* 1. *ſect.* 2. *punct.* 10. *pagin.* 27. Jacobus Eveillon *de Proceſſ. Eccleſ. capit.* 21. *pag.* 234. Et noviſſimè idem ſentiunt Joannes de Comitibus *de Litan. majorib. & minorib.* Hieronymus Baruffaldus *in Comment. ad Rituale Roman. tit.* 79. *ſub numer.* 54. *pagin.* 333. ac denique Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. libr.* 2. *cap.* 74. *pagin.* 343. Unus tamen inter tot aſſentientes diſſentit Baronius, tradens, quòd dictus S. Mamertus Viennæ Allobragum; ſeu in Gallia Narbonenſi Epiſcopus (in qua Civitate Pontius Pilatus ſe propria manu interfecit; teſte Euſebio *lib.* 2. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 6.) non tam inſtituit, quàm reſtituit, & in meliorem formam reduxit Sacras Rogationes: unde in Martyrologio Romano ſub die undecima Maii in elogio pro eodem S. Mamerto ponit verbum *reſtituit*, & in Notationibus ſuis ſub littera *h.* ait, ſic poſitum, ut intelligas longè ante S. Mamertum Rogationes fuiſſe ſolitas celebrari. Sed in editione cum dicto Baronio Venetiis facta anno 1611. ubi dicitur *reſtituit*, in margine directè oppoſita legitur nota *inſtituit*. Et reverà Martyrologium Romanum poſtmodùm ſæpiſſimè impreſſum ſine dictis Notationibus, ſic habet: *Viennæ S. Mamerti Epiſcopi, qui ob imminentem cladem ſolemnes ante Aſcenſionem Domini triduanas Litanias in ea Urbe inſtituit* (non reſtituit) *quem ritum poſtea univerſalis Eccleſia recipiens comprobavit*.

Non

Non fuit tamen inſtitutio Litaniarum primò prima, cùm earum uſus ſit antiquiſſimus, ſed fuit inſtitutio pro hiſce tribus diebus ante Aſcenſionem Domini. Cauſam verò Inſtitutionis hujuſmodi omnes conveniunt Auctores fuiſſe ob Luporum turmatim illas Regiones infeſtantium incurſionem, aliarumque malarum & omnia devaſtantium Beſtiarum eruptionem, ac etiam horribilem magnorum Terremotuum frequentiam: Has igitur Preces Gallia ad univerſam Eccleſiam tranſmiſit: Et quia ipſe Chriſtus dixit; *Petite, & accipietis*, idcircò in hiſce Litaniis petimus, ut nos liberet ab omni malo, & ab omni peccato, ut à peccatis ſoluti, poſſimus in Cœlum aſcendere.

Ut autem aliquid dicamus de ratione, propter 630
quam iſtæ triduanæ Rogationum Litaniæ nuncupentur *Minores*, variæ ſunt Auctorum quoad hoc ſententiæ. Alii enim tenent, quod tali nomine vocentur, quia inſtitutæ ſunt à minori Pontifice S. Mamerto Epiſcopo, ad differentiam majorum, quæ ſic appellantur, quia à majori ſeu Summo Pontifice S. Gregorio Magno originem trahunt. Alii verò arbitrantur, *Minores* dici à Loco minori, nam S. Mamertus inſtituit Viennæ Allobragum; Sanctus verò Gregorius inſtituit Romæ, quæ eſt Metropolis Eccleſiaſtica, & major Civitas. Alii quoque volunt, quòd ideò nominentur *Minores*, quia dum Romæ recitabantur, Populus ad Templum tunc Sanctæ Mariæ Minoris, nunc verò S. Franciſcæ Romanæ, progrediebatur: illæ verò S. Gregorii ad ſeptem Eccleſias, ut infrà dicetur, recitabantur. Alii denique ſentiunt nominari *Minores*, quia hæ Litaniæ minori ſolemnitate celebrabantur, minori Eccleſiaſticorum & Sæcularium concurſu, minori apparatu, minori luminum copia, quàm Litaniæ *Majores*, quæ Septiformes etiam vocabantur, quia Populus in ſeptem partes diviſus à S. Gregorio fuerat ad effundendas publicas preces, dictique ſeptem ordines diſtributi erant ad certas Eccleſias, de quibus Gavantus

tom. 1. *part.* 4. *titul.* 11. *ſub numer.* 8. Licèt autem, quæ celebrantur hoc triduo Litaniæ, *Minores* dicantur, ſunt tamen Majoribus antiquiores: & dum variam Auctores afferant de hujuſmodi antiquitate rationem, unam tamen ex ipſis infero omnium clariſſimam: ſiquidem S. Mamertus Epiſcopus, ſive floruerit circa Annum Domini 452. ut aſſerit Quartus *de Proceſſ. tract.* 1. *ſect.* 2. *punct.* 10. vel vixerit circa Annum 474. ut ſenſit Joannes de Comitibus *de Litan. major. & minor.* certè uterque Annus eſt ante S. Gregorium Magnum, qui creatus eſt anno 590. ſub die 3. Novembris, juxta Cherubinum *in Bullar. Roman. tom.* 1.

Unum denique ad Eccleſiaſticorum eruditionem reſtat eruendum ex priſca Eccleſiarum conſuetudine circa hoc triduum Litaniarum, nempè Jejunium, quod à S. Mamerto indictum, & poſtmodùm ab aliis Epiſcopis receptum fuiſſe; teſtatur Gregorius Turonenſis *libr.* 2. *Hiſtor. capit.* 34. ubi reverà ſic habet: *Appropinquante Aſcenſione, indixit Populis ſuis Jejunium, & orandi modum, ac per diverſas Provincias diſperſa fama facti, cunctos Sacerdotes imitari commonuit.* De hoc autem Jejunio hiſce tribus diebus antiquitùs ſervato mentionem faciunt Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. libr.* 6. *capitul.* 101. *ſub num.* 10. Michael Timotheus *in Divin. Offic. tract.* 3. *quæſt.* 108. Andreas Piſcara *in Prax. Cæremoniar. libr.* 3. *ſect.* 9. *capitul.* 6. *ſub numer.* 1. *pagin.* 433. ac Jacobus Eveillon *de Proceſſ. Eccleſ. capitul.* 21. *pagin. mihi* 237. ubi refert Concilium Aurelianenſe habitum anno 507. nam Canone 29. ſic habet de Litaniis, & Jejunio: *Rogationes, id eſt, Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum Jejunium in Dominica Aſcenſionis ſolemnitate ſolvatur: per quod triduum Servi & Ancillæ ab opere relaxentur, quo magis Plebs univerſa conveniat: quo triduo omnes abſtineant, & Quadrageſimalibus cibis utantur.* Dictus verò Concilii Canon Juri inſer- 631

ſer-

Tertius habetur *de conſecrat. diſt.* 3. & dimidiatum refert tanquam ad ſuam rem ſufficientem Joannes de Comitibus *in Diſſertat. de Litan. minor. & major.* & plura ſcitu digna quoad Jejunium hoc triduo olim ſervatum habet Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. libr.* 2. *capitul.* 74. *de Rogationib.* ubi tamen ait , quòd hoc Jejunium à prima Rogationum inſtitutione præſcriptum , & à dicto Concilio Aurelianenſi confirmatum , deinceps redactum fuit ad abſtinentiam carnis, quæ hodie in Gallia ſubſiſtit. Et revera in Directorio Pariſienſi *de Anno* 1699. & in altero Lugdunenſi *de Anno* 1700. quæ modò præ manibus habeo , & ſub oculos teneo , in Feria ſecunda Rogationum adnotatum legitur, *Abſtinentia à carnibus*. De hac au-
631 tem viridi obſervantia abſtinentiæ in Gallia , ait Jacobus de Vitriaco *ſerm. in Fer.* 2. *Rogat.* quòd in his Litaniis jejunare ſolebant in principio in Quadreſimalibus cibis , nunc autem pauci jejunant primis duobus diebus , niſi in caſeo , & ovis.

Sanè , cùm animadverſum ſit ex Sacris Cano- 632
nibus , Jejunia non indici toto tempore Paſchali propter lætitiam Reſurrectionis Dominicæ , ut conſtat *ex capitul. Scire debet* , *diſt.* 76. idcirco Jejunii Quadrageſimalis obſervatio non ampliùs hiſce tribus diebus eſt viridis , nec in Eccleſia Romana jubetur abſtinentia à carnibus . Igitur prætermittimus Jejunium , ut dictæ Eccleſiæ Romanæ obtemperemus , quæ hoc Paſchali tempore nullum præcipit Jejunium . Verum quidem eſt , quòd ſi quibus viſum fuerit iis diebus ex devotione jejunare , nihil vetat , ut rectè monuit Iſidorus *in capitul. Poſt Paſcha* , *diſt.* 76. hiſce præciſis verbis , videlicet : *Poſt Paſcha uſque ad Pentecoſten , licèt traditio Eccleſiarum abſtinentiæ rigorem prandiis relaxaverit ; tamen , ſi qui Monachorum , vel Clericorum jejunare cupiunt , non ſunt prohibendi* . Quapropter ubi jejunatur , retinenda eſt pia ejuſmodi conſuetudo , quæ ,

quia

quia inſtar eſt & vim habet legis, non debet, nec enim poteſt ab Epiſcopis ſeu Locorum Ordinariis legitimè abrogari, inquit de hiſce diebus Guyetus *in Heortolog. lib.* 1. *capitul.* 17. *quaſt.* 6. *in fine, pagin.* 79. *juxta edit. Venet.* Itaque antiquum jejunandi morem adhuc retinent Melitenſes Equites, ut refert Joannes de Comitibus *de Litan. minor. & major.* Ambroſiani verò jejunant quidem in Rogationibus, ſed eas transferunt poſt Aſcenſionem, ne præſente Sponſo Chriſto jejunent, juxta illud Matth. 9. *Auferetur ab eis Sponſus, & tunc jejunabunt*, ut egregiè notat Gavantus *tom.* 1. *part.* 4. *titul.* 11. *ſub numer.* 11. Hiſpanos denique Litanias ſuas poſt Pentecoſten rejeciſſe, quòd intra Quinquageſimam Paſchæ recuſarent jejunare, ſcribit Valafridus *lib. de Reb. Eccleſ. capitul.* 28. apud Jacobum Eveillon *de Proceſſ. capitul.* 21. *circa fin.*

§. II.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſecundam Rogationum.

EXpoſitis, quæ ad Eccleſiaſticam Lectorum eruditionem pertinebant circa laudabilem Litaniarum minorum inſtitutionem, priſcamque Eccleſiarum conſuetudinem in præcepta triduani Jejunii obſervantia, deveniendum modò eſt ad Sacros Ritus, qui in qualibet ex tribus diebus ſervandi ſunt, & primò quidem differendum de prima Die, quæ cæteroquin nuncupatur ſecunda Rogationum. In hac igitur Feria ſecunda, quæ eſt privilegiata, ſi Officium fit de ea, cele- 633
bratur

bratur in colore violaceo, & omnia dicuntur, ut in Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, ſcilicèt: Ad Invitatorium *Alleluja*, & Hymnus *Rex ſempiterne Cœlitum*, ſed Pſalmi ſumuntur ex Feria ſecunda in Pſalterio, & dicuntur ſub unica Antiphona *Alleluja*, & ex eodem Pſalterio legitur Verſiculus *Surrexit Chriſtus*, *&c.* ac Reſponſorium *Qui pro nobis*, *&c.* Tres verò Lectiones ſunt propriæ in hac Feria ſecunda Rogationum, cum ſuis Reſponſoriis itidem propriis; attamen in fine tertiæ Lectionis non dicitur *Te Deum*, ſed tertium Reſponſorium *Narrabo*, quod ſolet eſſe extenſum hoc loco in Breviario, aliter ſumitur ex primo Nocturno Dominicæ quintæ poſt Paſcha. Ad Laudes autem dicitur Antiphona *Alleluja*, Pſalmus verò *Dominus regnavit*, cum reliquis de Dominica in Pſalterio; Capitulum *Chriſtus reſurgens ex mortuis*, Hymnus *Aurora Cœlum purpurat*, Verſiculus *In Reſurrectione tua*, Reſponſorium *Cœli & Terræ*, ut in Feria ſecunda poſt Diminicam in Albis: deinde ad *Benedictus* ſumitur Antiphona ex Feria ſecunda Rogationum, nempè, *Petite*, *& accipietis*, & Oratio propria *Præſta*, *quæſumus*, *omnipotens Deus*, & poſtmodùm fit commemoratio Crucis, ut in dicta Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, ex quo loco ſumuntur quæ ſpectant ad reliquas Horas, ſed cum Oratione Feriæ Rogationum & ad Primam dicuntur Præces Dominicales: Si verò occurrat Feſtum ſimplex, omiſſa ad Matutinum ejus Lectione, fit in Laudibus commemoratio de eo, & poſtmodùm de Cruce.

633 Quòd ſi in hac Feria ſecunda Rogationum fiat alicubi de Die infra Octavam alicujus Sancti, quia hodie non habentur Lectiones de Scriptura, in primo Nocturno ſumuntur ex ejus Communi: at ſi fuerit Dies Octava, dicuntur ut in Feſto, ex Rubrica Breviarii *titul.* 26. *de Lect. ſub numer.* 9. niſi tamen in hac Feria ſecunda ponendum ſit Initium Epiſtolæ primæ Beati Petri Apoſtoli forſan non lectum in Dominica Præcedenti: nam ſi Do- 634

minica

minica occurrat die prima, tertia, ſexta, vel octava Maii, ſemper ejus Initium erit impeditum propter Feſtum in ea occurrens, vel SS. Philippi & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis, vel S. Joannis ante Portam Latinam, vel Apparitionis S. Michaelis Archangeli: dicta enim Feſta habent in primo Nocturno Lectiones proprias. Quodcunque Officium hodie occurrat, vel celebretur tranſlatum, etiam duplex primæ claſſis, utcunque illud ſolemne ſit, etiam Patroni Loci, etiam Titularis Eccleſiæ, legitur in eo nona Lectio de hac Feria ſecunda Rogationum, & fit ejus commemoratio in Laudibus: Si verò ſimul occurrat etiam Feſtum ſimplex, omiſſa ejus nona Lectione ad Matutinum, fit ejus commemoratio ad Laudes poſt illam hujus Feriæ, niſi Feſtum habeat ritum duplicem primæ claſſis, quia tunc etiam commemoratio dicti Feſti ſimplicis erit reticenda.

In Choro verò, ſi hodie actum ſit de hac Feria 635.
ſecunda, dicta Sexta, fit ſolemnis Proceſſio Litaniarum, in qua omnia ſervantur, quæ diximus in primo Tomo Octavarum Privilegiatarum de Litaniis majoribus occurrentibus infra Octavam Paſchæ: Cæremoniale etenim Epiſcoporum *libr.* 2. *capitul.* 32. §. 7. *pagin. mihi* 402. ſic revera habet: *In Proceſſionibus verò, & Litaniis minoribus, quæ Rogationes vocantur, eadem ſervantur, ſed aliquantò remiſſiùs: Convenit tamen in his Epiſcopum paratum cum Miniſtris intervenire, vel ſaltem cum Cappa*. Sanè ſi interveniat cum Cappa & Biretto, non inter Dignitates, ſed ſolus incedere debet, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Savonen. anno* 1628. *ſub die* 20. *Decembris*, apud Paſcuccium *in Compen. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. part.* 2. *titul. de Proceſſionibus*, *pagin.* 268. *vel* 165. *juxta edit. Roman. vel Venet.* Licèt autem dictum Cæremoniale Epiſcoporum dicat, quòd hæc Proceſſio facienda eſt *aliquantò remiſſiùs*, nomine tamen Proceſſionum Generalium comprehenduntur Rogationes, ut declaravit Sacra Congregatio

gatio

gatio Epiſcoporum & Regularium *anno* 1601. *ſub die* 12. *Martii*, teſte Gavanto *in Man. Epiſcopor. verb. Proceſſio*, *ſub num.* 15. & refert etiam Corſettus *in Prax. tract.* 1. *par.* 1. *capit.* 18. *in addit. ſub numer.* 8. & ex me tradit La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 42.

Sequitur ex ultimò dictis, quòd cùm Rogationes nuncupentur & verè ſint Proceſſiones publicæ & generales, debeant etiam Regulares intervenire: unde poteſt Epiſcopus eos compellere, ut accedant ad publicas Proceſſiones, etiam per Cenſuras, & hoc ubique ſervandum eſſe cenſuit Sacra Rituum Congregatio *in Ferrarien. anno* 1609. *ſub die* 27. *Julii*, apud Paſcuccium *loco proximè citato*, *pagin.* 266. *vel* 164. *juxta edit. Roman. vel Venet.* Ubi etiam in dicta parte ſecunda, ſub titulo *de Regularibus*, dixerat, quòd cùm Promotor Curiæ Archiepiſcopalis Tarentinæ quæſiiſſet, utrum tenerentur Fratres Minores Reformati S. Franciſci accedere ad Proceſſionem Rogationum, & an Cenſuris poſſent compelli: *Sacra Rituum Congregatio in Tarentina* 1642. *ſub die* 3. *Maii* mandavit obſervari Decreta antiqua Sacræ Congregationis Concilii, ſcilicèt, Regulares pœnis arbitrariis cogi poſſe ad interveniendum dictæ Proceſſioni, niſi docuerint de Apoſtolicis Privilegiis contrarium diſponentibus, quæ Concilio Tridentino ſint poſteriora. Quòd autem, præcedente generali indictione, teneantur dicti Regulares accedere ad Proceſſiones publicas, reſcripſit Sacra Congregatio Concilii *in una Inſularum Canaria Juriſdictionis* 1694. *ſub die* 13. *Novembris*, apud Monacellium *in Formular. Leg. Pract. par.* 4. *in ſupplemen. ad II. Tom. pagin.* 108. *ſub numer.* 443. & egomet retuli in meis noviſſimis Additionibus ad Lantuſcam *in Theatro Regular. Decreto* 46. Carmelitæ verò non poſſunt in his Rogationibus accedere ad Proceſſionem ſine Cappis albis, nec in ſolo numero duorum Religioſorum, Cruce præcedente: in publi-

636

635

cis autem generalibus Proceſſionibus monendi ſunt dicti Carmelitæ, ſive per nuncium, ſive per ſchedulam, ut ad Proceſſionem accedant ; ita enim ad prima tria Dubia reſpondit Sacra Congregatio Concilii *in Cauſa Aquen. Jurium Parochialium* 1708. *ſub die* 19. *Maii*, & poſtea iterum *in eadem Cauſa ſub die* 9. *Junii*, *ejuſdem anni*, ut habetur in ſpeciali Bullario Clementis Undecimi *part.* 3. *Conſtitut.* 3. *pagin. verò* 542. & modò reperitur etiam in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis de anno 1727. *tom.* 8. *Decreto* 1. *pagin.* 4.

In his autem triduanis Proceſſionibus poſſunt 637
deferri Sanctorum Reliquiæ, nam ex dictis in Cæremoniali Epiſcoporum, in Rogationibus eadem ſervanda ſunt, quæ in Litaniis majoribus: ſed in Litaniis majoribus permittitur portari ex uſu dictas Sanctorum Reliquias: ergo ſaltem ex conſuetudine deferri poſſunt etiam in Rogationibus. Sanè in pluribus Urbibus hoc eſſe in praxi obſervavi, & ne longus ſermo fiat de remotis meis itineribus, Cathedralis Patavina hoc habet in conſuetudine, ut pluries vidi hiſce diebus Rogationum. Ex hac Sacrarum Reliquiarum in his Proceſſionibus delatione, fortaſſe oritur, ut pleriſque in Locis pia conſuetudo invaluerit, flores & herbas ſuaveolentes in via ſpargendi, adveniente Proceſſione, de qua Baptiſta Mantuanus ſic canit *lib.* 4. *Faſtor.*

Antè triumphali Chriſtus quàm ſidera pompa
Conſcendat, Litanea minor per Rura, per Urbes
Incedit, tres manè dies pulſantibus æra
Turribus, & ſparſis paſſim cum floribus herbis.

Et ex eodem Mantuano refert Jacobus Eveillon Canonicus Andegavenſis *de Proceſſ. Eccleſ. capitul.* 21. *in fine*, *pagin. mihi* 243. Licèt autem iſtæ triduanæ Proceſſiones præcipiantur, ut propitietur Deus peccatis Populi ſui, & ab eo flagella ſuæ iracun-

iracundiæ dignetur avertere, pacemque, & aeris ſalubritatem concedere: videtur tamen, quòd ordinatæ ſint præcipuè ad impetrandam à Deo conſervationem frugum & ſegetum: unde & in eis Deum rogamus, ut fructus terræ dare, & conſervare dignetur. Ideo mos eſt in Villis, & ruſticanis Parochiis agros luſtrare, & circumeundo earum fines, ſupplicationes haſce peragere: idcircò ab ambiendis Arvis dicuntur Proceſſiones *Ambarvales*, ſeu *Arvales*, & etiam *Campeſtres*: atque tali ritu benedicuntur Agri, & aſperguntur aqua benedicta, ut benedictionis fructibus Fideles re-
637 pleantur, juxta Benedictionem, quam dedit Iſaac Filio ſuo Jacob, Geneſ. 27: *De rore Cœli, & de pinguedine Terræ det tibi Deus abundantiam*; ut optimè ait Paulus Maria Quarti *de Proceſſ. tract. 1. ſect. 2. punct. 10. pag. mihi 27*.

Revera clarè infertur, quòd præcipuè hæ Pro- 638
ceſſiones triduatæ celebrentur ad impetrandam à Deo frugum & ſegetum conſervationem, ex eo quòd fiunt Veris tempore, dum omnia Arva florent, & in viridi ſunt, ac primitias fructuum ſuorum Deo exhibendas promittunt, ut benè obſervat & notat Baruffaldus *in Commentar. ad Rituale Roman. titul. 79. ſub numer. 58.* & quid ſimile antea dixerat Michael Timotheus egregiarum Quæſtionum Eccleſiaſticarum Auctor antiquus *in Divin. Offic. tract. 3. quæſt.* 117. ubi quoad hoc ſic habet: *Quia ergò tali tempore fructus terræ, qui adhuc in teneritate vel flore ſunt, pluribus modis facilè corrumpi ſolent: ideo hoc tempore per Litanias Deum rogamus, ut talia à nobis avertat, & ab aeris intemperie nos eripiat & defendat: ſuper hoc patrocinia Sanctorum potiſſimùm & generaliter implorantes*. Etiam ex recentioribus ferè noviſſimus id ipſum dicit Vir eruditus Grancolas Auctor Gallus *in Commentar. ad Breviar. Roman. libr. 2. capitul. 74. de Rogat. verſ. Jejunium*, *pagin.* 344. ubi ex Concilio Colonienſi de Anno 1536. rationem tradit ſequentem, videlicet: *Cùm Feſtum hoc in Ver-*

Digitized by Google

num incidat tempus, quo plerumque fructus terræ florentes, periculo ſunt obnoxii, per hujuſmodi Preces Dei ira placanda eſt, & ſuper terræ fruges Benedictio petenda: ac proinde iſtis diebus Proceſſiones Campeſtres inſtitutæ ſunt. Itaque Deum rogamus, ut qui dat pluviam temporibus ſuis, & aeris ſerenitatem concedit, tribuat nobis ſupplicantibus & pluviam, quam opportuno tempore Elias precibus obtinuit: & aeris ſerenitatem, quam ipſe orando eſt conſecutus, & terra dedit fructum ſuum.

Cæterùm, ut redeamus ad Ritus, hæ triduanæ Litaniæ non duplicantur, ſicuti duplicandas eſſe in Litaniis majoribus diximus *tom. 1. infrà Oct. Paſchæ*: & hoc etiam ad diſtinctionem earum, quia majores ſunt, iſtæ minores. Verum quidem eſt, quòd ſi Proceſſio ſit longior, duplicandas eſſe cenſet Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. capitul.* 12. *ſub numer.* 14. *pagin.* 266. Melior certè videtur duplicatio in longiori Proceſſionis itinere, quàm earum reiteratio: ceſſante verò ratione longioris viç, debet ceſſare duplicatio: Sed quoad hoc, ſtandum eſſe conſuetudini Locorum, habita quoque ratione longioris aut brevioris viæ, ait Gavantus *tom. 2. ſect. 6. capitul. 6. ſub numer.* 5. ubi tamen addit, quòd repetitio eſt propria Sabbati Sancti, & Pentecoſtes. Qui autem non interſunt Proceſſioni, tenentur recitare Litanias privatim, & quidem ſub pœna lethalis culpæ: præceptum etenim illas recitandi in omnes, qui ſacris Ordinibus ſunt initiati, tam in Choro, quàm extra Chorum à temporibus uſque Leonis Tertii tranſmiſſum eſt, quamobrem cùm illud in Eccleſia ſemper ſervatum fuerit, juxta communiorem Doctorum ſententiam obligat ſub culpa non levi, ut ait Joannes de Comitibus *Diſſertatiun. de Litan. minor. & major.* Deinde qui laudabilem habet conſuetudinem recitandi Veſperi Matutinum cum Laudibus, poteſt etiam ſtatim recitare hoc triduo Litanias, ut de Litaniis majoribus diximus *dicto tom. 1. infra Oct. Paſchæ*.

638

Digitized by Google

Quia verò hæ Proceſſiones non fiebant ſine Miſ- 640
ſa, ut videre eſt in Sacramentario Gregoriano, laudabilis idcircò priſca illa Eccleſiæ conſuetudo ad nos uſque devenit. Itaque celebrata Litaniarum Proceſſione, ſi Officium fuit de hac Feria ſecunda, cantatur immediatè Miſſa de Rogationibus in colore violaceo, ſine *Gloria in excelſis*, cum Orationibus ut in Miſſali, nempè ſecunda *Concede*, & tertia *Eccleſia*, vel *pro Papa*; & quoad ultimam *pro Papa*, vide quæ diximus *tom.* 1. *cap.* 3.
638 §. 11. *pag.* 310. cùm locuti ſumus de Feria quarta infra Octavam Paſchæ. Non dicitur *Credo*, Præfactio tamen erit Paſchalis, tanquàm de Tempore. Quòd ſi occurrat Feſtum ſimplex, ſecunda Oratio erit de eo, & tertia *Concede*. Si verò alicubi occurrat Dies infra Octavam, adhuc Miſſa erit de Rogationibus, cum ſecunda Oratione de Die infra Octavam, & tertia *Concede*: & ſi incidat ſimul Feſtum ſimplex, ſecunda Oratio dicetur de Die infra Octavam, tertia verò de ſimplici: hoc autem eſt juxta Rubricam Miſſalis *tit.* 3. *de Fer. & Vigil. ſub num.* 2. ubi hæc Feria ſecunda Rogationum gaudet privilegio Vigiliarum & Feriarum quatuor Temporum infra Octavas occurrentium. Et hoc quidem ſic ſervandum, ſi Officium fuerit de eadem Feria ſecunda, vel alicubi de Die infra Octavam.

Attamen ſi celebratum ſit Officium de Feſto no- 641
vem Lectionum, ſive ſit occurrens ſive tranſlatum, cujuſcunque ritus & ſolemnitatis, Miſſæ privatæ erunt de eodem Feſto, cum commemoratione Rogationum, & in earum fine legetur Evangelium hujus Feriæ. In Cathedralibus tamen & Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, dicuntur, id eſt, cantantur duæ Miſſæ: una quidem de Feſto poſt Tertiam in colore ei conveniente: deinde dicta Nona fit Proceſſio Litaniarum, & poſt Proceſſionem cantatur altera Miſſa de Rogationibus in colore violaceo, ſine *Credo*, licèt Feſtum admitteret, & in neutra ea-

rum fit commemoratio alterius: ita dicta Rubrica *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 1. & altera Rubrica *titul.* 7. *de Commemor. ſub num.* 2. Dictæ autem Rubricæ circa Horam cantandi miſſas in Feriis Rogationum, in quibus occurrit aliquod Feſtum duplex vel ſemiduplex, omninò ſervandæ ſunt, ita ut non liceat poſt Primam celebrare Miſſam Rogationum, ut ad primum Dubium reſpondit Sacra Congregatio Rituum *in una Congregationis Camaldulenſis* 1701. *ſub die* 22. *Januarii*, ex Folio manuſcripto, quod ego Domi aſſervo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii. In Eccleſia autem nec Cathedrali, nec Collegiata, ſed minori, in qua non ſolent cantari duæ Miſſæ, ſi unica cantetur, etiamſi fiat Officium de Feſto duplici vel ſemiduplici, ea debet eſſe de Rogationibus, ut bis reſolvit Sacra Rituum Congregatio, ſcilicet, *anno* 1603. *ſub die* 23. *Maii*, & poſtmodùm meis temporibus *in una Galliarum anno* 1693. *ſub die* 19. *Januarii*: & quamvis dicta duo Decreta loquantur de Feſto S. Marci, à ſimili tamen infertur ad has Rogationes, cùm in utroque caſu eadem ſit ratio. Cæterùm eſt in Epiſcopi facultate facere etiam in Eccleſiis Regularium cantari Miſſas de Rogationibus per ſuos Capellanos, ut reſpondit eadem Sacra Rituum Congregatio *in Firmana anno* 1603. *ſub die* 25. *Januarii*, teſte oculato Patre Merati in eruditis Additionibus ad Gavantum *to.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub num.* 13. & 507.

Non poteſt autem omitti altera ex duabus Miſſis cantandis, ob celebrationem Capituli Canonicorum, prout decrevit Sacra Rituum Congregatio, *anno* 1626. *ſub die* 16. *Maii*, apud Gavantum *tom.* 1. *par.* 3. *tit.* 11. *ſub numer. ibid.* 11. Cùm verò dictæ duæ Miſſæ, quæ, occurrente Feſto novem Lectionum in Feriis Rogationum, cantari debent, enſeantur & verè ſint Conventuales, ambæ ſunt per Celebrantes neceſſariò applicandæ: Illis enim 642

die.

diebus, in quibus ſecundùm Rubricas plures Miſſæ in Cathedralibus & Collegiatis ſunt decantandæ, omnes applicandæ ſunt, ſive duæ occurrant, ſive etiam tres, quacunque conſuetudine contraria non obſtante, ut ad ſextum Dubium reſpondit Sacra Congregatio Concilii *in una Burgi S. Donnini* 1716. *ſub die* 16. *Maii*, apud Braſchium *in Promptuario Synodali*, *capitul.* 80. *ſub numer.* 9. In dictis enim Eccleſiis Miſſas Conventuales applicandas eſſe pro Benefactoribus, non obſtante tenuitate reddituum, & contraria conſuetudine etiam immemorabili, iterum declaravit eadem Sacra Concilii Congregatio *in Camerinen. pro Collegiata S. Maria de Terra S. Geneſii* 1705. *ſub die* 6. *Junii*, ut refert Monacellius *in Formular. Leg. Pract. par.* 4. *in Supplemen ad I. Tom. pagin.* 34. *ſub numer.* 234. Denique, cùm Archipresbyter, & Canonici de Oppido Novellariæ ſupplicarent declarari, an teneantur applicare Miſſas Conventuales pro Benefactoribus? *Affirmativè, & ampliùs Cauſa non proponatur*, reſpondit eadem Sacra Congregatio Concilii *in Regien. ad undecimum Dubium* 1719. *ſub die* 5. *Auguſti*, ut habet Urſaya, qui in hac Cauſa ſcripſit, *Diſceptat. Eccleſiaſt. tom.* 3. *part.* 2. *diſceptat.* 23. *ſub numer.* 69. *&* 86. ſunt tamen cantandæ dictæ duæ Miſſæ ſub mortali, quando ratione Feſti & Feriæ occurrunt celebrari: Quando verò omittitur Miſſa Conventualis, omnes illi peccant, qui ſunt in cauſa ut non celebretur: quia quando omiſſio eſt peccaminoſa, qui eſt cauſa omiſſionis, eſt cauſa peccati, ut pluribus relatis tenet & pro-
642 bat Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 2. *quæſt.* 894. *ſub numer.* 3. *&* 4. & iterum *quæſt.* 898. *ſub num.* 1. *& ſeqq.*

Quia verò ad Nonam incluſivè terminat hæc 643
Feria ſecunda Rogationum, ideo Veſperæ hodiernæ ſunt de Feria Paſchali, Pſalmus autem *Dilexi*, cum reliquis de Feria ſecunda in Pſalterio, & dicuntur ſub una Antiphona *Alleluja*. Capitulum tamen, Hymnus, Verſiculus, & Re-

ſponſorium ſumuntur ex Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis: ſed ad Magnificat Antiphona eſt propria Feriæ hodiernæ Paſchalis, videlicet. *Ipſe enim Pater*, cum Oratione de Dominica quinta poſt Paſcha, nempè, *Deus, à quo bona cuncta procedunt*, deinde fit commemoratio Crucis, & ad Completorium dicuntur Preces Dominicales. Ita tamen ordinantur Veſperæ, ſi hodie nullum factum eſt Officium novem Lectionum, & cras in Feria tertia agendum ſit de Feria Paſchali: nam ſi craſtina die occurrat & celebretur Feſtum Simplex, Veſperæ hodiernæ uſque ad Capitulum excluſivè dicuntur ut ſupra: Capitulum verò erit de Feſto Simplici, ut in ejus Communi, ex quo loco ſumentur Hymnus, Verſiculus, Reſponſorium, & etiam Oratio, niſi ſit propria: deinde fit commemoratio de Cruce, non verò Feriæ Paſchalis cum Precibus tamen Dominicalibus ad Completorium. At ſi hodie fiat alicubi de Die infra Octavam, & cras de eadem Octava ſit Officium, Veſperæ hodiernæ dicuntur, ut in ſecundis Veſperis Feſti Octavam habentis, juxta Rubricam Breviarii *tit. 7. de Octavis*, *ſub num. 5.* Si verò hodie fiat de Feſto novem Lectionum, & cras ſimiliter, regulentur Veſperæ juxta Rubricas, attenta utriuſque ritûs qualitate, ac etiam dignitate majori, ſi ſit attendenda.

§. III.

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam tertiam Rogationum.

HÆc Feria tertia in Rogationibus non eſt privilegiata, & ideo Officium eſt de Feria Paſchali in colore albo. Ad Matutinum dicitur Invitatorium, & Hymnus, ut in Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, ſed Pſalmus *Dixi: Cuſtodiam vias meas*, cum reliquis de Feria tertia in Pſalterio, & dicuntur ſub unica Antiphona *Alleluja*, & ex eodem Pſalterio ſumitur Verſiculus *Surrexit Dominus, &c.* ac Reſponſorium *Et apparuit, &c.* Tres tamen Lectiones ſunt propriæ de Epiſtola prima Beati Petri Apoſtoli, cum ſuis Reſponſoriis itidem propriis, ſed juxta ritum hujuſmodi Feriarum Paſchalium, in fine tertiæ Lectionis dicitur *Te Deum* ob lætitiam hujus Temporis tertium Reſponſorium excludentis. Ad Laudes omnia, ut in dicta Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, ſed ad Benedictus Antiphona eſt propria, ſcilicet, *Oportebat pati Chriſtum*, cum Oratione de Dominica quinta poſt Paſcha, nempè, *Deus, à quo bona cuncta procedunt*, & cum commemoratione Crucis. Ad Primam dicuntur Preces Dominicales, & ad reliquas Horas, ut in eadem Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, cum Oratione ut ſupra. At ſi in hac Feria tertia Rogationum occurrat Feſtum Simplex, docet hodierna Rubrica, ut Officium fiat de eo, & celebratur juxta Rubricam *de Offic. Simpl. tit. 3. ſub num. 4.* & alteram *de Lection. tit. 26. ſub num. itid. 4.* cum reliquis ex 644

ejus

ejus Communi, ſed ſub ritu Paſchali. Ad Laudes non fit commemoratio hujus Feriæ tertiæ Rogationum, ſed tantùm de Cruce, cum Precibus Dominicalibus ad Primam, & cum reliquis uſque ad Nonam incluſivè, ut in eodem Communi: Quoad Feſta verò novem Lectionum, vel occurrentia vel tranſlata, quæ hodie celebrari poſſunt, ſerventur Rubricæ.

Quoad tamen Miſſam in hac Feria tertia Rogationum, diſcordat hodie ab Officio: eſt enim de Rogationibus in colore violaceo, & non fit commemoratio de Officio feriali, quod eſt peculiare in hac die, ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *ſub num.* 13. ſed nil mirum, ſi in Miſſa non fiat dicta Officii ferialis commemoratio, quam Rubrica excludit ab Officio de Feſto ſimplici, ut ſupra dictum eſt. In hac Miſſa de Rogationibus non dicitur *Gloria in excelſis*; Oratio autem debet dici, ut in propria Miſſa, in qua licèt Rubrica ſic habeat: *Feria verò tertia, ſi Feſtum non occurrat, dicatur Miſſa de Rogationibus, ſine* Gloria in excelſis, *licèt in Officio dictum ſit* Te Deum, *& Oratio Dominica*; non ideo eſt inferendum: ergo hodiè in Miſſa de Rogationibus eſt dicenda Oratio Dominicæ, ut aliqui Kalendariſtæ non benè intellexerunt, quorum Directoria modò præ manibus habeo, & ſub oculos teneo, & in eis adnotatum lego: *in Miſſa de Rogationibus dicuntur Orationes de Dominica quinta poſt Paſcha*, & illa ſunt de anno 1701. ſub die 3. Maii, 1705. ſub die 19. ejuſdem Menſis, & 1706. ſub die 11. Maii, in quibus diebus occurrebat Feria tertia Rogationum. Senſus ergo illius Rubricæ non eſt revera talis, nam particula, *&*, conjungit verbum ſequens cum verbo immediatè præcedenti, & utrumque facit ejuſdem regulæ, nempe, licet ſit dictum *Te Deum*, & licèt dicta ſit *Oratio Dominica*: Oſtendit igitur diſcordantiam Miſſæ ab Officio, nam in Officio dictum eſt *Te Deum*, in Miſſa verò non dicitur *Gloria*, quæ deberet dici

ut

645

ut concordaret cum *Te Deum*, juxta Rubricam
Miſſalis *tit.* 8. *ſub numer.* 3. Inſuper in Officio le-
cta fuit Oratio Dominicæ & in Miſſa dicitur
Oratio propria Rogationum, quæ non deberet di-
ci, ut diſcordans ab Officio. Dictam tamen Miſ-
ſalis Rubricam, quam obſcuram in modo lo-
quendi vocat Gavantus *loco ſupra citato*, & de
Oratione Dominicæ dicenda in Miſſa de dicta
645 Feria tertia Rogationum, explicat Halden *in*
Ephemerolog. par. 1. *tit.* 27. *pag.* 153. Declaravit tan-
dem Sacra Rituum Congregatio *in Decreto Urbis*
& Orbis de Anno 1706. *ſub die* 25. *Septembris*, in
quo dixit, quòd in *Feria tertia Rogationum*, *non*
dicitur ſecunda Oratio Dominica, ut refert P. Me-
rati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*,
num. 603. ſi ſecunda Oratio non eſt de Dominica,
ergo prima eſt de Rogationibus; ergo Rubrica
Miſſalis clarificata à Decreto ita eſt intelligenda,
ut dicat, quòd Feria tertia ſi Feſtum non occur-
rat, dicatur Miſſa de Rogationibus ſine *Gloria in*
excelſis, licet in Officio dictum ſit *Te Deum*, cum
quo ferè ſemper concordat *Gloria*: & in Miſſa
dicatur Oratio Rogationum, licèt in Officio dicta
ſit Oratio Dominicæ.

Quòd ſi in Feria tertia Rogationum occurrat 646
Feſtum Simplex, Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11.
ſub num. 13. ſequenti opinione hodiernam Rubri-
cam in Miſſa Rogationum poſitam interpretatur,
videlicet: *In Feria tertia Rogationum, ſi fiat Offi-*
cium de Simplici Feſto, poteſt dici Miſſa privata de eo,
cum commemoratione Rogationum: vel Miſſa Rogatio-
num, cum commemoratione Feſti, ut dicitur in Ru-
brica propria; quem ſequuntur Michael Bauldryus
in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. *cap.* 12. *ſub num.*
17. *pag.* 266. Tobias Lohnerus *in Inſtruct. pract. de*
SS. Miſſ. Sacrific. par. 4. *tit.* 17. *ſub num.* 2. Marcus
Antonius Fagiolus *in Kalendar. perpet. ration. in*
Annotat. ad Menſem Aprilis pro Temp. Paſch. ſub
num. 16. Simon Bongiovanni *in Sylva Sacrar. Cæ-*
remon. lib. 7. *cap.* 15. *verſ. in Feria tertia*, Attamen
contra

contra ipſum Gavantum, & conſequenter etiam contra hujuſmodi opinionis ſectatores, duo Auctores inſurgunt; quorum unus eſt Carolus Guyetus, qui *in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. cap. 7. quæſt. 3. pag. 247. juxta edit. Venet. de Anno 1728. poſt Pariſ. de Anno 1657.* hiſce præciſis verbis de illa opinione non acquieſcens ratiocinatur: *Unde, quæſo, colligit Gavantus, id eſſe liberum? nam verba illa Rubricæ*: In Feriis Rogationum, in Miſſis privatis, ſi dicitur de Sancto, fit commemoratio Rogationum: ſi dicitur de Rogationibus, fit commemoratio Feſti: *haudquaquàm optionem ullam continent, ſed id tantum volunt, ut in qualibet trium illarum Feriarum, cùm Miſſa ſit de Feſto, putà Feria ſecunda & quarta de Duplici vel Semiduplici, & etiam Feria tertia de Simplici, fiat commemoratio Rogationum: & è contra, ſi Miſſa fiat de Rogationibus, Feria ſecunda quidem, non occurrente Feſto Duplici vel Semiduplici; Feria verò tertia, etiam Simplici, fiat commemoratio Rogationum: Quod enim habet conſequenter eadem Rubrica*: Feria verò tertia, ſi Feſtum non occurrat, &c. *perindè dictum eſt de Feſto Simplici (de quo videlicet etiam fit ea die Officium) atque de Duplici & Semiduplici. Hucuſque Guyetus.*

Alter verò Auctor eſt Joannes Maria Turrinus, 647
qui *in Director. Sacrifican. par. 3. ſect. 3. cap. 1. verſ. Gavantus, pag. 183. juxta edit. Venet. de Anno 1732.* clarioribus verbis ſe explicat contra eundem Gavantum quoad dictam ejus opinionem de Feria Rogationum, inquit enim: *Rubrica fieri commemorationem Feſti vult, ſi fiat Miſſa de Feria: & commemorationem Feriæ, ſi Miſſa celebretur de Feſto: ex quo præciſè ſequitur, quòd Feria ſecunda occurrente cum Duplici & Semiduplici, in Miſſis facienda ſit commemoratio Feriæ: è contra, ſi occurrat Simplex, in Miſſa de Feria vult commemorationem fieri de Feſto: Feria tertia, ſi occurrat cum Simplici, de Feſto eſt celebranda Miſſa, ut cum Officio concordet, cum Feriæ commemoratione: non autem Miſſa de Feria,*

quia

Digitized by Google

quia de ea neque facta eſt commemoratio in Officio. Sumit ergo Gavantus Rubricam pro Feria tertia tantùm; mihi autem videtur ſermonem habere de ſecunda & tertia, & ſumenda eſſe, ac ſi diceret: In Feriis ſecunda & tertia Rogationum, ſi occurrat Feſtum, quod ſibi vendicet Miſſam, ne omittas Feriæ commemorationem: Si occurrat Feſtum, quod Miſſam relinquat Feriæ, fac tamen Feſti commemorationem: Ex quo fit, in Feria tertia dicendam Miſſam de Feſto cum commemoratione, ſi cum Feria occurrat Simplex: vel de Feſto, ſi occurreret Semiduplex, & hoc majùs cum commemoratione Feriæ: Hactenus Turrinus. Hanc duorum Auctorum opinionem libentius amplector, nam ut verum fateor, mihi magis probatur, tanquàm Rubricæ magis inhærens: ſiquidem Rubrica dicit, *in Feriis*: ergo non loquitur de una tantùm Feria: deinde ſubdit: *Feria tertia, ſi Feſtum non occurrat, dicitur Miſſa de Rogationibus*: ſed occurrente Simplici, occurrit Feſtum: ergo Miſſa privata dicenda eſt de Feſto Simplici, cum commemoratione Rogationum.

Guyetus *loco proximè citato, pag. ead.* 247. quandam proponit occurrentiam in dicta Feria tertia 648
Rogationum, quam habet ſub Dubio ſequenti, & etiam reſolvit, ut infra videlicet: *At quæres*
647 *unum, quod præfata Rubrica non ſatis reſolvit. An, ſi in eadem Feria tertia fiat Officium de die infra Octavam, ſimiliter & Miſſa de eodem Die dicenda ſit? Dicenda eſt de Die infra Octavam, quia ex dictis Feſtum Simplex, de quo fit Officium in prædicta Feria, habet etiam in ea ſuam Miſſam: ergo & à fortiori Dies infra Octavam, qui potior eſt Feſto Simplici. Aſſentior itaque, ut in prædicto caſu Miſſa conformiter Officio fiat de Die infra Octavam, cum commemoratione Rogationum: nam licèt eadem ſit Miſſa Rogationum Feria tertiâ, quæ Feria ſecunda, non tamen cum eodem jure: quippè non eſt addicta Feriæ tertiæ, & eſt ſecundæ: unde occurrente Feſto, nec legitur Homilia in Evangelium ad Matutinum, nec ipſum Evangelium in fine Miſſæ, ſicuti legitur in Feria ſecunda:*

Digitized by Google

da: ipſaque adeò Oratio, quæ ponitur in Miſſa, videtur eſſe tantùm ad inſtar votivæ. Convenit mecum Cæremoniale Monaſticum lib. 4. cap. 12. ſub num. 5. *nec adverſatur Gavantus* tom. 1. par. 4. tit. 11. ſub numer. 14. *ajens; commemorationem Feſti Simplicis anteponendam eſſe Orationi Rogationum: quod nec ipſi abnuimus.* Quæ quidem Guyeti opinio videtur ſequenda: ſiquidem ſi in Feria tertia Rogationum ex rationibus ſupra allatis dicenda eſt Miſſa privata de Feſto Simplici trium Lectionum, quod eſt minùs: dicenda quoque erit de Die Semiduplici novem Lectionum infra Octavam, quod eſt majus.

Oritur hoc loco Dubium, an occurrente Feſto 649
Simplici in dicta Feria tertia Rogationum, in Cathedralibus & Collegiatis ſint cantandæ duæ Miſſæ? Ratio dubitandi eſt; quia ex dictis dicenda eſt Miſſa privata de Simplici occurrente: Simplex autem eſt Feſtum: ergo etiam de eo Miſſa erit cantanda: ergo duæ Miſſæ, una de Feſto, & altera de Rogationibus. Itaque Bauldryus *dicta par. 4. cap. 12. ſub num. 17. pag. 266.* non obſtante, quòd aſſerat in dicta Feria tertia poſſe dici Miſſam de Simplici, vel de Rogationibus, nihilominùs ſtatim ſubdit: *Et tunc in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis videntur dicendæ duæ Miſſæ, una de Sancto, & altera de Rogationibus.* Attamen unam tantùm cantandam eſſe, noviſſimè reſolutum fuit: Supplicantibus enim humiliter Capitulo & Canonicis Cathedralis Collenſis Sacræ Rituum Congregationi pro declaratione nonnullorum Dubiorum, inter ea tertium eſt tenoris ſequentis, videlicet: *An occurrente in Feria tertia Rogationum Feſto Simplici, in Cathedrali & Collegiatis ſint cantandæ duæ Miſſæ?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio *in d. Collen. anno* 1698. *ſub die 5. Julii*, ad tertium Dubium reſpondit, *Negativè.* Hanc autem Reſolutionem, unà cum pluribus aliis eadem die emanatis, ſed ad noſtram rem modò non facientibus, retineo Domi in forma

au-

authentica, cum ſolito magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii. Ratio autem hujuſmodi Reſolutionis eſſe poteſt, quia ad cantandas in Cathedralibus & Collegiatis duas Miſſas, non ſufficit Feſtum Simplex trium Lectionum, ſed debet eſſe Feſtum novem Lectionum, ut ſparſim habetur per plures Rubricas.

At quid dicendum, ſi in hac Feria tertia Rogationum fiat alicubi de Die infra Octavam? 650
Eruntne cantandæ duæ Miſſæ in Cathedralibus, & Collegiatis? Primo intuitu videtur affirmativè reſpondendum, ſiquidem ex dictis juxta Guyetum
649 Miſſæ privatæ dicuntur de eadem Die infra Octavam, & quod magis eſt, eſt Officium ſemiduplex novem Lectionum. Nihilominus unicam dicendam eſſe cenſeo de Rogationibus, cum commeratione Octavæ. Ex Miſſis enim privatis non fit illatio ad ſolemnem in noſtro caſu, in quo Rubrica dicit: *Feria verò tertia, ſi Feſtum non occurrat, dicitur Miſſa de Rogationibus*: Sed Dies infra Octavam non eſt Feſtum: ergo dicitur unica Miſſa de Rogationibus: Minor patet: nam licèt tota Octava pro una Feſtivitate computetur apud Rubriciſtas, ejus tamen Dies non reputantur feſtivi: unde ipſe Guyetus *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 11. *ante quæſt.* 5. *pag.* 122. loquens de Diebus infra Octavam; ait: Octava verò non eſt Feſtum, ſed continuatio Feſti. Sive igitur ſit continuatio cum dicto Guyeto, ſive prorogatio cum Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 9. *ſub num.* 5. ſive repetitio Feſti cum aliis, ſemper verum eſt, quòd Dies infra Octavam non eſt Feſtum: ad hoc autem, ut dicantur duæ Miſſæ debet eſſe Feſtum, quod hoc loco non intelligitur præceptivum cum auditione Miſſæ, & vacatione ab operibus ſervilibus, ſed de Feſto alicujus Officii ea die principaliter celebrati, & nihilominus vel occurrentis vel tranſlati: Unde idem Guyetus propoſito & reſoluto de Miſſis privatis, nihil dicit de ſolemni.

Patet.

Patet ex dictis, quòd ſi in dicta Feria tertia 651
Rogationum actum ſit de Feſto novem Lectionum occurrente vel translato, cujuſcumque ritus illud fuerit, in Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſsæ, una quidem de Feſto poſt Tertiam, in colore conveniente, ſine commemoratione Rogationum: deinde dicta in Choro Nona, fit Proceſſio Litaniarum, & poſt Proceſſionem immediatè cantatur altera Miſsa de Rogationibus in colore violaceo, ſine commemoratione Feſti. Si verò Feſtum habeat Præfationem propriam, dicitur ea, alioquin in utraque Miſsa dicitur Præfatio Paſchalis. In Miſſis autem privatis de Feſto novem Lectionum, quodcunque illud ſit, etiam primæ claſſis, fit commemoratio Rogationum, ſed cum Evangelio S. Joannis in fine. Dixi, *quodcunque illud ſit etiam primæ claſſis*, nullum enim excipit Rubrica, ſed neque Auctores. Attamen, ut reor, Rubrica non eſt ita rigoroſè intelligenda, ut neque excipiat Feſtum duplex primæ claſſis: Ideòque mihi videtur, quòd ſi in hac Feria tertia occurrat Feſtum Patroni Loci, Titularis Eccleſiæ, aut Dedicationis ejuſdem, ſeu aliud quodvis duplex primæ claſſis, in ejus Miſſis privatis omittenda ſit commemoratio Rogationum: ſiquidem in eo omittitur commemoràtio Feſti Simplicis: ſed Feſtum Simplex locum habet ab hac Feria tertia, quæ non eſt privilegiata, Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *titul.* 11. *ſub num.* 14. ergo in Miſsa privata de Duplici primæ claſſis omittenda eſt commemoratio Rogationum, juxta illud Axioma: *Si vinco vincentem te, multo magis vinco te.* Idem tamen non eſt dicendum de Feſto duplici ſecundæ claſſis, ex contraria ratione, nam ſi in Miſſis privatis de eo fit commemoratio Feſti Simplicis, facienda etiam eſt commemoratio Rogationum. Cur autem fieri debeat commemoratio hujus Feriæ tertiæ in Miſſis privatis, cùm facta non ſit in Officio? Reſpondeo: Habemus Legem, & ſecundùm Legem operari debemus: ita enim præcipit Ru-

brica

651 brica Generalis Miſſalis, *par.* 1. *titul.* 7. *de Commemor. ſub numer.* 2. ubi revera ſic habetur: *De Rogationibus fit commemoratio, quando Miſſa dicenda eſt de Feſto occurrente*: & ſic etiam præſcribit hodierna Rubrica in Miſſa de Rogationibus, ubi dicitur: *In Miſſis privatis, ſi dicitur de Sancto, fit commemoratio Rogationum*. Ratio autem Legis eſſe poteſt, quia Feria hæc tertia Rogationum non eſt privilegiata: De Feria verò non privilegiata non fit commemoratio in Officio: In Miſſa tamen privata de Feſto commemoratio Rogationum ſtat tanquàm Oratio Votiva pro re gravi; & ut Miſſa de Feſto aliquam habeat correlationem cum Miſſa ſolemni de Rogationibus, quæ ſecundo loco cantatur in Cathedralibus & Collegiatis in ſequellam ad Proceſſionem Litaniarum.

Ut autem ad complementum hujus Diei, aliquid dicamus de Veſperis: Si neque hodie actum ſit, neque cras fit agendum de Feſto novem Lectionum, Veſperæ hodiernæ erunt feriales de Tempore Paſchali, & omninò dicendæ, ut ſupra diximus de Veſperis ferialibus Feriæ ſecundæ: Pſalmus tamen *Lætatus ſum*, cum reliquis de Feria tertia in Pſalterio, & dicuntur ſub una Antiphona *Alleluja*: ſed ad Magnificat Antiphona eſt propria, nempè, *Exivi à Patre*, cum Oratione de Dominica quinta poſt Paſcha, ſcilicet, *Deus, à quo bona cuncta procedunt*, & cum commemoratione de Cruce, nimirùm, *Crucem ſanctam ſubiit*, ut in Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, at ſi cras occurrat Feſtum Simplex, quia cras Officium non fit de eo, hodie in Veſperis ferialibus facienda erit ejus commemoratio, deinde Crucis. Quòd ſi hac die factum ſit de Feſto Semiduplici, & cras occurrat Feſtum Simplex, in ſecundis Veſperis Semiduplicis fiet commemoratio Simplicis, & de Cruce. Si verò hodie & cras fiat de Officio Semiduplici, Veſperæ à Capitulo ſunt de ſequenti, cum commemoratione præcedentis, & Crucis, & ante iſtam fiet commemoratio de Fe- 652

ſto Simplicis cras forſan occurrentis. Aſt ſi hodierna die actum ſit de Feſto Semiduplici, & die craſtina agatur de Duplici; vel è contra, hodie de Duplici, & cras de Semiduplici: aut de Duplici hodie, & cras: ſerventur Rubricæ de Concurrentia Officii, attenta tamen majori eorum dignitate, vel qualitate ritus.

§. IV.

De Feria quarta Rogationum, & præſertim de Vigilia Aſcenſionis Domini.

Licèt hæc Feria nuncupetur communiter quarta Rogationum, principaliter tamen 653
eſt Vigilia Aſcenſionis Domini, quam antiquitùs celebratam fuiſſe cum Jejunio ſupponit Durandus *in Ration. Divinor. Officior. libr.* 6. *capit.* 103. *ſub. num.* 1. *pagin. mihi* 260. Micrologus autem *de Eccleſiaſt. Obſervat. capit.* 55. meminit jejunii: ergo poſt eum ceſſavit, inquit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *capitul.* 17. *ſub numer.* 1. Hiſpani tamen retinent adhuc abſtinentiam à carnibus, ut modò adnotatum lego in variis illarum Diœceſum Directoriis. Nos verò modò non jejunamus, ut clarè patet ex Rubrica Breviarii *titul.* 6. *de Vigil. ſub numer.* 5. ubi ſic reverà habetur: *In Vigiliis verò Epiphaniæ, & Aſcenſionis, quæ non jejunantur*: nec non & in Rubrica Miſſalis *tit.* 3. *de Fer. & Vigil. ſub numer.* 6. ibi enim ſic adnotatum legimus: *Tempore Paſchali non dicitur Miſſa de Vigilia, niſi in Vigilia Aſcenſionis, quæ tamen non jejunatur*: Siquidem lætitia Paſchalis facit ceſſare à Jejunio: & hæc eſt ratio potiſſima, ob quam hodie non ſervatur Jejunium, ait Gavantus *loco ſupra citato*.

Si nul-

Si nullum hac die occurrat Feſtum novem Lectionum, Officium fit de Vigilia: nota tamen, quòd ly *occurrat* non importat neceſſariam occurrentiam, cùm poſſit hodie fieri etiam de tranſlato, ut clarè patet omnibus Rubriciſtis. Officium igitur Vigiliæ celebratur in colore albo, eſt enim Vigilia exultationis, ut talem nuncupat Piſcara *in Prax. Caeremoniar. libr.* 3. *ſect.* 9. *capitul.* 6. *ſub num.* 7. *pagin.* 434. Omnia ergo dicuntur, ut ſupra diximus in Feria ſecunda, nam & hæc Vigilia celebratur ritu & more Paſchali: ſed Pſalmus *Dixit inſipiens*, cum reliquis de Feria quarta in Pſalterio, & dicuntur ſub una Antiphona *Alleluja*, & ex eodem Pſalterio ſumitur Verſiculus *Gaviſi ſunt*, *&c.* ac Reſponſorium *Viſo Domino*, *&c.* Tres verò Lectiones ſunt propriæ de Homilia S. Auguſtini in Evangelium *Sublevatis Jeſus oculis*, cum Reſponſoriis, ut in hac Vigilia. Si occurrat hodie Feſtum Simplex, non dicitur ejus Lectio ad Matutinum; ſed poſt tertiam Lectionem Vigiliæ dicitur *Te Deum*. Ad Laudes, omnia ut in Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, ſed Antiphona ad Benedictus eſt propria, ſcilicet, *Pater venit hora*, Oratio verò *Deus, à quo bona cuncta procedunt*, ut in Dominica quinta poſt Paſcha, & non fit commemoratio Rogationum; ſed Crucis, quæ in his Laudibus terminat, & ante eam fit commemoratio Feſti Simplicis, ſi hodie occurrat. Ad Primam dicuntur tres Pſalmi, ut in Feſtis, cum Precibus Dominicalibus: & in Maryrologio annunciatur primo loco, *In Monte Oliveti Aſcenſio Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Reliquæ Horæ dicuntur, ut in dicta Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, ſed Oratio, ut ſupra ad Laudes. 654

Quòd ſi in dicta Feria quarta occurrat alicubi Officium de Die infra Octavam, agendum quidem erit de eadem Die; ſed quia hodie non habentur Lectiones de Scriptura, ideò in primo Nocturno ſumentur ex ejus Communi: ſi verò fuerit Dies 655

infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ, Lectiones primi Nocturni erunt repetendæ, quæ dictæ ſunt in Feſto, ut docet Rubrica Breviarii *titul.* 26. *de Lection. ſub numer.* 9. In tertio tamen Nocturno dicetur nona Lectio de Homilia Vigiliæ, & fiet ejus commemoratio in Laudibus, non tamen Rogationum, neque Crucis: ſed ſi occurrat Feſtum Simplex, fiet commemoratio de eo poſt illam Vigiliæ. Attamen ſi occurrat Feſtum ſemiduplex, vel duplex, quod non habeat in primo Nocturno Lectiones proprias, recurrendum itidem erit ad ejus Commune, & ſi fuerit Dies Octava Dedicationis, repetentur Lectiones de Feſto. At quid dicendum, ſi alicubi transferretur in hanc Vigiliam Feſtum S. Anſelmi Epiſcopi & Confeſſoris, quod cæteroquin occurrit die vigeſima prima Aprilis? Quænam Lectiones erunt dicendæ in primo Nocturno? Halden *in Ephemerolog. par.* 2. *titul.* 4. *die* 21. *April. pag.* 105. tenet, quòd ſumendæ ſint ex Communi Confeſſoris Pontificis, nempè, *Fidelis ſermo*, ob eam, quam affert, rationem, quia in Miſſali non numeratur inter Doctores Eccleſiæ, & in Breviario non habet in Veſperis Antiphonam *O Doctor optime*. Typis autem dedit hic Auctor opus ſuum anno 1715. quando dictum Feſtum S. Anſelmi erat adhuc Semiduplex, & nullum revera habeat ex dictis requiſitis: quia verò modò eſt duplex, cum dicta Antiphona in Veſperis, & cum Miſſa de Doctoribus, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis de *Anno* 1720. *ſub die* 3. *Februarii*, ceſſante idcirco Auctoris ratione, dicendæ ſunt in primo Nocturno Lectiones de Libro Eccleſiaſtici, ſcilicet *Sapientiam omnium antiquorum*, ut in Communi Doctorum, eo quia ſine hujuſmodi translatione in hanc Vigiliam Aſcenſionis, ita quovis anno legunt Caſſinenſes, ex quibus ad nos devenit Officium, & ita notat Directorium Romanum, quod modò lego, *de anno* 1728. *ſub die* 21. *Aprilis*. Eadem ratio videtur militare in Feſto S. Athanaſii Epiſcopi & Confeſſoris,

ſoris, ſi incidat in hanc eandem Vigiliam, ſicuti in Eccleſia Univerſali incidit, quando occurrit Tabula quarta ordinis perpetui: licèt re minùs à me perpenſa, in quarto meo Romano Divinorum Officiorum Decennio *ſub die 2. Maii Vigilia Aſcenſionis 1722.* adnotaverim in primo Nocturno *Fidelis ſermo*. In Feſto tamen ſive duplici, ſive ſemiduplici, ſive occurrente, ſive tranſlato, ſemper ad Matutinum dicitur nona Lectio, & in Laudibus fit commemoratio Vigiliæ, niſi illud Feſtum fuerit ex majoribus primæ claſſis, quia in eo nihil prorsùs, nec commemoratio fit de Vigilia, juxta Rubricam Breviarii *tit. 6. de Vigil. ſub num. 2.*

Miſſa verò, ſi nullum hodie occurrat Feſtum 656
novem Lectionum, eſt propria de Vigilia in colore albo, cum *Gloria in excelſis* in qua dicitur ſecunda Oratio de Rogationibus; & tertia *Concede*, niſi occurrat Feſtum Simplex, quia tunc ſecunda Oratio erit de Simplici, & tertia Rogationum, ſine *Credo*, & cum Præfatione Paſchali: Dicitur conſequenter *Ite miſſa eſt*, & Evangelium S. Joannis in fine. Quòd ſi hodie actum ſit alicubi de Die infra Octavam, adhuc Miſſa erit de Vigilia, juxta Rubricam Miſſalis *titul. 3. de Fer. & Vigil. ſub numer. 2.* ſed ſecunda Oratio erit de Octava, & tertia de Rogationibus: & ſi ſimul occurrat Simplex, tertia Oratio dicetur de Simplici; & quarta Rogationum, nec ratione Octavæ dicendum eſt *Credo*. In Cathedralibus autem & Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, cantantur duæ Miſſæ, una ſcilicet de Vigilia poſt Sextam in colore albo, cum Orationibus, ut in Miſſali; vel cum ſecunda Oratione de Die infra Octavam, & 3. de Feſto Simplici, ſi occurrat; & in ea dicitur Præfatio Paſchalis. Ambroſiani tamen in Miſſa hujus Vigiliæ ſequentem dicunt Præfationem, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare; nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte; Pater omnipotens, æterne Deus;*

ne Deus: Et in hac precipuè Die, qua Jeſu Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, divini conſummato fine myſterii, diſpoſitionis antiqua munus explevit. Ut & diabolum cæleſtis operis inimicum per hominem, quem ſubjugarat, eliderer: & humanam ſubſtantiam ad ſuperna dona reduceret. Quem unà tecum laudant Angeli, atque Archangeli, &c.

Poſt primam Miſsam ſolemnem de Vigilia, in dictis Cathedralibus & Collegiatis cantatam, dicitur in Choro Nona, qua finita, fit Proceſſio Litaniarum, & poſt Proceſſionem cantatur altera Miſſa de Rogationibus in colore violaceo, ſine *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione *Concede*, & tertia *Eccleſia*, vel *pro Papa*. Non dicitur in ea *Credo*, ſed Præfatio eſt Paſchalis, tanquam Communis. In Eccleſia verò Ambroſiana dicitur Præfatio, quæ eſt propria hujus tertiæ Diei Rogationum, & habetur in particulari ejuſdem Eccleſiæ Miſſali Mediolani impreſſo: eſt igitur ea, quæ ſequitur, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Tuam miſericordiam implorantes, ut ſecundùm multitudinem indulgentiarum tuarum, ab omnibus nos abſolvas peccatis, & ad omnia pietatis opera, te parcente, reparemur. Et quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* In hac Miſſa Rogationum, quia color eſt violaceus, non dicitur *Ite miſſa eſt*, ſed quod colori convenit, nempè, *Benedicamus Domino*: & in fine legitur Evangelium S. Joannis. 657

At ſi in hac Vigilia fiat de Feſto novem Lectionum, Miſsa erit de eo cum colore conveniente, in qua dicitur *Gloria*, & fit commemoratio Vigiliæ, ac Rogationum: ſi verò occurrat etiam Feſtum ſimplex, ſecunda Oratio erit de Vigilia, tertia de Simplici, & quarta de Rogationibus cum Evangelio Vigiliæ in fine: niſi Feſtum illud fuerit duplex primæ claſſis, quia in ejus Miſsa nulla fit commemoratio Vigiliæ, ex Rubrica Generali 658

nerali Miſſalis *titul.* 3. *de Fer. & Vigil. ſub numer.* 2. *circa fin.* neque de Feſto Simplici hodie forſan occurrente, neque videtur facienda commemoratio de Rogationibus, juxta ea, quæ ſupra diximus de Miſſis privatis primæ claſſis in Feria tertia præcedenti, in quibus hodie conſequenter Evangelium finale erit S. Joannis. Impedita itaque
657 Vigilia Aſcenſionis à Feſto novem Lectionum, in Cathedralibus, & Collegiatis cantantur tres Miſſæ vigore Rubricæ, quæ legitur in Miſſa hujus Vigiliæ: Prima igitur de Feſto poſt Tertiam in colore Feſti: Secunda de Vigilia poſt Sextam in colore albo: Tandem dicta in Choro Nona, fit Proceſſio Litaniarum in colore violaceo, & poſt Proceſſionem cantatur in eodem colore violaceo tertia Miſſa de Rogationibus, cujus Miſſæ antiqua Secreta apud S. Gregorium in Sacramentario oſtendit, Jejunium fuiſſe in Eccleſia Romana ſervatum, nam ſic habet: *Jejunantium, Domine, quæſumus, ſupplicum vota propitius intuere; & munera præſentia ſanctificans, perceptione eorum, occulta cordis noſtri remedia tua clarifica pietatis: ut nec opera carnalia, nec fluxa nos teneant, quos inſtitutor jejunii Chriſtus Dominus reparavit. Qui tecum, &c.* In nulla ex dictis tribus Miſſis ſolemnibus fit commemoratio aliarum, & in omnibus & tribus legitur in fine Evangelium S. Joannis.

Poſt Miſſam privatam & ſolemnem veniunt Veſperæ, quæ hodie ſunt omninò & ſemper de ſe- 659
quenti Feſto Aſcenſionis Dominicæ. Omnia igitur dicuntur in eis, ut ſuo loco in Breviario. In
658 ſolemnibus verò Officiator, ſeu Celebrans, aut Officium peragens, ad Hymnum *Salutis humanæ ſator, Jeſus, &c.* debet jungere, extendere, & elevare manus, ac caput inclinare versùs Altare, quia Hymnus inchoatur per invocationem Chriſti, ut admonet Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. part.* 2. *capitul.* 11. *articul.* 1. *ſub numer.* 25. *pag.* 94. & legitimè infertur ex Cæremoniali Epiſcoporum *libr.* 2. *capitul.* 14. §. 5. *pagin. mihi* 291.

ubi dum loquitur de Hymni præintonatione Epiſcopo facienda ad Matutinum in Vigilia Nativitatis Domini, ſic habet: *Epiſcopo præintonatur Hymnus* Jeſu Redemptor omnium, *quem dum Epiſcopus repetit, elevat, & jungit manus, caput versùs Altare inclinans, ob reverentiam Divinæ Invocationis*. In hiſce primis Veſperis unica dicitur Oratio, niſi concurrant cum præcedenti Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, aut cum ſequenti Die Octava alicubi occurrente in ipſo Die Aſcenſionis: unde ſi hæc Feria quarta veniat die prima vel tertia Maii, ut in Tabula tertia vel quinta ordinis perpetui, in Eccleſia Univerſali Veſperæ ſunt de Aſcenſione, cum commemoratione vel SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, vel reſpectivè Inventionis S. Crucis: utrumque enim Feſtum eſt duplex ſecundæ claſſis. Quia verò primum Feſtum Ottingæ in Bavaria eſt duplex primæ claſſis: ſecundùm verò eſt itidem primæ claſſis Barcinone in Hiſpania, ideò in prædicta occurrentia hujus Feriæ quartæ, in primis Veſperis de Aſcenſione fit ibi commemoratio de præcedenti duplici primæ claſſis. At ſi Aſcenſio Domini incidat vel in diem trigeſimam Aprilis, vel in ſecundam Maii ut in Tabula prima vel tertia, in primo Caſu Veſperæ primæ de Aſcenſione in Regnis Hungariæ & Bohemiæ admittunt commemorationem de Die Octava S. Adalberti Epiſcopi & Martyris dictorum Regnorum Patroni: In ſecundo verò caſu Venetiis fit commemoratio de Die Octava S. Marci Evangeliſtæ Protectoris præcipui: utraque enim Dies Octava occurrit in ipſa Die Aſcenſionis.

In Cathedralibus verò Eccleſiis, ſi Epiſcopus erit ſolemniter ſequenti die celebraturus, Veſperæ ſolemniùs peraguntur, quàm ſi non eſſet celebraturus: quod præcipuè in his Vigiliis obſervari ſolet, videlicet, Aſcenſionis, &c. ut verbis utar Cæremonialis Epiſcoporum *libr.* 2. *capitul.* 1. §. 2. *pagin. mihi* 184. ubi etiam §. 8. ſic habetur circa 660

Veſ-

Veſperas ſolemnes, Epiſcopo officium faciente: *Pſalmi decantari debent à Choro, & ab ipſiſmet Canonicis, & Beneficiatis, aliiſque de Capitulo in tono & cantu Gregoriano, cum gravitate & decore, ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur, &c.* ¶ Ex hac occaſione notandum eſt primò, quòd Canonici debent cantare alta voce, ſed non poteſt eos Epiſcopus cogere, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1602. *ſub die* 23. *Novembris*, apud Gavantum *in Man. Epiſcopor. verb. Canonicorum munera in Choro, ſub numer.* 13. *in addit.* & ex me refert etiam La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *libr.* 6. *part.* 2. *tract.* 4. *ſub numer.* 2955. *Decreto* 53. Poteſt tamen Epiſcopus cogere Canonicos ad diſcendum cantum Gregorianum, etiam per ſubtractionem fructuum, ut reſolvit Sacra Congregatio Concilii *anno* 1620. *ſub die* 6. *Maii*, apud Paſcuccium *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. part.* 1. *titul. de Dignitatibus, pagin.* 215. *vel* 133. *juxta edit. Roman. vel Venet.* ¶. Notandum ſecundò, quòd pſallere non dicitur, qui ſubmiſſim recitat, ſed qui altè verba oris ſui pronunciat: his enim alternis vocibus canentes in Choro, imitantur Seraphinos, qui ſecundùm viſionem Iſajæ, *clamabant alter ad alterum*; & ſic quiſque poteſt dicere cùm Regio Pſalte: *ad ipſum ore meo clamavi, Pſal.* 65. *verſ...* Qui certè Regius Pſaltes non reputavit indignum ſua majeſtate, Dei laudes publicè canere ante Arcam: Imò Chriſtus Dominus, Altiſſimi Dei Filius, cujus omnis actio eſt noſtra inſtructio, Hymnodiæ uſus eſt: *Et Hymno dicto, Matth. cap.* 26. *verſ...* ubi nonnulli legunt: *& cùm Hymnum cecinisſet*: cujus Hymni præciſa verba refert Cardinalis Baronius *tom.* 1. *Annal. anno Dom.* 34. ut habet Scarſantonus ad Ceccoperium *par.* 1. *lib.* 2. *tit.* 7. *ſub. nu.* 27. & 29.

Ubi denique fieri ſolet laudabilis Menſæ Benedictio, à Cœna hodiernæ Diei incluſivè, uſq; ad Vigiliam Pentecoſtes excluſivè, Benedictio & 661

pro-

propria, nempè, Verſiculus *Aſcendit Deus in Jubilatione, Alleluja*, cum reliquis, ut in fine Breviarii. Hæc autem Benedictio jure incipit à primis Veſperis, quia ab eis incipit Feſtum, ut obſervat Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 6. *ſub nu.* 10. ubi ſub numero 14. Auctorem Lectionis ad Menſam facit Divum Auguſtinum, ex Honorio Auguſtodonenſi *in Gemma Animæ, lib.* 2. *cap.* 63. & etiam rationem redit, ut ſcilicèt mentes cum corporibus reficiantur. Initio verò Benedictionis geminatur vox illa: *Benedicite: Benedicite*; quaſi invicem hortemur nos ad benedicendum Domino.

§. V.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Diem Aſcenſionis Dominicæ.

FEſtum Aſcenſionis Domini inter Feſta Dominica faſtigium obtinere, & eſſe Feſtorum decus, dicit Epiphanius *in Orat. de Aſcenſ.* 662
Conſummationem verò, & adimpletionem reliquarum Solemnitatum, ac felicem clauſulam itinerarii Filii Dei, vocat S. Bernardus *ſerm.* 2. *de eod. Feſt.* Ad obſervantiam tamen hujus Feriæ quintæ ſpectat Canon *Jejunium, de conſecr. diſt.* 3. in quo prohibetur Jejunium, perinde atque in Dominica, nam juxta Gloſſam, in iſtis duobus diebus fecit Dominus quidquid inſigne fecit, quia die Jovis Cœlum aſcendit. Quandoque hoc Feſtum nuncupatum fuit *Quadrageſima*, ut ſcilicet ſignificaretur, celebrari illud quadraginta poſt Paſcha diebus: quem diem Feriam quintam fuiſſe liquet,

liquet, cùm dies Reſurrectionis occurreret in Dominica, ut habet Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib. 2. cap.* 75. ubi etiam addit, quòd à S. Gregorio Nyſſeno *in ſerm. 3. de Reſurrect.* ubi de hoc Feſto agit, appellatur *Epitomene*, hoc eſt, *Dies Salutis*. Inter Feſta tamen ab Apoſtolis inſtituta, ſemper Aſcenſio Domini numerata eſt: unde S. Auguſtinus, qui obiit anno 430. oſtendit eſſe Feſtum antiquum, quod celebrabatur ab univerſa quocunque ſe diffundit Eccleſia, ut ipſe teſtatur *Epiſt.* 118. Habet pluſquàm Octavam, quia ejus Officium pervenit uſque ad Pentecoſten: & ideò ſunt decem dies: quod eſſe antiqui inſtituti, affirmat Grancolas *loco proximè citato*, ubi nihilominus paulò poſt ſubdit, quòd Feſti hujus Octava in nullo pervetuſto Libro reperitur. Gavantus autem *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *ſub num.* 16. ait, quòd hoc Feſtum habet Octavam, de qua Radulphus Tungrenſis *de Canon. obſervan. circa Divin. Offic. prop.* 19. Radulphus verò erat inter vivos circa annum 1400. ſed antiquitas hujus Octavæ infertur à tempore longè anteriore: Siquidem in Sacramentario Gregoriano Dominica intermedia vocatur *Dominica infra Octavam*: Gregorius autem creatus fuit Summus Pontifex anno
661 590. die 3. Novembris: quamvis in dicto Sacramentario eadem verè Dominica inſcribatur *Dominica poſt Aſcenſionem Domini*, nam eſſe nihilominus Dominicam infra Octavam, tenet Gavantus *loco proximè citato*.

Aſcenſionis Dominicæ Feſtum eſt præceptivum, 663
cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus: Celebratur autem ſub ritu duplici primæ claſſis in colore albo. Eſt verò Feſtum adeò dignum, ut non cedat cuilibet alteri Feſto utcunque ſolemni alicubi hodie occurrenti, ſive illud ſit Patroni Loci, ſive Titularis Eccleſiæ, ſive etiam Dedicationis: ideòque ſi Aſcenſio venerit die ſecunda Maii, ut in Tabula tertia ordinis perpetui, Abulæ in Hiſpania transfertur Feſtum

ſtum

ſtum duplex primæ claſſis de S. Secundo Epiſcopo & Confeſſore ac illius Civitatis Patrono: Si verò inciderit in diem quartam ejuſdem Menſis, ut in Tabula quinta, Anconæ in Marchia hujus nominis transfertur Feſtum S. Cyriaci Epiſcopi & Martyris, ac illius Cathedralis Titularis, quod ibi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis: Quòd ſi Aſcenſio occurrerit die octava dicti Maii, ut in Tabula nona, Parenti in Hyſtria transfertur Dedicatio illius Cathedralis, ubi habet ritum duplicem primæ claſſis. Quoad Officium hodiernum, omnia ſunt propria in Breviario. Licèt adhuc ſimus intra tempus Paſchale, nihilominùs Pſalmi Nocturnorum non dicuntur ſub una tantùm Antiphona, ſed ad unumquemque Pſalmum habetur Antiphona propria, quod eſt ſpeciale hujus Octavæ, & in ſolo Officio de Octava. Propter *Alleluja*, quod in fine habet ſecunda Antiphona ſecundi Nocturni in hoc Feſto, hodie & in Die Octava incipit Pſalmus à primo Verſiculo *Exaltabo te, Domine*; & hoc ſemper in ſimilibus fit tempore Paſchali: hoc etenim ob eandem rationem docet Rubrica in Communi Dedicationis Eccleſiæ ad primum Pſalmum *Qui habitat* in tertio Nocturno illius Officii; At è contra; quia in Feſto SS. Redemptoris (quod in Dominica tertia Julii celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis in toto Dominio Veneto) non additur *Alleluja* ad ſecundam Antiphonam primi Nocturni, Pſalmus *Domine Dominus noſter* incipit à ſecundo Verſiculo *Quoniam elevata eſt*, quia illa ſecunda Antiphona eſt omninò eadem cum primo Verſiculo ejuſdem Pſalmi.

664 Hymni ab hoc Feſto Aſcenſionis uſque ad Nonam Sabbati in Vigilia Pentecoſtes incluſivè terminantur cum ſtropha propria, videlicet, *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor, &c.* excepto tamen Hymno *Salutis humanæ ſator*, & exceptis aliis Hymnis aliquam clauſulam propriam habentibus, de quibus ſuo loco dicemus, cùm de Diebus infra hanc O-

ctavam

ctavam occurrentibus ſermo erit. Si occurrat hodie Feſtum Simplex, non dicitur de eo nona Lectio ad Matutinum, nec fit ejus commemoratio in Laudibus, ſed dicitur unica tantùm Oratio, niſi forſan alicubi hodie ſimul incidat Dies Octava alicujus Feſti Octavam habentis: ut ſi Aſcenſio venerit Die ſecunda Maii, ut in Tabula tertia ordinis perpetui, Venetiis ad Laudes in Feſto Aſcenſionis fit commemoratio de Die Octava S. Marci Evangeliſtæ Urbis præcipui Patroni: Si verò Aſcenſio venerit die trigeſima Aprilis, ut in Tabula prima, Segniæ in Dalmatia à parte Imperiali duæ occurrent commemorationes de duabus Diebus Octavis ſimul incidentibus in Feſtum Aſcenſionis, nempè, de Die Octava S. Georgii Martyris, illius Civitatis Patroni, & de die Octava S. Adalberti Epiſcopi & Martyris, Patroni Hungariæ. Quoad tamen alias Horas, omnia dicuntur ut hodie in Breviario. In nonnullis Ordinariis magna cum ſolemnitate dicitur Nona in hoc Feſto Aſcenſionis, quia ea hora creditur Chriſtus in Cœlum aſcendiſſe: Celebrans adeſt cappa indutus, incenſum adhibetur, & cantatur Proſa: ad Chriſti triumphum celebrandum, & dicitur Collecta, *Da, quæſumus, Domine, tuorum membra Fidelium ſubſequi, quò caput principiumque præceſſit*, ita refert Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 75. *pag.* 349. Attamen hæc eſt laudabilis ob myſterium, ſed ſpecialis aliquarum forſan in Gallia exiſtentium Eccleſiarum cæremonia, nam Auctor eſt Gallus, cæteroquin nihil habetur de hac Nonæ ſolemnitate in Romanis Rubricis.

664 Hoc tamen loco adnotanda venit celebris illa 665
Proceſſio, quæ priſcis temporibus hodie fiebat, de qua Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 9. *cap.* 9. *pag. mihi* 617. ac etiam Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 104. *ſub num.* 1. *pag.* 261. Hæc verò Proceſſio deſumpta fuit ex Evangeliſtis; Narrant enim fideliter Marcus *cap.*

16. ac Lucas *cap.* 24. & Act. Apoſt. *cap.* 1. Dominum quadrageſimo die à Reſurrectione ſua, undecim Diſcipulos in Jeruſalem congregatos extra Urbem eduxiſſe, & Bethaniam uſque progreſſum, inde in ſummum verticem Montis Oliveti conſcendiſſe; & poſtquam elevatis manibus, eis benedixit, ex eo loco in Cœlum fuiſſe ſubvectum; prætendente ſe nube clara, quæ eum ex oculis ſpectantium eripuit. Hujus igitur & Chriſti & Apoſtolorum itineris myſticam imaginem repræſentabat hujuſmodi Eccleſiaſtica Proceſſio: Qua in re, Clerus cum Populo procedens, ſanctum Apoſtolorum & Diſcipulorum comitatum Chriſto adhærentem demonſtrabat: & Eccleſia, ex qua exibat Proceſſio, ſignificabat Cœnaculum ipſum, ex quo à Chriſto educti ſunt Apoſtoli: Locus verò, ubi fiebat ſtatio, denotabat Montem Oliveti. Non tamen inchoabatur hæc Proceſſio, niſi poſt cantatam Tertiam forſan ut hora Aſcenſionis Nona deveniretur ad locum ſtationis; & in reditu cùm lætitia cantaretur, ut mos erat, immediatè Miſſa, quaſi & eis dictum eſſet illud: *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum.* De hac Proceſſione fusè loquitur Eveillon *de Proceſſ. Eccleſ. cap.* 22. *pag.* 243. ubi oſtendit adhuc eſſe in viridi obſervantia apud aliquas Galliæ Eccleſias: ſed Grancolas, cùm ſit etiam Gallus, & forſan ultimus ex ſcribentibus, facit quidem mentionem de hac Proceſſione, ſed non de præſenti Galliæ uſu, ut videre eſt *in loco ſupra citato.*

§. VI.

§. VI.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in ipſo Feſto Aſcenſionis Domini.

Miſſa in Feſto Aſcenſionis Domini eſt propria, in qua dicitur *Gloria in excelſis*, cum unica Oratione, nam ſi hodie occurrat Feſtum duplex, nihil fit de eo: neque facienda eſt commemoratio de Die infra Octavam alicubi incidentem: Verum quidem eſt, quòd ſi in aliqua Eccleſia, vel Civitate, aut Diœceſi, vel Religione occurrat una Dies Octava, aut etiam plures, de una vel pluribus fit in hodierna Miſſa commemoratio, ut ſupra oſtendimus ad Laudes. Dicitur & *Credo*, ac Præfatio propria, *Qui poſt Reſurrectionem ſuam*, cum ſuo *Communicantes* itidem proprio. Dicta Præfatio eſt omninò eadem, quæ antiquitùs legebatur in hac Miſſa, ut videre eſt in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *lib. 3. Operum*, *pag. 94.* ubi tamen per extenſum ponitur Benedictio ſolemnis priſcis illis temporibus ab Epiſcopo ſolita Populo impertiri, antequàm Euchariſtiam ſumeret, ut fuſiùs diximus *tom. 1. in Miſſa de Nativit. Dom.* Formula autem Benedictionis hodiernæ, ex eodem Sacramentario deprompta, erat ſequens, videlicèt: *Benedicat vobis Deus, cujus Unigenitus hodierna die Cœlorum alta penetravit, & vobis ubi ille eſt, aſcendendi aditum patefecit.* Amen. *Concedat propitius, ut ſicut poſt Reſurrectionem ſuam Diſcipulis viſus eſt manifeſtus, ita vobis in judicium veniens, videatur placatus.* Amen. *Et qui conſedere Patri in ſua majeſtate creditis, vobiſcum manere uſque in finem ſæculi ſecundùm ſuam* 666

pro-

promiſſionem ſentiatis. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium permanet in ſæcula ſæculorum*. Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum*

Alias tamen duas Præfationes extendere volu- 667
mus ad eruditionem Lectoris Eccleſiaſtici, quarum una antiquitùs dicebatur, altera verò adhuc dicitur in Miſſa de hoc Feſto Aſcenſionis. Itaque quæ antiquis diebus legebatur eſt Eccleſiæ Gallicanæ, quam ex Miſſali Gothico eruit celebris Mabillonius, & extendit *in Liturg. Gallic. lib.* 3. *pag.* 268. & eſt ea, quæ ſequitur, ſcilicet; *Verè dignum & juſtum eſt, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Aſcendit ſuper omnes Cœlos, & exaltatus throno gloriæ ſuæ, ſedet ad dexteram tuam, & promiſſum Sanctum Spiritum in filios adoptionis effundit. Unde lætantes inter Altaria tua, Domine virtutum, hoſtias tibi laudis offerimus cum Angelis & Archangelis, per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.* Quæ autem eſt in viridi adhuc obſervantia, Præfatio, eſt Eccleſiæ Ambroſianæ. Miſſale namque Ambroſianum Mediolani impreſſum propriam habet hodie Præfationem, ſequenti formula conceptam, nempè; *Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Qui poſt Reſurrectionem ſuam ſæculis omnibus glorioſam, Diſcipulis ſuis viſu conſpicuus, tactu palpabilis, uſque in quadrageſimum diem manifeſtus apparuit; Ipſiſque cernentibus eſt elevatus in Cœlum, in id proficientibus inter has moras primitivas; ut certius fieret quod credidiſſent, & plenius diſcerent quod docerent, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Hæc verò Miſſa de Aſcenſione Domini, non 668
poteſt fieri Votiva infra Annum, quia omnia habet propria hujus Diei, & huic tantùm Solemnitati accommodata, ut nominatim expreſſa hac

etiam

etiam Miſſa, declaravit Sacra Rituum Congregatio de ordine Pauli Quinti, apud Angelum à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſa Ritus*, *ſub num.* 2. *pag. mihi* 332. De Feſto autem hodie
667 occurrente & transferendo, licèt ſit de Titulari Eccleſiæ, vel militet ratio Concurſus Populi ad illud celebrandum, non poteſt cantari Miſſa, quia eſt Dies expreſsè exceptus in Rubrica Generali Miſſalis *tit. 6. de translat. Feſtor.* Quoad tamen Oratoria privata, olim non poterat hac die in eis celebrari, juxta Concilium Agathenſe, relatum *in cap. ſi quis* 35. *diſt.* 1. ſed hæc Dies non eſt modò excepta, ut patet ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, quod, citata Doctorum caterva illud referentium, extendi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 293. *pag.* 88. & poſt meam illam editionem, tradit etiam la Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 128. ac noviſſimè illud habet Reverendiſſimus P. Merati in perutilibus Additionibus ad Gavantum *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 74. *pag.* 1361. & ideò in dictis Oratoriis privatis non eſt hodie prohibita celebratio, niſi in Brevi Appſtolico etiam hoc Feſtum excipiatur, vel remittantur Ordinario Loci Feſta excipienda, & ipſe Ordinarius excipiat; vel denique, niſi habeatur Conſtitutio Synodalis, hujus Feſti exceptiva, ut habetur Neapoli, juxta adnotationem, quam modò lego in Directorio illius Civitatis & Diœceſis.

In dicto Die Aſcenſionis non poteſt cantari 669
Miſſa Votiva pro re utcunque gravi, neque pro expoſitione SS. Sacramenti ratione Orationis quadraginta Horarum, nam in hujuſmodi caſu cantandam eſſe de Die, cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione, præcepit Clemens
668 Undecimus in Conſtitutione ad hoc emanata *ſub die* 20. *Januarii* 1705. quæ habetur in ejus particulari Bullario *par.* 2. *Conſtit.* 9. §. 10. *pag.* 312. & modò reperitur etiam in Bullario Roma-

no noviſſimæ editionis Luxemburgenſis de Anno 1727. *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtit. itid.* 9. ubi inter alios dies exceptos connumerantur omnia duplicia primæ claſſis: in privatis autem Miſſis de Aſcenſione omittitur dicta Oratio de SS. Sacramento, nam omittendam eſſe in duplicibus primæ & ſecundæ claſſis, reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in una Canonicorum Lateranenſium de anno* 1684. *ſub die* 2. *Decembris*, *ad quartum Dubium*, apud Fagiolum *in Kalendar. perpet. ration. in Adnotat. ad Menſem Sept. litt. P. ſub num.* 4. *pag.* 252. & refert etiam Monacellius *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *ſub num.* 2. *pag.* 51. ac tradit dictus P. Merati *loco proximè citato ſub numer.* 471. Idem dicendum, ſi in Feſto Aſcenſionis occurrat alicubi Dies Anniverſaria electionis & conſecrationis Epiſcopi, ita ut in Miſſa ſolemni de Feſto dicatur Oratio pro Epiſcopo ſub unica concluſione, & in privatis nulla Collecta de eo; ſiquidem ſi hoc modo faciendum eſt de SS. Sacramento, quod eſt majus: ita ad ſummum agendum erit de Epiſcopo, quod eſt minus. Sed neque hodie cantanda eſt Miſſa Defunctorum in Die Obitus, hoc enim ſervandum eſſe in quocunque Feſto duplici primæ claſſis, reſpondit eadem Sacra Rituum Congregatio *in Colleu. ad* 8. *Dub. anno* 1698. *ſub die* 5. *Julii*: quam reſolutionem, unà cum nonnullis aliis eadem die emanatis, ſed ad noſtram rem modò non facientibus, Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de manu propria Illuſtriſſimi D. Secretarii.

In Miſſa verò ſolemni de hoc Feſto Aſcenſionis Dominicæ, dicto Evangelio, extinguitur Cereus Paſchalis, nec ulteriùs accenditur, niſi in Sabbato Pentecoſtes ad Benedictionem Fontis, juxta Rubricam hodiernam in hac Miſſa. Extinguitur autem dictis à Diacono illis verbis, *Aſſumptus eſt in Cœlum*, quia reverà in eis repræſentatur Chriſti diſceſſus ab Apoſtolis, ait Bauldryus *in Man. Sa-* 67

crar.

ctrar. Cæremoniar. par. 4. *cap.* 13. *ſub numer.* 3. *pag.* 266. Attamen, licèt mihi non diſpliceat ejus opinio, nihilominùs Rubrica dicit; *dicto Evangelio*, nam adhuc reſtat effectus Aſcenſionis, *Et ſedes à dextris Dei*, unde debemus expectare integrum Aſcenſionis iter uſque ad thronum gloriæ: ergo extinguendus videtur dictus Cereus Paſchalis in ultimo verbo Evangelii, in quo Diſcipuli prædicando, agnoverunt ab Aſcenſione confirmationem ſermonis, ſequentibus ſignis. Extinctus autem, non ſtatim removetur, ſed poſt horam Miſſarum in Sacriſtiam defertur, unà cum Candelabro, cui fuerat affixus, ut arbitratur Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 9. *cap.* 7. *ſub num.* 2. *pag.* 435. ſed, ut verum fatear, repræſentatio diſceſſus Chriſti valdè relucet in Miſſa ſolemni, cui Populus aſſiſtens magis movetur ad recognoſcendum myſterium in viſibili Cerei remotione, quando & Clerus denotat Diſcipulos Aſcenſionem Chriſti cernentes. Rationabiliter autem extinguitur hodie, nam ſicuti ejus accenſio in Paſchate ſignificabat Chriſtum reſurgentem, ut diximus *tom.* 1. *de Sabb. Sanct.* ſic hodierna ejus extinctio denotat Chriſtum diſcedentem, & aſcendentem in Cœlum. De hujus tamen Cerei extinctione, nihil in Miſſalibus reperiri uſque ad Sanctum Pium Quintum, neque apud antiquiores Auctores, teſtatur Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *ſub num.* 15. Et reverà, neque Rupertus Abbas, qui floruit circa annum Domini 1110. neque Gulielmus Durandus, qui vixit circa annum 1280. ullam faciunt mentionem de Cereo extinguendo, & tamen uterque inſtituit ſpeciale caput de Feſto Aſcenſionis. Sanctum autem Pium Quintum, qui creatus fuit Summus Pontifex anno 1566. ſub die 7. Januarii, præcepiſſe hodiernam Cerei Paſchalis extinctionem ad Evangelium hujus Diei, abſolutè dicit Grancolas *in Commentar. ad Brev. Roman. lib.* 2. *cap.* 75. *pag.* 349.

In Cathedrali verò Eccleſia celebrare poterit 671

 hac

hac die Epiſcopus, niſi legitimè fuerit impeditus, nam & hunc Diem Aſcenſionis expreſsè nominat Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 34. §. 2. *pag. mihi* 416. *juxta recentiorem editionem Romanam de Anno* 1729. *ſub Benedicto XIII. ultimo ejuſdem Caremonialis recognitore*. Conſequenter erit à ſuis Canonicis de more aſſociandus in ſuo adventu ad Eccleſiam, ac in reditu ad locum conſuetum: ſiquidem hunc etiam Diem inter Feſtivitates per Annum ſolemnes ad effectum aſſociationis hujuſmodi nominatim inſeruit Sacra Rituum Congregatio in ſuo Decreto *de Anno* 1632. *ſub die* 1. *Decembris*, apud Barboſam *de Canon. & Dignit. cap.* 32. *ſub numer.* 111. & ex eo refert etiam modernus doctiſſimus Urſaya *Diſceptat. Eccleſiaſt. tom.* 1. *par.* 1. *diſcept.* 19. *ſub num.* 24. Licèt autem dictum Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 15. §. 1. & 2. *pag.* 94. & alibi, nominet quoad hoc tantùm Canonicos; tenentur tamen etiam Dignitates eum aſſociare cum Canonicis ex debito, ut declaravit eadem Sacra Rituum Congregatio *anno* 1609. *ſub die* 10. *Januarii*, apud Gavantum *in Man. Epiſcopor. verb. Canonicor. mun. erga Epiſc. ſub num.* 21. *in addit.* & egomet retuli in mea Collectione de Canonicis utriuſque Eccleſiæ, *ſub numer. margin.* 400. *in ſecunda Paterna editione*. Adveniente autem hora procedendi ad Altare, ad quod Miſſa eſt celebranda, omnes proceſſionali ritu è Sacrario, ſeu loco aliquo in Cathedrali deputato egrediuntur bini & bini, ut præſcribit memoratum Cæremoniale *lib.* 2. *cap.* 8. §. 24. *pag.* 233. Quod verò præſcribitur hoc loco, intelligitur, ut Canonici bini egrediantur in Solemnitatibus, ita eadem Sacra Rituum Congregatio *anno* 1628. *ſub die* 12. *Junii*, apud dictum Gavantum *in Man. verb. Canonicor. mun. in Choro*, *ſub num.* 24. & refert etiam Bauldryus *in Man. Sacrar. Cærem. par.* 2. *cap.* 1. *ſub num.* 2. *pag.* 68. nec non Scarfantonius ad Ceccoperium *par.* 1. *lib.* 2. *ſub num.* 21. *pag.* 107. *juxta edit. Lucan. de Anno* 1723.

Inter

Inter Solemnitates tamen procul dubio connumeratur illa Aſcenſionis Dominicæ, ut clarè patet ex ſuperiùs dictis. Dicta verò Proceſſio non fit, ſi Epiſcopus ſumat paramenta in Presbyterio ad ſuam Sedem, vel in Faldiſtorio, ut ſubdit Cæremoniale *lib. 2. cap. 8. §. 25. pag. 234.*

In quacunque tamen Eccleſia, dum in Miſſa ſolemni Chorus cantat Symbolum, non debet Celebrans proſequi Miſſam, eo quòd ipſe celeriùs dixerit *Credo*, hoc enim prohibuit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1695. *ſub die* 17. *Decembris* apud Marcum Antonium Fagiolum *in Kalendar. perpet. ration. in Adnotat. ad Januar. ſub num. 3. pag. 68. juxta edit. Bononien. de Anno* 1705. & refert etiam P. Merati *tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num.* 510. Non debet enim Sacerdos quaſi tempus redimere, aut moræ tædio perculſus continuare, ſed expectare tenetur Symboli cantati complementum, & poſtmodùm ſucceſſivè pergere in Miſſa, alioquin pœna aliqua erit mulctandus, ut *ex Synodic. Diœceſ. Benevent. par. 1. tit. 29. cap. 7.* refert Joannes Baptiſta Braſchius *in Promptuario Synodali, cap. 80. ſub num.* 19. Illud denique advertere debet Cæremoniarius, ſeu alius, cui Chori cura eſt demandata, quòd, cùm dicitur Symbolum in Miſſa ſolemni, non intermiſceatur Organi ſonus, ſed illud per Chorum cantu intelligibili proferatur, ut verbis utar Cæremonialis Epiſcoporum *lib. 1. cap. 28. §. 10. pag.* 168. & ſic etiam habet Concilium Provinciale Mediolanenſe Tertium, apud Gavantum *in Man. Epiſcopor. verb. Miſſa Conventualis, ſub num.* 22. ubi reverà ſic clarè legitur: *Symbolum totum cantatur à Choro, non alternatim cum Organo.* Non enim debemus noſtræ Fidei confeſſionem delectabiliter interrumpere per ſonum, ſed graviter continuare per cantum: dum enim omnes Articulos noſtris linguis loquendo proferimus, credimus: unde ex integra Fidei confeſſione noſtris vocibus prolata, poſſumus dicere cum Pſalmiſta: *Credidi, propter quod locutus ſum.*

673

Veſperæ denique ſecundæ ſemper erunt ex integro de Aſcenſione Domini, & quidem dicendæ, ut hodie in Breviario, cum unica Oratione, tam ſi die ſequenti Officium ſit de Octava, quàm ſi in Officio de Octava occurrat Feſtum Simplex, vel alicubi recurrat aliqua Dies infra Octavam ſpecialem. At ſi in hoc Feſtum incidat alicubi Dies Octava, in ſecundis Veſperis hodiernis facienda etiam eſt commemoratio de illa Die Octava ſimul occurrente, ut ſi Aſcenſio venerit die nona Maii, ut in Tabula undecima ordinis perpetui, Friſingæ in Bavaria in ſecundis Veſperis de Aſcenſione fit commemoratio de Die Octava Dedicationis illius Eccleſiæ Cathedralis: Si occurrerit die vigeſima quinta ejuſdem Menſis, ut in Tabula vigeſima ſexta, Camerini in Marchia Anconitana fit commemoratio de Die Octava S. Venantii Martyris Urbis Patroni in dictam diem incidente. Cæterùm hæ ſecundæ Veſperæ admittunt quamcumque commemorationem de Feſto ſequenti, ſive illud ſit duplex, ſive etiam ſemiduplex, ut dicitur in Rubrica Breviarii *tit. 9 C de ommemor. ſub num.* 4. Etiamſi cras agendum ſit de Patrono Loci, vel de Titulari Eccleſiæ, hodie tamen non fit diviſio Veſperarum à Capitulo, ut cæteroquin in praxi vidi obſervatum, & adnotatum lego in aliquibus Diœceſanis Directoriis. 673

Ut autem terminemus Diem cum aliqua ſalutari conſideratione ſuper admirabilem Domini noſtri Aſcenſionem: Chriſtus in Cœlum aſcendit poſt adimpleta Patris mandata; unde aſcenſurus dixit Patri: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*: Si ergo volumus & nos aſcendere, debemus ſervare mandata, ut ſequamur veſtigia ejus. Quia verò Venerabilis Beda adimplevit, recitans Antiphonam illam, quæ habetur ad Magnificat in hodiernis ſecundis Veſperis nempè, *O Rex Gloriæ*, dum venit ad illa verba ejuſdem Antiphonæ, *ne relinquas nos orphanos*, obiit ſanctitate & 674

eru-

eruditione celeberrimus, & per viam à Chriſto demonſtratam aſcendit in Cœlum: meruitque, ut Angelicis manibus in Lapide Sepulchrali ſcriberetur, *Venerabilis Beda*: quem titulum utpotè cœleſtem ſemper retinuit Eccleſia.

§. VII.

De Diebus infra Octavam Aſcenſionis Dominicæ occurrentibus.

IN Diebus infra Octavam Aſcenſionis Domini occurrentibus celebratur Officium ſub ritu ſemiduplici in colore albo. Omnia dicuntur, ut in Feſto, exceptis tamen Lectionibus, quæ in omnibus & tribus Nocturnis quotidiè ſunt propriæ. Si aliqua die occurrat Feſtum Simplex, ad Matutinum dicitur nona Lectio de eo, & in Laudibus fit ejus commemoratio, & ante iſtam fit commemoratio alicujus Diei infra aliam Octavam alicubi forſan ſimul occurrentem. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui ſcandis ſuper ſidera*, & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum ſtropha propria, videlicet, *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor, &c.* 675

Hæc tamen Octava, cùm ſit communis, admittit quodcunque Feſtum duplex etiam minus, tam occurrens, quam translatum, etiam ante Octavam. Imò acceptat & Feſtum Semiduplex, dummodò reverà occurrat, & translatum non ſit, niſi veniat in Dominica infra Octavam, de quo dicemus ſuo loco. Gavantus tamen *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 3. factus interpres illius verbi poſiti in Rubrica Generali Breviarii *tit.* 7. *de Octa-* 676

vis, *ſub numer.* 3. ſcilicet, *etiam translatis*, tenet, quòd hoc verificetur non ſolùm, quando Semiduplex occurrit in Dominica, ſed etiam quando occurrit in Feſto Aſcenſionis, in quibus duobus caſibus transfertur in diem proxime ſequentem, ſi non eſt impedita. Et quia ſtatim ſubdit: *Rubrica verò hæc non loquitur de Semiduplicibus occurrentibus ante Octavam, quia ſine dubio transferri debent poſt Octavam*: Guyetus putat, ſed non aſſeveranter, quòd non ſolùm transferri poſſit in Feriam ſextam ſequentem non impeditam Semiduplex illud, quod occurrit in Feſto Aſcenſionis, ſed etiamſi ſit translatum à Dominica quinta poſt Paſcha, ſi per triduum intermedium non potuerit reponi, & dicta Feria ſexta ſit vacua, ſeu non impedita. At, ut verum fatear, ſicuti dubitabam de opinione Gavanti, ſic minùs placuit illa Guyeti, quam habet *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 3. *cap.* 8. *verſ. Occurrat*, *pag.* 261. Ex quo factum eſt, ut in meo quarto Romano Divinorum Officiorum Decennio, ab Anno ſcilicet 1733. uſque ad Annum 1742. incluſivè, dum Anno 1736. occurrebat Aſcenſio Domini die decima Maii, in quam incidit etiam Feſtum ſemiduplex univerſale S. Antonini Epiſcopi Confeſſoris, die undecima in Feria ſexta non impedita egi de Die infra Octavam ejuſdem Aſcenſionis, & Feſtum dicti S. Antonini, quod heri occurrebat, transtuli extra Octavam ad diem nonam Junii in Sabbato juxta Rubricas.

Cùm tamen audiſſem ab admodum Reverendo 677
Domino Joſepho Petruccio digniſſimo Beneficiato in Cathedrali Ferrarienſi, quòd humillimè inſtante Reverendiſſimo Domino Joſepho Peccenino Cæremoniarum Magiſtro in eadem Cathedrali, Sacra Rituum Congregatio ſub die 21. Martii 1733. reſpondit, *Semiduplex occurrens in Feſto Aſcenſionis transferendum eſſe in Feriam ſextam ſequentem non impeditam*, enixè rogavi, ut dignaretur tranſumptum mittere illius Decreti. Quia verò reſponſum dedit, non poſſe ejuſdem Reſolutionis

exem-

Digitized by Google

exemplar tranſmittere, eo quòd aſſervetur in Archivio Capitulari, fuit à me requiſitus quidam dignus Coadjutor in Sacra Rituum Congregatione, qui ita benignè dignatus eſt mihi reſpondere, videlicet: *La Riſoluzione del Memoriale dato a nome del Maſtro di Cerimonie della Cattedrale di Ferrara ſotto li 21. Marzo 1733. per il Dubbio, &c. non ſi può dar fuori, per non eſſer ſtato ſpedito per Decreto, ma per ſolo Reſcritto in piedi del ſuddetto Memoriale.*

Dum igitur anceps adhuc eram quid in poſte- 678
rum circa hujuſmodi caſum agendum eſſet, pervenit ad me Pars prima Tomi ſecundi *de Additionibus ad Gavantum* à Reverendiſſimo P. Merati digniſſimo ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultore egregiè factis (quam quidem Partem primam habere non potui in primo meo Tomo jam impreſſo de Octavis Privilegiatis, eo quòd tunc Romæ erat ſub prælo) in cujus Partis primæ diligentiſſimo Indice *ſub numero* 316. unum inveni ad rem Decretum ad amplum favorem Semiduplicis in Feſto Octavam habente, ut præfertur, occurrentis, juxta dictum caſum Aſcenſionis in die S. Antonini de anno 1736. ſcilicet: *Dum Semiduplex incidit in Feſtum habens Octavam, vel in Dominica infra Octavam, & dies immediatè ſequens non eſt impedita, ſed reſtat celebrandum duplex, verbi gratia, hoc anno 1736. in quo Feſtum Aſcenſionis incidit in diem decimam Maii, ſeu in Feſtum S. Antonini, & remanet celebrandum Feſtum S. Petri Martyris, quod*
671 *eſt duplex: Quæritur, an die undecima Maii, nempè immediatè ſequenti, celebrari debeat Feſtum ſemiduplex S. Antonini juxta Rubricam de translat. Feſtor. tit. 10. ſub num. 5. transferendo ulteriùs Feſtum S. Petri Martyris?* Et Sacra Rituum Congregatio reſpondit, *Affirmativè, in Brugen. die* 23. *Junii* 1736. & idem omninò confirmavit *in Mechlinen. die* 16. *Februarii* 1737. unde magis viget opinio Gavanti, & corruit illa Guyeti. Quod autem conceditur Semiduplici occurrenti in Feſto Octavam habente, non conceditur Duplici, ita ut ſi occurrat in

Die

Digitized by Google

Die Aſcenſionis, de eo non erit agendum in Feria ſexta ſequenti licèt non impedita, ſi habeantur reponenda alia duplicia translata ejuſdem ritus, & eis idcircò conveniat prioritas temporis in translatione.

Quotieſcunque infra hanc Octavam Aſcenſionis 679
fiat de Feſto novem Lectionum, licèt hæc Octava habeat Antiphonam ad unumquemque Pſalmum Nocturnorum, ceſſante tamen Officio Octavæ, Pſalmi cujuſvis Nocturni dicuntur ſub una tantùm Antiphona more Paſchali. Si verò occurrat Feſtum Simplex, ad Matutinum dicitur nona Lectio de eo, niſi Feſtum ſit duplex primæ claſſis. Ad Laudes autem fit commemoratio Octavæ, & Feſti Simplicis forſan occurrentis: ſed ſi Feſtum ſit duplex ſecundæ claſſis fit commemoratio Simplicis, non tamen Octavæ: & ſi fuerit duplex primæ claſſis, omittitur commemoratio Octavæ, & Simplicis. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus, *Qui ſcandis ſuper ſidera*: & ad omnes Horas clauduntur Hymni ejuſdem metri cum ſtropha Octavæ, videlicet, *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor, &c.* niſi Feſtum habeat in Hymnis clauſulam propriam; ut ſi Dies tertia Junii veniat infra Octavam Aſcenſionis, Meſſanæ in Sicilia occurrit Feſtum duplex primæ claſſis de Deipara à Sacris Litteris nuncupata Urbis Patrona, & ibi ad Primam dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas terminantur Hymni cum clauſula propria, ſcilicet, *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*, excepto Hymno Matutini in Communi plurimorum Martyrum, ſi Officium fiat de eis, ut infra.

Si verò infra eandem Octavam Aſcenſionis fiat 680
de SS. Nereo & Sociis Martyribus, vel de alio Feſto, cui conveniant Hymni de Communi plurimorum Martyrum, ad Hymnum Matutini non mutatur clauſula, quæ reputatur propria ob illa verba, *Ut Martyrum conſortio jungas precantes ſervulos*,

vulos,

Digitized by Google

vulos, ut benè notat Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 5. *capitul.* 6. *ſub numer.* 13. & optimè Guyetus *in Heortolog. libr.* 3. *ſect.* 1. *capitul.* 5. *quæſt.* 7. *verſ. Secundò*, *pagin.* 174. Sed ſicuti ad Matutinum eſt clauſula propria, & non Octavæ, ſic ad reliquas Horas clauſula debet eſſe Octavæ, non verò propria: Clauſula namque propria unius tantùm Hymni non extenditur ad omnes Hymnos totius Officii: hoc etenim legitimè infertur ex ſequenti Declaratione de Sanctis Angelis Cuſtodibus; quorum Feſtum cùm celebretur in tota Germania, & in omnibus Ditionibus Imperialibus cum Octava à Dominica prima Septembris ad ſecundam ejuſdem Menſis, ſic quæſitum & reſolutum fuit: *Propoſitis in Sacra Rituum Congregatione ad humillimas preces Decani, & Capituli Cathedralis Curienſis ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinale Colloredo decem Dubiis*, inter ea fuit quartum, ut ſequitur, nempè: *Utrum in Feſto; & per Octavam SS. Angelorum Cuſtodum, Hymni ejuſdem metri terminari poſſint, ſicut terminatur, eorum Hymnus in Laudibus per ſtropham = Deo Patri ſit gloria, qui quos redemit Filius, & Sanctus unxit Spiritus, per Angelos cuſtodiat =* Et Sacra eadem Rituum Congregatio in Curien. ſub die 19. Junii 1700. ad quartum Dubium reſpondit, *Negativè*: Hanc Declarationem, unà cum aliis eadem die emanatis, ego Domi retineo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii.

Quòd ſi in Feria ſexta immediatè poſt Diem 681
Aſcenſionis occurrat Feſtum S. Venantii Martyris, ut in Tabula decima octava ordinis perpetui, ſicuti primæ ejus Veſperæ ſunt impeditæ à ſecundis digniorībus de Aſcenſione, non ſolùm in Eccleſia Univerſali, ubi Feſtum eſt ſemiduplex, verùm etiam Camerini in Marchia Anconitana, ubi eſt Patronus Loci, & ideò celebratur ibi ſub ritu duplici primæ claſſis, ſic, ut

tota

tota recitetur vel decantetur hiſtoria Martyrii, Hymnus proprius Veſperarum uniatur Hymno Matutini, & ex duobus fiat unus, ſub unica concluſione, *Sit laus Patri, ſit Filio*: ut de S. Martina Virgine & Martyre ſimilem Hymnorum unionem ad Matutinum eſſe faciendam, ſub unica concluſione, *A nobis abigas*, decrevit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1692. *ſub die* 26. *Aprilis*: quod quidem Decretum de dictis Hymnis S. Martinæ factum eſt poſtmodùm Rubrica Breviarii *ſub die trigeſima Januarii*. Cùm autem ſimilium eadem ſit ratio, idem propterea dicendum de aliis Feſtivitatibus alicujus Diœceſis vel Religionis, proprios habentibus Hymnos, & ſucceſſivas continentes actiones, eodemque compoſitos metro, ſi forſan reſpectivè occurrant in dicta Feſtum Aſcenſionis. In iiſdem verò Hymnis S. Venantii, qui proprii ſunt in utriſque Veſperis, ad Matutinum, & ad Laudes, non variatur clauſula, nam efficitur propria ex illis verbis, *Da per preces Venantii beata nobis gaudia*. Eadem verò clauſula in dictis propriis Hymnis permanente, in cæteris Horis clauduntur Hymni cum ſtropha de Octava Aſcenſionis, nempè, *Jeſu, tibi ſit gloria, qui victor, &c.* 682.

682 Nullum modò habetur in Eccleſia Univerſali Officium ad libitum, quod poſſit occurrere infra hanc Octavam Aſcenſionis, prout habebatur meis temporibus tum Officium S. Antonini die decima Maii, tum etiam S. Ubaldi die decima ſexta ejuſdem Menſis, quæ quandoque occurrebant infra hanc Octavam, & omittebantur, ſed hiſce diebus ſunt de præcepto, & celebrantur, nam Officium S. Antonini ex Semiduplici ad libitum erectum fuit ad Semiduplex præceptivum *anno* 1707. *ſub die* 2. *Aprilis*, Officium verò S. Ubaldi *anno* 1701. *ſub die* 10. *Decembris*. Quòd ſi in aliqua Diœceſi vel Religione reperiatur conceſſum aliquod Officium ad libitum, & veniat infra hanc Octavam, eo anno eſt omittendum, non

trans-

tranſferendum: Hoc tamen omnibus convenit & ſolis ad libitum recitandis Officiis infra quamvis Octavam occurrentibus, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1682. *ſub die* 24. *Januarii in Decreto Generali*, quod ego Domi retineo in forma authentica, ſed modò reperitur etiam apud Monacellium *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *titul.* 13. *formular.* 2. *ſub numer.* 24. *pag.* 68. & iterum & clariùs ita reſolvit eadem Sacra Rituum Congregatio in ſequenti Declaratione, nimirùm: *Pro parte Procuratoris Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium ſupplicata fuit Sacra Rituum Congregatio pro Declaratione nonnullorum Dubiorum*, inter quæ decimum quartum, cæteris omiſſis, eſt tenoris ſequentis, videlicet: *An in Die infra Octavam non privilegiatam fieri poſſit Officium de Sancto ad libitum eo die occurrente: putà, de S. Eliſabeth Regina Portogalliæ die quarta Julii infra Octavam SS. Apoſtolorum, & ſimilium?* Et eadem Sacra Rituum Congregatio ad decimum quartum Dubium reſpondit, *poſſe de S. Eliſabeth ex particulari conceſſione Sacræ Rituum Congregationis; non verò de cæteris ad libitum: Et ita declaravit die* 2. *Decembris* 1684. = *N. Card. Ludoviſius.* = *L.* ✠ *S.* = *Bernardi-*
68 *nus Caſalius S. R. C. Secretar.* Notandum tamen eſt, quòd quando facta fuit dicta Reſolutio, Officium S. Eliſabeth celebrabatur ſub ritu ſemiduplici ad libitum infra dictam octavam SS. Apoſtolorum, ſed ne in Eccleſia Univerſali daretur caſus celebrandi infra Octavas hujuſmodi Officia, translatum dictum Feſtum à die quarta Julii ad diem octavam ejuſdem Menſis, & datus ei fuit ritus ſemiduplex de præcepto *ſub die* 18. *Decembris* 1694. approbante Innocentio Duodecimo *ſub die* 19. *Januarii* 1695. ſed pluries poſtmodum declaravit eadem Sacra Congregatio, non poſſe infra Octavas fieri de dictis Officiis ad libitum, ut *anno* 1691. 11. *Auguſti*, & 1693. 10. *Januarii*, apud P. Merati *tom.* 2, *par.* 1, *in Indice*, *ſub nu.* 160. & 174.

Sed

Sed neque celebrari poteſt infra hanc Octavam 683
Aſcenſionis, vel infra aliam quamcunque Octa-
vam, Officium illud ſive ſemiduplex, ſive etiam
duplex, quod aliquibus Congregationibus, Reli-
gionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſ-
ſum ſit à Sancta Sede Apoſtolica, ut ſemel in
ſingulis Hebdomadis vel Menſibus celebretur:
Hoc enim clarè patet ex ea, quæ ſtatim ſequi-
tur, Declaratione, videlicet: *Pro parte P. Pro-
curatoris Generalis Congregationis Canonicorum Re-
gularium Lateranenſium, nec non pro parte Prioris
dictorum Canonicorum Regularium ad Pacem de Ur-
be; ſuplicata fuit Sacra Rituum Congregatio pro
declaratione aliquorum Dubiorum*, & inter alia re-
peritur tertium ſequentis tenoris, nempè: *An
Commemoratio, ſive Officium Commemorationis San-
cti Patris Auguſtini, quæ ex Privilegio fit à Con-
gregatione Canonicorum Regularium Lateranenſium
ſemel in Menſe ſub ritu duplici in prima die Menſis,
in qua Feſtum alicujus Sancti non occurrit, fieri
poſſit infra Octavam non privilegiatam, præcipuè cùm
aliter fieri nequeat?* Et eadem Sacra Rituum Con-
gregatio ad tertium Dubium reſpondit: *Negati-
vè: & ita declaravit die 7. Decembris 1680.* = *Pro
Eminentiſſimo D. Cardinale Fachenetto Præfecto, Ni-
colaus Cardinalis Ludoviſius:* = *L.* ✠ *S.* = *Ber-
nardinus Caſalius Sacræ Rituum Congregationis Se-
cretarius.* Hæc tamen particularis Declaratio
confirmatur in Decreto Generali ejuſdem Sa-
cræ Congregationis, quod legitur initio Bre-
viarii Romani, emanato *ſub die* 20. *Martii*
1706.

Unum tamen reſtat Dubium reſolvendum: an 684
ſcilicèt celebrari poſſint infra Octavam Officia il-
la, quæ conceſſa ſunt aliquibus Diœceſibus, vel
Religionibus, aut Dominiis, cùm illis verbis,
recitari poſſit & valeat. Ratio dubitandi eſt, quia
illa verba non videntur præceptiva, ſed demon-
ſtrativa conceſſionis *ad libitum*. Sed Officia *ad
libitum* ex ſuperiùs dictis non celebrantur infra

683 Octavas: ergo neque Officia talibus verbis conceſſa. Et facit reſponſio Sacræ Rituum Congregationis data Ordini Minorum Obſervantium, & Reformatorum, in qua inter alia ſic habetur: *Cæterùm de Officiis, quæ ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel concedentur recitanda* ad libitum *à toto Clero tam Sæculari, quàm Regulari utriuſque ſexus in aliquo Regno, Provincia, Diœceſi, vel Loco, in quibus Religioſi morantur, poſſunt quidem* ad libitum *de ipſis recitare: ſed ſi aliquod ipſorum occurrat in die in eorum Calendario impedita à Feſto novem Lectionum, debent illud* ad libitum *omittere, & recitare de Sancto in eorum Calendario occurrente: Et ita declaravit hac die 13. Junii* 1682. Hanc verò declarationem ego Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſimi D. Secretarii.

Attamen, ut verum fatear, dicta verba in Decretis ſpecialibus appoſita, *recitari poſſit & valeat*, non ſunt, ut Aliqui arbitrantur, conceſſionis ad libitum, ſed expreſſivæ Gratiæ à Concedente factæ ad preces Petentis: Nec obſtat prædicta Declaratio pro Regularibus, quia Sacra Rituum Congregatio intelligit de Officiis conceſſis cum expreſſa notula *ad libitum*: ſed in dictis verbis, *recitari poſſit & valeat*, non habetur expreſſa dicta notula *ad libitum*: ergo ſunt Officia præceptiva. Et hoc adeò verum eſt, quòd dicta notula *ad libitum* debet legi in conceſſione, & tanti eam facit Sacra Rituum Congregatio, ut juſſerit, in Calendariis Locorum faciendam eſſe notam *ad libitum*, quando Officia non ſunt de præcepto, teſte Gavanto, *in fine tomi 2. ante Tabellam ordinis perpetui, pagin. mihi* 164. ubi citat Decretum *de Anno* 1638. *ſub die 6. Februarii*. Sed tandem noviſſimè eadem Sacra Rituum Congregatio, ſupplicante Ordine Hieroſolymitano, ita decrevit, ſcilicet: *Ordinis Hieroſolymitani*. ⁓ *Ex parte Cleri Sacri Ordinis Hieroſolymitani, pro declaratione infraſcriptorum Dubiorum Sacra Rituum*

tuum Congregationi ſupplicatum fuit : inter quæ ita habet ſextum , cæteris omiſſis : *An ſub nomine Sanctorum ad libitum , comprehendantur Officia duplicia & ſemiduplicia Sanctorum , recitari conceſſa aliquibus Regnis , Provinciis , Civitatibus , & alicui particulari Ordini , abſque expreſſa notula ,* ad libitum , *ſed tantùm cum ſequenti clauſula ,* recitari poſſit & valeat , *vel* recitari poſſe ? Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad ſextum Dubium reſpondit ? *Negativè : & ita decrevit , & ſervari mandavit . Die* 16. *Septembris* 1703. = *C. Card. De Marinis Præfect.* = *N. M. Tedeſchi Archiepiſc. Apamen. Sacr. Rit. Congr. Secret.* & refert etiam P. Merati in ſæpè laudatis Additionibus ad Gavantum *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice , ſub numer.* 311. ubi etiam alia duo ad rem Decreta *ſub numer.* 136. & 278.

Quia verò in Feria ſexta poſt Feſtum Aſcenſionis in primo Nocturno *Incipit Epiſtola ſecunda beati Petri Apoſtoli* , ideò ſi hac die fiat de Feſto proprias habente primi Nocturni Lectiones , vel requirente de Communi , tunc dictum *Initium* ponitur in Sabbato ſequenti : ut ſi Aſcenſio Domini occurrat die trigeſima Aprilis , vel ſecunda , aut quinta , ſive etiam ſeptima Maii , ut in Tabula prima , vel tertia , vel ſexta , aut octava ordinis perpetui , hæc Feria ſexta in Eccleſia Univerſali erit impedita à Feſto vel SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi , vel Inventionis S. Crucis , vel S. Joannis ante Portam Latinam , vel denique Apparitionis S. Michaelis Archangeli , in quibus & quatuor Feſtis habentur in primo Nocturno Lectiones propriæ : quapropter dictum *Initium* ponetur in Sabbato immediatè ſequenti in Officio vel S. Athanaſii , vel S. Monicæ , vel S. Stanislai , vel reſpectivè S. Gregorii Nazianzeni. Quòd & ſi Sabbatum fuerit impeditum , ſæpè memoratum *Initium* anticipatè ponetur in Feria tertia Rogationum , ſive Officium ſit de Feria, ſive fiat de Feſto hujuſmodi Lectiones

nes

nes admittente in primo Nocturno, impeditis Feria quarta, quinta, ſexta, & Sabbato: quia quando *Initia* non poſſunt poſtponi, poſſunt anticipari, dummodo ponantur intra propriam hebdomadam, juxta Rubricam *de Lect. tit. 26. ſub nu. 7.* ubi ſpecialiter loquitur de Initiis hujus temporis.

§. VIII.

De Miſſa, & Veſperis in Diebus infra Octavam Aſcenſionis Dominicæ. occurrentibus.

POſt eorum explicationem, quæ ad Officium in Diebus infra Octavam Aſcenſionis quomodolibet pertinebant, modò ſermo eſt 687
de Miſſa in dictis Diebus celebranda. Itaque ſi Officium ſit de Die infra Octavam, Miſſa ſemper erit eadem, quæ dicta fuit in Feſto. In ea tamen dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione *Concede*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Licèt autem ſit nobis liberùm dicere pro tertia Oratione alterutram ex dictis duabus aſſignatis, videtur tamen alternatim dicenda, ita ut ſi una die dicatur *Eccleſia*, altera die legenda ſit *pro Papa*, ut fuſiùs diximus *tom. 1. in Miſſa infr. Oct. Epiphan.* ubi quid agendùm, ſi Sedes Apoſtolica vacet, quidvè ſi Sacerdos habeat per litteras ad ſe transmiſſas privatam notitiam de verè ſecuta electione novi Pontificis, Nominiſque ſibi impoſiti. Quòd ſi occurrat Feſtum Simplex, ſecunda Oratio in Miſſa erit de eo, & tertia *Concede*. At

ſi incidat Dies Anniverſaria Creationis & Coronationis Papæ, vel Electionis ſeu Conſecrationis Epiſcopi, in prima occurrentia ſecunda Oratio erit *Concede*, & tertia *pro Papa*, nam licèt aliàs ſit liberum dicere unam vel alteram, in tali tamen caſu non eſt liberum dicere tertiam *Eccleſiæ*, & addere quartam *pro Papa*: & eo magis, quia Oratio in Die Anniverſaria Creationis & Coronationis eſt omninò eadem, quam Rubrica præſcribit infra hanc Octavam. Non tamen ità eſt in ſecundò caſu, in quo ceſſat arbitrium, unde ſecundò Oratio erit *Concede*; tertia *Eccleſiæ*, & quarta *pro Epiſcopo*: & etiamſi videatur eadem Collecta Papæ & Epiſcopi, utraque enim eſt, *Deus*; *omnium Fidelium Paſtor & Rector*, differt tamen una ab alia, nam in illa exprimitur Nomen *Papæ*, in iſta verò Nomen *Epiſcopi*: in illa dicitur *Eccleſia tua* tantùm, nempè *Univerſalis*, in iſta verò *Eccleſia tua* expreſſo nomine Civitatis, & ideò *particularis*: quapropter Collecta Epiſcopi addenda eſt poſt Orationes aſſignatas in Miſſali. An autem addenda ſit quinta in tali caſu, videbimus infra.

At quid dicendum, ſi in Miſſa privata de Die infra Octavam dicenda ſit Oratio pro aliquo Defuncto? Rubrica enim *de Commemor. titul.* 7. *ſub num.* 6. admittit hujuſmodi commemorationem, & ideò ait: *Si facienda eſt commemoratio pro Defunctis, ſemper ponitur penultimo loco*: Sed ſi ponatur penultimo loco in Miſſa de Die infra Octavam, Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa* excedit tertium locum, quod eſt contra Rubricam *de Oration. titul.* 9. *ſub numer.* 16. ubi reverà dicitur: *Si, cùm plures dicuntur Orationes, occurrat fieri commemorationem alicujus Sancti, ponitur ſecundo loco: & tertia Oratio dicitur, quæ aliàs ſecundo loco dicenda erat*: ergo in noſtro caſu Oratio *Eccleſiæ* vel *pro Papa* non habet locum. Inſuper in Miſſa de Vigilia Aſcenſionis præſcribitur privatim ſecunda Oratio *de Rogationibus*, & tertia 688

Conce-

Concede, quarta autem *Eccleſiæ* vel *pro Papa* nec nominatur. Imo quotieſcunque in Miſſali occurrit in Feſto Semiduplici ſecunda Oratio de Simplici; ſemper adnotatur dumtaxat tertia Oratio de tempore; quæ eſt prima ex duabus aſſignatis, & ſic altera numquam habet quartum locum: Et hoc verum eſſe tenet Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *capitul.* 21. *quæſt.* 24. *pagina* 316. ubi probat, quòd impedito ſecundò loco ab Oratione de Vigilia vel de Feſto Simplici, tertia Oratio erit, quæ ſecundo loco dicenda erat, ſed expleto ternario numero altera Oratio ex aſſignatis non eſt ampliùs ex obligatione; quia ſolum occupat tertium locum. Itaque in noſtro caſu, dum Miſſa eſt de Die infra Octavam; ſecunda Oratio erit dicenda pro Defuncto, & tertia *Concede*; ſed quarta *Eccleſiæ* vel *pro Papa* non habet locum, & ſic videtur omittenda.

Nihilominus diverſo ordine in caſu ſuprà po- 689
ſito diſponendas eſſe Orationes; patet ex ſequenti Declaratione, ſcilicet: *Pro parte P. Procuratoris Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium, ſupplicata fuit Sacra Rituum Congregatio pro declaratione ſequentium Dubiorum*, quorum ſextum, cæteris omiſſis, eſt tenoris ſequentis, nempè: *Quæritur, an in Miſſa privata de Die infra Octavam dici poſſit Collecta pro particulari Defuncto, putà*, Inclina, *vel*, Deus, qui nos Patrem, *& ſimilia? & an ob iſtam omitti poſſit aliqua ex aſſignatis pro tempore, putà*, A cunctis, *vel* Eccleſiæ? Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad ſextum Dubium reſpondit: *poſſe in penultimo loco, nec omittendam ullam ex Collectis pro tempore aſſignatis: Et ita decrevit die* 2. *Decembris* 1684. = *N. Card. Ludoviſius*. = L. ✠ S. = *Bernardinus Caſalius Sacræ Rituum Congregationis Secretarius* & refert etiam P. Merati infra citandus, *ſub numer.* 473. *pagin.* 1401. Cùm igitur dicendæ ſint ambæ Orationes ex aſſignatis pro tempore, & ſecunda quæ tertio loco ponitur, non

ſit ex dictis quarto loco dicenda: ſequitur, quòd in dicta Miſſa de Die infra Octavam ſecunda Oratio ſit *Concede*, tertia *Eccleſiæ* vel *pro Papa*, & quarta *pro Defuncto*, ponenda quarto loco, videtur quòd addenda ſit quinta ad libitum Sacerdotis: & ſic per additionem quintæ Orationis, ſervaretur etiam illa numeri imparitas, ferè ſemper ſervata in Rubrica *de Oration. titul.* 9. ubi modò præſcribuntur tres Orationes, modò quinque, modò etiam ſeptem.

Quia tamen tam ſæpè dicta numeri imparitas 690
in Orationibus præſcribitur, eam, quoad fieri poteſt, ſervandam eſſe videtur: unde Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *titul.* 9. *ſub num.* 16. tuetur hanc numeri imparitatem, ſiquidem ei non ſatis placet ille ritus dicendi quatuor Orationes in Feriis Quadrageſimalibus, prima ſcilicet de Feria, ſecunda de Vigilia vel Feſto Simplici, tertia *A cunctis*, & quarta *Omnipotens*: ex quo patet, quòd ipſe vel adderet quintam, vel demeret quartam. Unde Sacra Rituum Congregatio *in Piſtorien. anno* 1709. *ſub die* 4. *Maii* ſic ad rem Gavanti reſpondit, nempè: *Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in Feria ſecunda Quadrageſimæ, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, non debet in Miſſa quarto loco dici Oratio* Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum, &c. *pro commemoratione Defunctorum, ſed ſufficit tertia Oratio* A cunctis: *Quòd ſi dicatur quarta* Omnipotens, &c. *quinta erit ad libitum*: ita refert P. Merati *tom.* 1. *Addit. ad Gavan. par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 613. *pagin.* 1418. Innocentius verò Papa Tertius *libr.* 2. *de Myſter. Miſſæ capitul.* 27. & commendat imparitatem, & ejus explicat ſignificationem, hiſce præciſis verbis: *Quia Deus numero impari gaudet, ſummoperè quidam obſervant, ut impares dicant Orationes in Miſſa, vel unam, vel tres, vel quinque, vel ſeptem: Unam, vel tres, propter unitatis Sacramentum, & myſterium Trinitatis: Quinque, vel ſeptem; propter quinquepartitam Domini Paſſionem,*

num, vel *ſapientiam gratiæ ſeptiformis*. Nihilominus non eſſe adeò neceſſariam dictam numeri imparitatem tenet Guyetus *in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. capitul. 21. quæſt. 23. pagin. mihi* 314. Et revera dantur etiam Rubricæ paritatem numeri præſcribentes: Sic in Dominica infra Octavam jubetur ſoli commemoratio Octavæ: infra Octavam Paſchatis; & Pentecoſtes præcipitur dumtaxat ſecunda Oratio *Eccleſiæ*, vel *prò Papa*, adeò ut ſi occurrat Feſtum Simplex, ſecunda Oratio eſt de eo, nec dicitur tertia, ut contra Guyetum diximus *tomo 1. de iiſdem Oct. Paſch. & Pent.* ubi ad rationes addidimus & Declarationem Sacræ Rituum Congregationis in hiſce terminis emanatam.

Cùm autem ſuperiùs diximus vigore Rubricæ, & etiam Declarationis Sacræ Rituum Congregationis, in Miſſa de Die infra Octavam ſi 691
contingat dici Orationem *pro Defunctis*, eam dicendam eſſe penultimo loco, credimus gratum fore Lectori Eccleſiaſtico, ſi aliquid de ratione dicti penultimi loci dicamus antequàm procedatur ulteriùs. Innocentius itaque Papa Tertius *de Myſter. Miſſæ, lib. 2. capitul.* 27. & ex eo Gavantus *tom. 1. par. 1. titul. 7. ſub numer.* 6. rationem eſſe cenſet, quia finis ad ſuum debet torqueri principium: non igitur dignitatis ergo; ſed ut à Vivis, de quibus in prima Collecta, ad Vivos, de quibus in ultima, fiat regreſſus: Hæc ille: & placet quidem ratio, ſed eſt ratio Vivorum, unde aliundè placet audire rationem. Quartus igitur recurrit ad Mortuos, nam *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par. 1. titul. 7. verbo, Senſus Myſticus, pagin. mihi* 69. tradit, quòd ideò dicta Collecta pro Defunctis ponitur penultimo loco, quia hoc ordine myſticè ſignificatur Locus Purgatorii, qui non eſt ultimus, & in centro terræ, ibi enim eſt Infernus, ſed immediatè ſupra Infernum, & conſequenter eſt penultimus: Pœnæ etiam, quas patiuntur Animæ Purgatorii,

non ſunt extremæ & ultimæ, quibus cruciantur Damnati ob adnexam deſperationem & æternitatem: ſed proximæ ultimis & extremis ob vehementes cruciatus: unde poſſunt dici penultimæ; Animabus ergo Purgatorii omninò congruit penultimus locus.

Ut autem proſequamur Miſſam de Die infra Octavam Aſcenſionis Dominicæ, in ea dicitur *Credo*, & Præfatio propria, ſcilicet, *Qui poſt Reſurrectionem ſuam*, cum *Communicantes* itidem proprio. Et hæc quidem, ſi Miſſa ſit de Die infra Octavam. At ſi occurrat Feſtum ſemiduplex, in cujus Miſſa ſit commemoratio Octavæ, cum ſola tertia Oratione *Concede*; Quòd ſi privatim facienda ſit commemoratio *pro Defunctis*, in Miſſa dicitur ſecunda Oratio Octavæ, tertia *Concede*, quarta Oratio erit *pro Defunctis*, & quinta ad libitum Sacerdotis. Si verò occurrat Feſtum Simplex, & forſan alia Dies infra ſpecialem Octavam, ſecunda Oratio dicitur de Aſcenſione, tertia de alia Die infra Octavam, quarta *pro Defunctis*, & quinta de Feſto Simplici. Attamen ſi Officium fuit de duplici minori vel etiam majori, adhuc in eo fit commemoratio Aſcenſionis, & Feſti Simplicis forſan occurrentis, niſi Feſtum ſit duplex ſecundæ claſſis, quia tunc in privati fit quidem commemoratio Simplicis, ſed non Octavæ, in ſolemni verò neque Octavæ, neque Simplicis. Denique ſi fiat de Feſto duplici primæ claſſis, in Miſſa tam privata, quàm ſolemni, omittitur utraque commemoratio, Simplicis ſcilicèt & Octavæ. 692

Quodcunque Officium celebretur infra eandem Octavam Aſcenſionis, ſemper dicitur Præfatio, & *Communicantes* de Aſcenſione, niſi Feſtum habeat Præfationem propriam, quia tunc dicetur quidem Præfatio Feſti, ſed *Communicantes* de Octava, licèt de Aſcenſione neque facienda ſit commemoratio, neque Præfatio dicenda: nam infra hanc Octavam dividi & ſeparari poteſt & 693

debet

debet Præfatio à *Communicantes*, ut meminit Gavantus *tom. 1. tit. 12. ſub numer. 5. litt. g. verſ. Ratio*, ubi citat Decretum Sacræ Rituum Congregationis *de Anno* 1627. *ſub die* 28. *Auguſti*, quòd revera tradunt nonnulli à me relati in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 527. *pagin.* 157. *juxta edit. Patern. de Anno* 1730. Volui tamen hoc Decretum habere integrum, prout de facto Domi retineo, in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii: eſt igitur ſequens: = *Urbis Dubiorum.* = *Fuit poſtulatum, à Sacra Rituum Congregatione reſponderi Dubiis infra. ſcriptis*, quorum ſecundum, cæteris omiſſis. = *An occurrente infra Octavam Aſcenſionis Domini Feſto SS. Philippi & Jacobi, ſeu Inventionis S. Crucis, quæ habent propriam Præfationem, & non admittunt commemorationem prædictæ Octavæ, ſit dicendum in Miſſa* Communicantes *de Aſcenſione?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio cenſuit, *eſſe dicendum. Die* 18. *Auguſti* 1627. Idem conſequenter dicendum Venetiis die ſecunda Maii in Die Octava S. Marcii Evangeliſtæ Patroni: idem die ſexta ejuſdem Menſis in Eccleſia Univerſali in Feſto S. Joannis ante Portam Latinam: idem etiam Meſſanæ in Sicilia die tertia Junii in Feſto Deiparæ à Sacris Litteris nuncupatæ, Urbis Patronæ, ſi aliquod ex prædictis Feſtis occurrat infra dictam Octavam Aſcenſionis, nam in primis duobus Præfatio erit de Apoſtolis, in tertio verò Præfatio de Beata Maria *Et te in Feſtivitate*, ſed in omnibus & tribus dicetur *Communicantes* de Aſcenſione. Ratio autem Gavanti *loco proximè citato* eſt, quia iſtud *Communicantes* habet infra hanc Octavam quaſi rationem de tempore, ſicuti haberet etiam Præfatio de Octava in prædictis Feſtis, ſi propriam Præfationem non haberent. Sed & Sacra eadem Rituum Congregatio *in Granaten. anno* 1686. *ſub die* 16. *Junii*, ad noſtram rem ſic iterum reſpondit, nempè: *Si urgente cauſa, celebranda*

branda eſt Votiva infra Octavam, quæ habeat Præfationem propriam, *ac* Communicantes: *in Miſſa Votiva debet dici Præfatio conveniens*, Communicantes *verò de infra Octavam*, *quia eſt proprium de illo tempore*, ut reſert Reverendiſſimus P. Merati *in addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice*, *ſub num.* 727.

Hæc tamen Octava Aſcenſionis Dominicæ, ſicuti eſt communis, ſic omnes & quaſcunque admittit Miſſas Votivas privatas, tam ſi Officium ſit de Aſcenſione, quam ſi celebretur Feſtum Semiduplex: imo in Feſto Semiduplici dici poteſt Miſſa Aſcenſionis, ſed ritu Votivo, ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, quia licèt ſit Miſſa de Octava, non eſt tamen Miſsa de Die, & cùm non concordet cum Officio, ſit ſtatim Votiva, & conſequenter more Votivarum celebranda, licet Aliqui appellent Miſſam ſemifeſtivam. Miſsæ autem Votivæ ſolemnes dici quidem poſsunt etiam in Feſto duplici, ſed non primæ & ſecundæ claſſis, ſi fiat de eo infra hanc Octavam, ut de Votiva ſolemni SS. Sacramenti præſcribit Clemens Undecimus in Bullario tam particulari ejuſdem Pontificis, *par.* 2. *Conſtitut.* 9. §. 10. *pag.* 312. quàm in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis de Anno 1727. *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtit. itid.* 9. nam ſicuti Paſqualigus *de Sacrific. nova Leg. tom.* 1. *quæſt.* 242. concedit Votivas ſolemnes in Feſto duplici primæ claſſis, quia ſupponit, poſse cantari in dicto Feſto Votivam de SS. Sacramento: ſic quia ex dictis non poteſt cantari dicta Votiva, quod eſt majus, neque poteſt cantari alia Votiva, quod eſt minus. In Votivis autem privatis facienda eſt commemoratio de Octava, ſed omittenda eſt in ſolemnibus: attamen, ſive Votivæ ſint privatæ, ſive ſolemnes, dicitur in eis Præfatio quidem propria, ſi habeant, ſed *Communicantes* de Aſcenſione, juxta Decretum, quod ſupra extendimus. 694

Inſuper dici poſsunt infra hanc Octavam non 695
ſolùm

ſolùm Miſsæ privatæ *pro Defunctis* ad Altare quomodolibet Privilegiatum, ſed etiam ad quodcunque aliud Altare, juxta devotionem vel obligationem Sacerdotum. Imò & majori ratione dicitur Miſsa ſolemnis Defunctorum in Die Obitus, niſi eo die fiat de Feſto duplici primæ claſſis, tum quia Feſtum duplex primæ claſſis eſt una ex
694 illis magnis celebritatibus, quas obſtare dicit, & ideò excipit Rituale Romanum *tit. de Exequiis, Rubrica* 5. tum etiam, quia in nullo ex dictis Duplicibus primæ claſſis, etiam præſente Corpore, dictam Miſsam in Die Obitus cantari poſſe, declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Collen. ad* 8. *Dub. anno* 1698. *ſub die* 5. *Julii*: quam Declarationem ego Domi aſſervo integram in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii: & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub num.* 525. Sed & cantari poteſt Miſsa Defunctorum in Anniverſario, nam hujuſmodi Anniverſaria non prohibentur niſi infra Octavas Privilegiatas, ut oſtendimus *in tomo primo de Oct. Privil.* ubi & Declarationem Sacræ Congregationis addidimus. Dicta tamen Anniverſaria, quæ vigore Decreti emanati *anno* 1664. *ſub die* 22. *Novembris*, poſſunt cantari etiam in Feſto duplici majori, non tamen cantanda ſunt in Feſto duplici ſecundæ claſſis, ut patet ex ſequenti Declaratione, nimirùm: *Supplicantibus humiliter Capitulo, & Canonicis Cathedralis Collenſis Sacra Rituum Congregationi pro declaratione infraſcriptorum Dubiorum*, quorum ſeptimum, cæteris omiſſis, ſic habet: *An in Anniverſario occurrente in Feſto duplici ſecunda claſſis poſſit cantari Miſſa de Requiem?* Et eadem Sacra Rituum Congregatio ad ſeptimum Dubium reſpondit: *Negativè: Die* 5. *Julii* 1698. & hanc pariter Declarationem Sigillo munitam, & ſubſcriptione firmatam Domi retineo.

Circa verò Veſperas infra Octavam Aſcenſio- 696
nis dicendas, ſi hodie & cras Officium ſit de O-

ctava,

ctava, hodiernæ Veſperæ dicuntur integræ, ut in ſecundis Veſperis Feſti, cum unica Oratione, ita Rubrica *de Octavis*, *tit*. 7. *ſub numer*. 5. niſi facienda ſit commemoratio Feſti Simplicis forſan ſubſequentis, ut docet Rubrica *de Concurren. Offic*, *tit*. 11. *ſub numer*. 6. vel niſi alicubi occurrat alia Dies infra Octavam ſpecialem, quia & de ea fieri debet in Veſperis commemoratio. Quòd ſi hodie fiat de Octava Aſcenſionis, & cras de Feſto Semiduplici; vel è contra, hodie de Feſto Semiduplici, & cras de Octava Aſcenſionis: Veſperæ erunt à Capitulo de uno vel altero ſequenti, cum commemoratione vel Octavæ vel Semiduplicis præcedentis. At ſi hodie occurrat Feſtum Semiduplex, & cras duplex minus vel majus, hodie in Veſperis de ſequenti fit priùs commemoratio Feſti Semiduplicis præcedentis, deinde de Die infra Octavam Aſcenſionis; nam licèt ſi cras fieret de Die infra Octavam, hodie eſſent Veſperæ reverà à Capitulo de ſequenti Die infra Octavam, cum commemoratione Feſti Semiduplicis præcedentis: quando tamen die ſequenti fit de Duplici minori vel majori, caſus concurrentiæ eſt diverſus, quia tunc Semiduplex eſt nobilius in ratione commemorationis per ſe loquendo (quia Feſtum eſt) quàm Dies infra Octavam, quæ eſt continuatio Feſti, ait & benè Gavantus *tom*. 2. *ſect*. 3. *cap*. 11. *ſub num*. 39. ubi dat exemplum Eccleſiæ Univerſalis, in qua quando Feſtum Semiduplex S. Thomæ Epiſcopi & Martyris occurrens in Dominica, celebratur in Feria ſecunda ſequenti, Veſperæ ſunt de Feſto duplici S. Silveſtri Papæ & Confeſſoris, cum commemoratione priùs S. Thomæ deinde Octavarum, ut præſcribit Rubrica Breviarii immediatè *ante Feſtum dicti S. Thomæ*. Hanc autem Gavanti opinionem laudabiliter ſequitur Guyetus, & hoc eſſe veriſſimum fatetur *in Heortolog. lib*. 4. *ſect*. 3. *cap*. 13. *quæſt*. 9. *pag. mihi* 276.

Si tamen hodie fiat de Die infra Octavam Aſcen- 697

ſcenſionis, & cras de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, Veſperæ hodiernæ ſunt quidem de ſequenti, ſed ſine commemoratione Octavæ, juxta Rubricam Generalem Breviarii *de Commemor. tit. 9. ſub num. 4. & 6.* Et ſi hodie Officium ſit de duplici primæ vel ſecundæ claſſis, & cras de Die infra Octavam, quoad primam concurrentiam, in ſecundis Veſperis nihil de Octava; ſed quoad ſecundam de duplici ſecundæ claſſis, in ſecundis Veſperis ſit commemoratio Octavæ, quia de ea ſit Officium die ſequenti, ut docet eadem Rubrica, *ſub dicto numero 6.* & concordat Notandum tertium *poſt Tabell. Concurren. in fine Rubricar. General.* Ex eo verò, quòd in ſecundis Veſperis de duplici ſecundæ claſſis ſit commemoratio de Die ſequenti infra Octavam Aſcenſionis, quia de ea ſit Officium, facienda tamen non eſt commemoratio de alia Die infra Octavam alicubi ſimul occurrente. Sequitur ex dictis, quòd ſi cras ſiat de aliquo Feſto etiam Semiduplici, hodie in ſecundis Veſperis de duplici ſecundæ claſſis ſit quidem commemoratio de ſequenti Feſto, ſed non de Octava Aſcenſionis, quia cùm non ſit libera, ſed impedita, ſuam deperdit commemorationem in prædicta concurrentia, juxta dictum Notandum tertium poſt Tabellam Concurrentiæ, ubi dicitur: *In ſecundis Veſperis Duplicis ſecundæ claſſis non ſit commemoratio de Die infra Octavam* (nota benè) *niſi quando de ea fieri debeat Officium die ſequenti.*

Licèt autem adhuc ſimus intra tempus Paſchale, & conſequenter non genuflectamus, hoc tamen intelligitur de Oratione, non de Adoratione: 698
unde ſi infra hanc Octavam Aſcenſionis occurrat Feſtum Inventionis S. Crucis, genuflectendum eſt, præſertim in Choro, ad Hymnum *Vexilla*, in Veſperis, dum cantatur ſtropha illa *O Crux, ave ſpes unica*, nec dicti Hymni clauſula eſt mutanda, dicendo illam hujus Octavæ, quia conſideratur propria, ob illa verba *Quibus Crucis victoriam*
691 *lar-*

largiris, adde præmium. Idem de Hymno Veſperarum S. Venantii Martyris, ſi ejus Feſtum incidat infra hanc Octavam, dummodo in primis Veſperis ſaltem retineat Capitulum, ita ut Hymnus habeat locum, nam clauſula eſt itidem propria, ſtantibus illis verbis *Da per preces Venantii beata nobis gaudia*. Ad Completorium denique in Diebus infra Octavam Aſcenſionis recurrentibus nihil aliud variandum eſt, niſi clauſula ad Hymnum *Te lucis, ante terminum*, terminatur enim cum clauſula Octavæ, nempè *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor, &c.* ſive Officium fuerit de Octava, ſive de Feſto utcunque ſolemni, niſi fiat de Feſto per totum Officium clauſulam propriam habente, ut ſi infra hanc Octavam includatur Dies tertia Junii, Meſſanæ in Sicilia fit de Deipara à Sacris Litteris Urbis Patrona, unde ibi ad Hymnos omnium Horarum dicitur clauſula de Beata Maria, ſcilicet, *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*, & conſequenter etiam ad Hymnum Completorii.

Si verò in Feria ſexta poſt Feſtum Aſcenſionis 699
occurrat Inventio S. Crucis, ut in Tabula tertia ordinis perpetui, non defuerunt Aliqui putantes in ſecundis Veſperis de Aſcenſione omittendam eſſe commemorationem ſequentis, eo quòd cùm Feſtum S. Crucis ſit & ipſum Feſtum Domini, non eſt de eodem bis agendum, non intelligentes varietatem Myſterii, ex cujus diverſitate reſultat Feſti differentia, ut benè obſervat & notat Gavantus *tom. 2. ſect. 7. cap. 7. ſub numer. 3.* Idem dicendum de Corona Domini, ubi celebratur die quarta Maii, ſub ritu duplici majori, ſi die tertia veniat Aſcenſio Domini, ut in Tabula quarta, nam in pluribus Hiſpaniarum Civitatibus, Compoſtellana, Seguntina, Conchenſi, Ovetenſi, & Pacenſi, facienda eſt commemoratio de eadem Corona in ſecundis Veſperis de Aſcenſione, ob eandem rationem diverſitatis Myſterii: & ſub eadem rubrica currit etiam Dedicatio Eccleſiæ, li-

cet & ipſa ſit Feſtum Domini, unde ſi Aſcenſio incidat in diem ſeptimam Maii, ut in Tabula octava, Parentii in Hiſtria ſub Dominio Veneto fit commemoratio de ſequenti Dedicatione Cathedralis. Epiſcopus denique in ſua Eccleſia, eadem poterit ſolemnitate celebrare haſce ſecundas Veſperas, qua celebravit primas: licet enim Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 1. §. 3. pag.* 148. inter ſecundas Veſperas expreſsè ibi enumeratas non inſerat has ſecundas de Aſcenſione: dictio tamen *ſaltem* ibidem poſita, poteſt quidem eſſe reſtricta ad ſecundas Veſperas expreſſas, ſed non excluſiva aliarum non expreſſarum, præſertim ſi ſunt Veſperæ de Feſto æqualiter ſolemniori, quales mihi videntur iſtæ ſecundæ de Aſcenſione.

§. IX.

De Dominica infra Octavam
699 *Aſcenſionis Domini.*

700 HÆc Dominica, quæ modò inſcribitur *Dominica infra Octavam Aſcenſionis*, antiquitùs nuncupabatur *Dominica poſt Aſcenſionem*, & ſub hoc nomine venit *in Sacramentario Gregoriano*, & ex priſca appellatione ita eam vocat Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 9. *cap.* 11. Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 105. ac ita Grancolas, qui noviſſimè eruit antiquitates Eccleſiæ, *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 75. *verſ. Pius V. pag.* 349. Romæ autem Dominica iſta dicebatur *Dominica Roſarum*, non quia eo die benedicerentur Roſæ, ut adhuc ſolemniter benedicit Papa in Dominica quarta Quadrageſimæ, ſed ſicuti hoc tempore Roſæ floreſcunt, ſic per Eccleſiam, ubi ſtatio erat, ſpargebantur, ut de hac antiqua conſuetudine men-

tionem

tionem facit P. Antonius Baldaſſarius Societatis Jeſu in ſuo Opuſculo Italicè conſcripto, cui titulus *La Roſa d' Oro*, *cap.* 3. §. 1. *pag.* 29. Primæ Veſperæ hujus Dominicæ infra Octavam Aſcenſionis, nunquam ſunt integræ, nam ſi in Sabbato actum ſit de Die infra Octavam, prima pars Veſperarum eſt Octavæ, ſecunda verò pars eſt Dominicæ, & ideò fit diviſio à Capitulo. Poſt Orationem Dominicæ fit commemoratio de Octava, ut in Breviario, ac etiam Feſti Simplicis, ſi forſan ſimul occurrat in eadem Dominica. At ſi alicubi incidat alia Dies infra Octavam ſpecialem, hæ Veſperæ admittunt etiam ibi ejus commemorationem.

Quòd ſi in Sabbato ante Dominicam infra Octavam Aſcenſionis factum ſit Officium de Feſto Semiduplici, & Dominica non ſit impedita, Veſperæ Sabbati dividendæ itidem ſunt à Capitulo, cum commemoratione Feſti Semiduplicis præcedentis, & etiam Feſti Simplicis forſan ſubſequentis. Si verò in Sabbato actum fuerit de duplici minori vel etiam majori, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio Dominicæ ſequentis, & Octavæ. At ſi hodie occurrit duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ſecundæ Veſperæ admittunt quidem commemorationem de Dominica cras occurrente, ſed non de Octava: & idem dicendum, ſi duplex primæ vel ſecundæ claſſis incidat in Dominicam. Circa verò alias concurrentias Feſtorum cum Feſtis in Dominica occurrentibus, regulentur Veſperæ juxta Rubricas, attenta qualitate ritus, & etiam majori Officiorum dignitate. Quia tamen vel in Sabbato, vel in Dominica poteſt occurrere Feſtum Inventionis S. Crucis, ut in Tabula prima vel ſecunda Ordinis perpetui, in primis reſpectivè vel ſecundis ejus Veſperis non mutatur clauſula ad Hymnum *Vexilla Regis prodeunt*: idem dicendum de utraque concurrentia pro Hymno S. Venantii Martyris in Civitate Camerinenſi, ubi eſt duplex primæ

claſſis,

Digitized by Google

claſſis, nam ejus clauſula, *Sit laus Patri, ſit Filio, &c.* eſt itidem retinenda, ſive ejus Feſtum occurrat in Sabbato, ut in Tabula decima ſeptima; & conſequenter in ſecundis Veſperis: ſive in Dominica, ut in Tabula decimaſexta, & ideò in Veſperis primis.

702 Hæc Dominica infra Octavam Aſcenſionis celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore albo. Quoad ejus Officium, ad Matutinum nihil habet de Pſalterio, totum ſumit ex Feſto. Lectiones tamen omnium & trium Nocturnorum ſunt propriæ, ac etiam octavum Reſponſorium. Si occurrat Feſtum Simplex, dicitur nona Lectio de eo. Ad Laudes Capitulum eſt proprium, *Chariſſimi: Eſtote prudentes*, ſed & eſt propria Antiphona ad Benedictus, *Cùm venerit Paraclitus*, nec non & Oratio, *Omnipotens ſempiterne Deus, fac nos, &c.* In dictis Laudibus fit commemoratio Octavæ, & alterius Diei infra Octavam alicubi forſan occurrentem, ac Feſti Simplicis quandoque incidentis. Ad Primam non dicitur Pſalmus *Confitemini*, nec Symbolum *Quicunque*, ſed tres Pſalmi ut in Feſtis: Ad Reſponſorium breve dicitur Verſiculus *Qui ſcandis ſuper ſidera*: Capitulum quoque non eſt illud Paſchale *Si conſurrexiſtis cum Chriſto*, quod hactenus dictum eſt in Dominicis, ſed eſt Capitulum Nonæ proprium hujus Dominicæ, nempè, *Si quis loquitur*: & ad omnes Horas terminantur Hymni cum ſtropha Aſcenſionis, *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor, &c.* cum Capitulis propriis, ut in hac Dominica.

703 Quòd ſi in hac Dominica infra Octavam Aſcenſionis occurrat Feſtum duplex minus vel etiam majus, ad Matutinum dicitur nona Lectio Dominicæ, & fit ejus commemoratio in Laudibus, ac etiam Octavæ, nec non & Feſti ſimplicis interdum occurrentis. At ſi Feſtum fuerit duplex ſecundæ claſſis, dicitur quidem nona Lectio Dominicæ, & fit ejus commemoratio ad Laudes, ſed non Octavæ, licèt facienda ſit commemora-

tio

tio de Feſto Simplici, ſi occurrat. Si verò Feſtum fuerit duplex primæ claſſis, nihil deperdit Dominica, ſed Octava ſuam amittit commemorationem, ſuamque Feſtum Simplex. Quodcunque duplex in hac Dominica celebretur, ad Primam dicitur Verſiculus *Qui ſcandis ſuper ſidera*, Hymni omnium Horarum clauduntur cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor, &c.* niſi Feſtum habeat in Hymnis clauſulam propriam: ut ſi hæc Dominica veniat die tertia Junii, ut in Tabula trigeſima ſecunda ordinis perpetui, Meſſanæ in Sicilia celebratur Feſtum duplex primæ claſſis de Deipara à Sacris Litteris Urbis Patrona, & ideo ibi ad Primam dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas clauſula Hymnorum eſt de Beata Maria *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*. Si verò celebretur Feſtum plurimorum Martyrum, cui conveniant Hymni de Communi, ut ſi hæc Dominica inciderit in diem decimamquartam Maii, ut in Tabula duodecima, Feltriæ in Dominio Veneto ſit de SS. Victore & Corona Martyribus Urbis Patronis, & ibi ad Hymnum Matutini dicitur clauſula, ut in Communi, *Te nunc, Redemptor, quæſumus, ut Martyrum conſortio, &c.* ſed Hymni aliarum Horarum habent clauſulam Octavæ. Ita ſi fiat de Feſto, quod habeat Hymnos proprios cum clauſula itidem propria, in reliquis Horis dicitur clauſula de Octava, ut ſi hæc Dominica occurrerit die decimaoctava ejuſdem Maii, ut in Tabula decimaſexta, Camerini in Marchia Anconitana celebratur Feſtum S. Venantii Martyris Civitatis Patroni, ad Veſperas, Matutinum & ad Laudes tantùm clauſula Hymnorum dicitur ibi propria, non autem in cæteris Horis.

Quia verò in primo Nocturno hujus Dominicæ infra Octavam Aſcenſionis *Incipit Epiſtola prima beati Joannis Apoſtoli*, aliqua ſunt neceſſariò de hoc Initio dicenda. Itaque cùm debeat, quoad fieri poteſt, recitari; ideò ſi in hac Dominica occur- 704

rat

rat Feſtum duplex proprias habens primi Noctur ni Lectiones, dictum *Initium* ponendum erit in Feria ſecunda ſequenti, ut ſi hæc Dominica venerit die octava Maii, ut in Tabula ſexta ordinis perpetui, *Initium* erit impeditum à Feſto Apparitionis S. Michaelis Archangeli proprias in primo Nocturno Lectiones habente: quapropter ponetur die nona in Feria ſecunda, in qua fit de S. Gregorio Nazianzeno. Quòd ſi & Dominica & Feria ſecunda impediantur, ponatur dictum *Initium* in Feria tertia: & licet difficile ſit tot Feriarum impedimentum, ſi tamen & Feria tertia eſſet impedita, *Initium* Dominicæ poni deberet in Feria quarta, in qua *Incipit Epiſtola ſecunda beati Joannis Apoſtoli*, & ſic duo Initia eſſent eodem die legenda, juxta Rubricam *de Lect. tit.* 26. *ſub num.* 7. Quòd ſi hæc Dominica venerit die ſexta Maii, ut in Tabula quarta, in primo Nocturno de S. Joanne ante Portam Latinam legitur *Initium* Dominicæ, quia ſunt Lectiones propriæ hujus Feſti citatæ à Rubrica, adeò ut neque in Eccleſia propria aliæ Lectiones ſint dicendæ: & in hoc caſu unica recitatione ſatisfit Dominicæ & Feſto. In hujuſmodi tamen occurrentia Dominicæ & Feſti, quia dicenda eſt nona Lectio Dominicæ, convenit, ut de octava & nona Lectione Feſti fiat una, quia in utraque agitur de martyrio S. Joannis, juxta Gavantum *tom.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 7. *ſub numer.* 6. convenit, inquam, eſt enim conſilium amplectendum, non præceptum exequendum, cùm recitantes non teneantur ad hanc Lectionum unionem: licet hoc inferendum videtur ex Rubrica *de Lect. tit.* 26. *ſub numer.* 3. ubi revera ſic habetur: *Si in Officio novem Lectionum contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem, nona Lectio legitur de Sancto, omiſſa nona Lectione in dicto Officio novem Lectionum* (nota benè) *vel octavæ Lectioni adjuncta*.

Datur tamen caſus anticipandi, poſtponendi, 705
& repetendi dictum *Initium* Dominicæ infra O-

ctavam Aſcenſionis: nam ſi hæc Dominica occurrat die ſeptima Maii, ut in Tabula quinta ordinis perpetui, tunc die ſexta ejuſdem Menſis in Sabbato immediatè præcedenti, ponitur anticipatè *Initium* dictæ Dominicæ in primo Nocturno de Feſto S. Joannis ante Portam Latinam, tanquàm *Initium* proprium ejuſdem Feſti: ſed in Dominica dicuntur Lectiones de Feria ſecunda, vigore Rubricæ in hac eadem Dominica poſitæ: nec ideò deficere poſſunt Lectiones de Scriptura infra illam Hebdomadam, nam die octava ejuſdem Maii fit de Apparitione S. Michaelis Archangeli, quæ proprias habet Lectiones primi Nocturni. Dictum autem *Initium* Dominicæ non eſt adeò neceſſariò dicendum in dicto Feſto S. Joannis, ut non valeat recitari continuatio ejuſdem Epiſtolæ: ideòque ſi hæc Dominica veniat die tertia, vel quarta, aut quinta Maii, ut in Tabula prima, vel ſecunda, aut tertia, leguntur in primo Nocturno de eodem Feſto S. Joannis Lectiones de Feria currenti: ita ut, & Dominica, & Feſtum interdum amittat ſuum *Initium*, & utrumque contentum ſit de proſecutione Epiſtolæ. Poſtponitur verò ipſum *Initium* Dominicæ, quando Dominica eſt impedita à Feſto proprias habente Lectiones in primo Nocturno, ut ſatis ſuperque oſtendimus. Tandem repetitur ſæpè memoratum *Initium* Dominicæ infra eandem Octavam Aſcenſionis, quando Feſtum S. Joannis ante Portam Latinam occurrit in Feria ſexta poſt Feſtum Aſcenſionis, ut in Tabula ſexta: Itaque & legitur dicta die ſexta in eodem Feſto, & repetendum eſſet die octava in Dominica: ſed quia Dominica eo caſu impedita eſt ab Apparitione S. Michaelis Archangeli proprias habente primi Nocturni Lectiones, repetitur *Initium* in Feria ſecunda, in qua fit de S. Gregorio Nazianzeno. *Initium* verò dictæ Feriæ ſextæ recitabitur in Sabbato ſequenti.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

De Miſſa, & Veſperis in Dominica infra Octavam Aſcenſionis.

MIſſa in Dominica infra Octavam Aſcenſionis eſt propria: & ante ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, & ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, ac mos eſt cantandi Miſſam præſertim in Dominicis. Facienda autem eſt dicta Aquæ benedictæ Aſperſio juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31. *pag. mihi* 395. & cum Antiphona Paſchali *Vidi aquam*. In hac Miſſa dicitur *Gloria*, cum ſecunda tantùm Oratione de Octava, vigore Rubricæ *de Oration. tit.* 9. *ſub numer.* 10. Per hanc tamen præſcriptionem ſecundæ dumtaxat Orationis, non intelligit Rubrica omittere aliquam occurrentem commemorationem, quam cæteroquin non ſupponit: unde ſi incidat Feſtum Simplex, tertia Oratio erit de eo. Imò poteſt dari quarta, & etiam quinta Oratio, ut ſi alicubi occurrat alia Dies infra Octavam ſpecialem, & ſimul Anniverſaria Dies Electionis ſeu Conſecrationis Epiſcopi, præter Feſtum Simplex: & ideò ibi ſecunda Oratio erit de Aſcenſione, tertia de alia Die ſpeciali infra Octavam, quarta de Feſto Simplici, & quinta pro Epiſcopo. Poſt Evangelium dicitur *Credo*, quo nulla Dominica caret, & Octava requirit, cum Præfatione de Octava *Qui poſt Reſurrectionem ſuam*, & cum *Communicantes* de Aſcenſione. 706

Antiquitùs verò legebatur hodie Præfatio diverſa ab ea, quam modò nos legimus, & quam in memoriam venerabilis vetuſtatis ex Libro Sa- 707

cramentorum S. Gregorii Papæ *pagin.* 95. tranſumptam, hic per extenſum ponimus, & erat ſequens, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; per Chriſtum Dominum noſtrum: Qui generi humano naſcendo ſubvenit, cùm per mortem Paſſionis Mundum devicit; per gloriam Reſurrectionis, vitæ æternæ aditum patefecit; & per ſuam Aſcenſionem ad Cœlos, nobis ſpem aſcendendi donavit. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* At quia priſcis temporibus mos erat Epiſcopo benedicere Populo cum certis precationibus cuique Feſto convenientibus & propriis, & certo Miſſæ loco dicendis, ut ſupra innuimus in ipſo Die Aſcenſionis, ideò Benedictionem Epiſcopalem in hac Dominica Aſcenſionis eo tempore dari ſolitam fideliter extendimus, quæ cæteroquin reperitur in dicto Sacramentario Gregoriano, & quæ ſequentibus verbis erat concepta, ſcilicet: *Benedictionem ſuarum ſuper vos Dominus imbrem infundat, & caritatis ſuæ cœleſtes theſauros vobis aperiat.* Amen. *Faciat vos Dominus vitæ æternæ participes, & regni cœleſtis cohæredes.* Amen. *Dignam in vobis habitationem Spiritus Sanctus inveniat, ut ejus glorioſa majeſtas placidè in veſtris cordibus requieſcat.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur*, cum reliquis, ut ſupra in Miſſa de Feſto Aſcenſionis. Sed nec videtur omittenda & alia Præfatio, quæ adhuc eſt in viridi obſervantia apud Ambroſianos, ex quorum particulari Miſſali Mediolani impreſſo, adamuſſim tranſcripta eſt ea, quæ ſequitur, nempè: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Poſcentes, ut ſenſibus noſtris clementer infundas, ne terrenis affectibus inhærendo, oculos ad cœleſtia non levemus. Ne in infimis voluptatibus occupati, mentes non valeamus attollere, quò noſter Salvator aſcendit: & diabolica ſectando veſtigia, à Chriſti conſortio recedamus. Quia nemo poteſt ſummi verique Regis celſitudine delectari,*

lectari, niſi peſtifera destructa, ſubverſaque tyranni jura calcaverit, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.

Si verò in hac Dominica infra Octavam Aſcenſionis occurrat Feſtum duplex, ſive minus ſive etiam majus, dicitur Miſſa de eo, cum ſecunda Oratione Dominicæ, & tertia Octavæ, & forſan quarta de Feſto Simplici incidente: & in fine Miſſæ legitur Evangelium ejuſdem Dominicæ. At ſi Feſtum fuerit duplex ſecundæ claſſis, omittitur commemoratio Octavæ: de Feſto verò Simplici dicitur quidem ſecunda Oratio, ſed dumtaxat in Miſſis privatis. Quòd ſi Feſtum ſit duplex primæ claſſis, non fit commemoratio Octavæ, neque Feſti Simplicis occurrentis, neque in privatis Miſſis: ſed benè de Dominica, cum ejus Evangelio in fine, ut ſupra dictum eſt. Si Feſtum habeat Præfationem propriam, ea procul dubio dicitur in Miſſa, ſed *Communicantes* ſemper erit de Aſcenſione: ideoque ſi hæc Dominica venerit die tertia, vel ſexta Maii, aut etiam die tertia Junii, ut in tabula prima, vel quarta, aut trigeſima ſecunda ordinis perpetui, in prima occurrentia dicitur Præfatio *Qui ſalutem humani generis*, ob Feſtum Inventionis S. Crucis: in ſecunda occurrentia dicitur Præfatio *Te Domine ſuppliciter exorare*, ob Feſtum S. Joannis ante Portam Latinam: in tertia denique occurrentia, Meſſanæ in Sicilia dicitur Præfatio de Beata Maria *Et te in Feſtivitate*, ob Feſtum Deiparæ à Sacris Litteris Urbis Patronæ: ſed in omnibus & tribus prædictis occurrentiis dicendum eſt *Communicantes* de Octava Aſcenſionis, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis, quod ſupra extendimus, cùm de Miſſa in Diebus infra hanc Octavam celebranda locuti ſumus. 708

Cæterùm ſi hæc Dominica infra Octavam Aſcenſionis non ſit impedita, & in ea alicubi facienda ſit expoſitio *SS.* Sacramenti pro Oratione 709

continua quadraginta Horarum, dicitur Miſſa ſolemnis de SS. Sacramento, non verò de Dominica, nam Clemens Undecimus in ſuà Inſtructione pro hujuſmodi expoſitione, excepit quidem aliquas Dominicas, ſed illæ ſunt primæ & ſecundæ claſſis, quæ circa finem Rubricarum Generalium in Breviario nuncupantur *Dominica majores*. Idem dicendum, ſi fiat de Feſto duplici minori vel etiam majori: Et in ea quidem Miſſa dicitur Præfatio de Nativitate *Quia per incarnati Verbi myſterium*, ſed etiam in iſta *Communicantes* debet eſſe de Octava & nihil de Dominica, neque de eadem Octavà. At ſi Feſtum fuerit duplex primæ & ſecundæ claſſis, Miſſa non eſt ampliùs cantanda de SS. Sacramento, ſed de Feſto, cum ſecunda tamen Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione, ut præcepit dictus Clemens Undecimus in Bullario Romano noviſſimo *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut.* 9. §. 10. Licèt autem ubi eſt figuratum, nempè Chriſtus Dominus realiter præſens ſub ſpeciebus Euchariſticis, non requiratur figura, nempè Crux cum imagine Crucifixi, quia tamen figuratum eſt quidem præſens ob oculos Fidei, & mentis, non verò ob oculos corporis, requiritur præſentia figuræ ante oculos corporis Sacerdotis celebrantis, ut faciliùs actu ſibi revocet in memoriam paſſionem Chriſti, ejuſque cruentum Sacrificium: quæ quidem memoria, attenta infirmitate noſtrarum diſtractionum, magis ex Crucis ſenſibilis aſpectu, quàm ex ipſa Hoſtia conſecrata excitatur, ut benè P. Merati *tom.* 1. *par.* 1. *in addit. ad par.* 1. *Gavanti*, *tit.* 20. *ſub num. VII. pag.* 296. Unde *Magiſtris Caremoniariis Metropolitanæ Eccleſiæ Senenſis*, *Sacræ Rituum Congregationi demiſsè ſupplicantibus declarare: An ſuper Altare, in quo SS. Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debeat?* Eadem Sacra Rituum Congregatio reſpondit, *nunquam omittendam Crucis cum imagine Crucifixi appoſita collocationem: Et ita declaravit, & ſervari mandavit*, *Die* 14. *Maii* 1707.

1707. Hæc Declaratio eſt apud me in forma authentica, & illam primò typis conſignavit Joannes Baptiſta Halden *in Ephemerolog. par. 1. titul. 31. verſ. Si hodie occurrat*, *pag.* 194. deinde compendioſè tradit dictus P. Merati *tom. 1. par. 2. in Indice*, *ſub num.* 604. *pag.* 1417. Niſi autem fiat in hac Dominica de dicto Feſto duplici primæ aut ſecundæ claſſis, poſsunt cantari quæcunque Miſsæ Votivæ pro re gravi, etiam pro Defunctis in Die Obitus, inſepulto Corpore, hoc eſt, præſente Corpore in Eccleſia, ut intelligit Gavantus *tom. 1. par. 1. tit. 5. ſub num. 2. litt. X.*

Secundæ denique Veſperæ de Dominica infra 710
Octavam Aſcenſionis tunc dumtaxat dicuntur ex integro, quando die ſequenti in Feria ſecunda fit de Die infra Octavam, vel de Feſto Semiduplici: & eo caſu, omnia dicuntur ut in primis ejus Veſperis, ſed ad Magnificat Antiphona eſt propria, nimirùm, *Hæc locutus ſum vobis*: & poſt Orationem Dominicæ fit commemoratio Octavæ, ac etiam Feſti Simplicis forſitan ſubſequentis: vel in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio Feſti Semiduplicis ſequentis, & Octavæ, ac Simplicis, ſi cras occurrat. At ſi cras fiat de Duplici minori vel etiam majori, Veſperæ ſunt de ſequenti, cum commemoratione Dominicæ, & Octavæ, ac Feſti Simplicis in craſtinam diem incidentis. Quòd ſi in Dominica actum ſit de Feſto duplici ſecundæ claſſis, & cras agendum ſit de Octava, in ſecundis Veſperis de Feſto fit commemoratio Dominicæ, & Octavæ, ac Simplicis in Feria ſecunda occurrentis; non ſic tamen, ſi occurrente in Dominica Feſto duplici ſecundæ claſſis, cras fiat de aliquo Feſto etiam Semiduplici, nam in ſecundis Veſperis Feſti duplicis ſecundæ claſſis, niſi concurrant cum ſubſequenti Feſto digniori, fit quidem commemoratio Dominicæ concurrentis cum Semiduplici, vel de ſequenti Duplici majori aut minori, ſed non Octavæ, licet de Simplici craſtino facienda ſit commemoratio.

Occurrente verò in Dominica Feſto ſecundæ claſſis, & cras ejuſdem ritus, ſed dignius; in Veſperis de ſequenti fit quidem commemoratio præcedentis, ſed non Dominicæ, ſed non Octavæ, ſed non Feſti Simplicis ſubſequentis.

Quid tamen agendum, ſi in Dominica infra 711
Octavam Aſcenſionis occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, & in Feria ſecunda fiat de Duplici ſecundæ claſſis? nam Duplex primæ claſſis admittit in ſecundis Veſperis commemorationem Dominicæ occurrentis: Duplex verò ſecundæ claſſis excludit commemorationem de præcedenti Dominica. Ego facerem commemorationem Dominicæ, ea motus ratione, quia ipſa Dominica debet gaudere de privilegio ſui principalis dignioris commemorationem hujuſmodi admittentis in ſecundis Veſperis: nec ſola commemoratio ſequentis minùs digni videtur negare debere, quod concedit Feſtum dignius: Et confirmatûr ex colore in Veſperis adhibendo, nam per ſolam commemorationem ſequentis non fit mutatio coloris: quòd ſi Feſtum præcedens, de quo ſecundæ Veſperæ ſunt integræ, retinet ſuum colorem in concurrentia Feſti ſolam commemorationem habentis: etiam Feſtum duplex primæ claſſis debet retinere in ſecundis Veſperis commemorationem occurrentis Dominicæ, quia concurrit cum ſola commemoratione ſequentis. Idem dicendum, ſi hodie & cras occurrat duplex primæ claſſis, ſi duplex primæ claſſis in Feria ſecunda occurrens, ſolam habeat commemorationem in ſuis primis Veſperis. Non ſic tamen dicendum, ſi Duplex primæ claſſis ſequens, ſit dignius Duplici primæ claſſis præcedenti, nam ſicuti Veſperæ erunt de ſequenti, cum commemoratione præcedentis, ſic Dominica debet in ſecundis Veſperis ſuam amittere commemorationem.

§. XI.

§. IX.

711 # De Feſto Semiduplici occurrente in Dominica infra Octavam Aſcenſionis.

POſt Dominicam infra Octavam Aſcenſionis 712
ſuccedit immeditè dicendum de Feſto Semiduplici, quòd in ea occurrit. Licèt videatur, quòd de illo differendum erat, cùm de Diebus infra Octavam locuti ſumus, eo quòd celebrandum eſt ex dicendis infra Octavam, nihilominùs quia immediatè ſuccedere debet Dominicæ, immediatè etiam loquendum eſt de eo, & ideò hunc eidem locum opportunè tribuendum eſſe cenſuimus. Itaque ſi in dictam Dominicam infra Octavam incidat Feſtum ſemiduplex, transferendum eſt in Feriam ſecundam immediatè ſequentem, dummodò tamen ita ſit libera, ut niſi reponerêtur dictum Feſtum Semiduplex, agendum eſſet de Die infra Octavam, nec aliter, nec alio modo. Quòd ſi illa Feria ſecunda fuerit impedita ab aliquo alio Feſto novem Lectionum occurrente, Semiduplex illud non transfertur ulteriùs infra Octavam, ſed poſt Octavam, juxta Rubricam Generalem Breviarii, *titul.* 10. *de translat. Feſtor. ſub numer.* 5. ubi quoad hoc ſic expreſsè habes, ſcilicet: *Occurrens verò Feſtum Semiduplex in Dominicis infra illas Octavas, in quibus fit de Feſtis occurrentibus (ut dictum eſt in Rubrica de Octavis) transfertur in ſequentem diem, cum commemoratione Octavæ: quæ ſi fuerit alio Feſto Duplici vel Semiduplici impedita, prædictum Feſtum Semiduplex veniens in Dominica, transfertur poſt Octavam.*

Pri-

Privilegium autem dicti Semiduplicis in Dominica infra Octavam occurrentis , non ſtat in hoc ſolùm , ut transferri poſſit in illam Feriam ſecundam non impeditam , quia forſan nullum habet Semiduplex anteriùs translatum : Sed quia ita transferendum eſt in eandem Feriam ſecundam , ut non ſit attendenda prioritas temporis , in qua forſan reperiuntur plura translata ejuſdem ritus : ideòque contra illud non facit Rubrica *de translat. Feſtor. ſub numer.* 7. in qua reverà ita dicitur : *Si plura Feſta novem Lectionum transferenda ſint , ſi ſunt æqualia , unum ante aliud transferatur eo ordine , quo erant celebranda in propriis diebus* . Et ideò Sacra Rituum Congregatio volens tollere de medio opinionem nonnullorum tenentium , quòd de Feſto transferendo , quod poteſt in ſequentem diem immediatè transferri , ſit recitandum Officium , ſic excipiendo decrevit ad favorem Feſti Semiduplicis in Dominica infra Octavam occurrentis , videlicet : = *Urbis & Orbis* . = *Decretum Generale* . = *Cùm nonnullorum non rite ſenſum Generalis Rubricæ Breviarii Romani* cap. 10. numer. 7. de translat. Feſtor. *percipientium irrepſerit opinio , quòd de Feſto transferendo , quòd poteſt in ſequentem diem immediatè transferri , ſit recitandum Officium , ante alia æqualis ritus priùs translata , Sacra Rituum Congregatio , ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Cardinalis Petrucii , ſupradictam Generalem Rubricam omninò ſervandam , (& quocunque alio Decreto in contrarium non obſtante , in caſu propoſito , Servato ordine Calendarii .) Officium de primo translato priùs recitandum eſſe declaravit : Ita tamen , ut per hanc declarationem , nihil penitùs circa Semiduplicia in Dominicis infra Octavas occurrentia veniat immutandum , pro quibus dictam Generalem Rubricam* capitul. 10. numer. 5. *pariter omninò ſervandam eſſe cenſuit : Et ita declaravit , decrevit , & ſervari mandavit . Die* 22. *Decembris* 1696. = *A Epiſcop. Card. Cybo* . = *L.* ✠ *S.* = *B. Inghirami S. R. C. Secret.*

Quia

Quia tamen ex dicto Decreto poteſt forſan ab Aliquibus non ritè inferri, quòd ſi haberetur Feſtum antea translatum ritus duplicis, illud eſſet reponendum in ſæpè dicta Feria ſecunda, & eo caſu Semiduplex in Dominica infra Octavam occurrens, transferendum foret poſt Octavam: ideò ſciendum eſt, quòd dictum Feſtum Semiduplex adeò fixam habet ſuam ſedem translationis in Feria ſecunda, ut non cedat Feſtis priùs translatis licèt duplicibus primæ vel ſecundæ claſſis, ut reſcripſit Sacra Congregatio in Valentina anno 1700. ſub die 19. Julii, in qua dixerat: *Feſtum ſemiduplex incidens in Dominicam infra Octavam non privilegiatum, debet transferri immediatè in Feriam ſecundam non impeditam, licèt ſit reponendum quodcunque Officium etiam ex ſolemnioribus*: ut refert Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 2. par. 1. in Indice, ſub num.* 226. circa finem & poſtea in noſtris clarioribus terminis ad unguem de Semiduplici in hac Dominica infra Octavam Aſcenſionis, clarè patet ex ſequenti recentiori Declaratione, quam Domi retineo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii & quam poſui in mea Collectione de Sacris Ritibus, impreſſa anno 1730. *ſub numer. margin.* 1214. *pagin.* 400. & eſt tenoris ſequentis, videlicet: = *Ordinis Cœleſtinorum*. = *Cùm de Anno* 1704. *Dies Feſtus Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti incidat in alterum SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi: eumque propter alios dies feſtos, nempè, S. Athanaſii, Inventionis SS. Crucis, & Dominicæ infra Octavam Aſcenſionis, Officium eorundem Sanctorum ultra prædictam Dominicam infra Octavam Aſcenſionis venidt transferendum; P. Abbas Æctor Gironda Ordinis Cœleſtinorum, cùm in dictam diem Dominicam infra Octavam, quæ erit quarta Menſis, occurrat etiam dies feſtus S. Monicæ Viduæ, demiſſiſſimè Sacra Rituum Congregationi ſupplicavit declarari: An in Feria ſecunda immediatè ſequen-*

ſequenti Dominicam infra Octavam Aſcenſionis ſit recitandum Officium SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, vel potiùs alterum S. Monicæ prædictæ? Et Sacra eadem Rituum Congregatio, auditis Cæremoniarum Magiſtris, juxta alia Decreta ſub die 22. Decembris 1696. addita, *Officium in Feria ſecunda prædicta de S. Monica recitandum eſſe cenſuit: Et ita declaravit: Die* 16. *Septembris* 1702.

Notandum tamen venit, quòd licèt prædictus 715
caſus S. Monicæ non poſſit ampliùs, ut ſupra dictum eſt in Decreto contingere, eo quòd Feſtum dictæ S. Monicæ erat tunc temporis ſemiduplex, & modò eſt duplex ex Decreto Clementis Duodecimi feliciter regnantis *de Anno* 1730. *ſub die* 26. *Auguſti*: & dies quinta Maii eo tempore erat libera, & nunc eſt impedita à novo Feſto Semiduplici conceſſo à Clemente Undecimo *anno* 1713. *ſub die* 28. *Januarii*: nihilominùs dicta Declaratio Sacræ Rituum Congregationis, ſemper & ad ſemper remanere debet in ſuo robore quoad caſus ſimiles, ſive in Eccleſia Univerſali, ſive in aliqua Diœceſi vel Religione interdùm occurrentes: cùm enim illa Feria ſecunda reputetur tanquàm Dies fixa & propria, ideò Semiduplex in Dominica infra Octavam occurrens, tantùm habet juris in eadem ſecunda Feria, non impedita, ut non cedat, non ſolùm Duplici ſecundæ claſſis, ſed neque primæ claſſis tranſlato. Sequitur ex dictis, & majori ratione ſequitur, quòd ſi in Dominica infra Octavam occurrant duo Feſta Semiduplicia, celebrato in Feria ſecunda non impedita Feſto Semiduplici digniori, alterum mittendum eſt ad primam diem non impeditam poſt Octavam, quia Privilegium Semiduplicis infra Octavam, eſt de uno in Feria ſecunda, non de pluribus per totam Octavam, licèt ſimul occurrant in eadem Dominica. Quia tàmen hiſce diebus dantur quatuor caſus Feſti Semiduplicis occurrentis in Dominica infra O-

ctavam,

Digitized by Google

ctavam, & transferendi in ſæpè memoratam Feriam ſecundam, nempè S. Antonini SS. Nerei & Sociorum Maryrum, S. Ubaldi, & S. Bernardini, ut in Tabula octava, vel decima, vel decima quarta, vel decima octava ordinis perpetui: ideò, quando in Feria ſecunda transferendum eſt ſecundum Semiduplex ex quatuor prædictis, ad ejus Matutinum retinenda eſt clauſula Hymni, non verò dicenda de Octava.

715 Ex prædicta Declaratione Sacræ Rituum Congregationis ſatis ſuperque patet, quòd ſi in Dominicam infra Octavam alicubi occurrant duo Duplicia cujuſvis qualitatis, & ſimul unum Feſtum Semiduplex, adhuc iſtud reponendum eſt in Feria ſecunda non impedita, nullo habito reſpectu ad aliud Duplex translatum, quod ſimul in Dominica heri cum dicto Semiduplici occurrebat: Et ratio eſt, quia Duplex translatum habet locum repoſitionis in quavis die non impedita infra Octavam: Semiduplex verò ſi non celebretur in Feria ſecunda, transferendum eſt poſt totam Octavam: Cùm enim hoc ſit ſpeciale privilegium ſolius Semiduplicis in Dominica infra Octavam communem occurrentis, ſequitur, quòd non extenditur ad Feſtum duplex, quòd in Dominica ab alio Feſto duplici digniori impedita ſimul cum Semiduplici occurrebat, quia in hoc caſu non attenditur majoritas ritus Duplicis, ſed privilegium Semiduplicis. Unde optimè ſe geſſit Venetiis Kalendariſta Eccleſiæ Caſſinenſis S. Georgii Majoris, qui in dicta occurrentia duorum Duplicium, & unius Semiduplicis ſimul in Dominicam infrà Octavam incidentium, diligenter operatus eſt juxta dictam Declarationem Sacræ Rituum Congregationis in Directorio illius Eccleſiæ typis conſignato pro Anno 1733. & licèt non ſit caſus noſtræ Dominicæ, clarè tamen facit ad rem noſtram. Itaque Anno 1733. = *Die 26. Aprilis. Domin. 3. poſt Paſch. infr. Octav. S. Georgii Titularis, Col. Alb. S. Raphael. Archang. dup.* 716

dup. 2. claſſ. = *Die 27. Fer. 2. Col. Rub. Feſt. SS. Cleti & Marcellini*, *ſemidup.* (fuit heri) = *Die 28. Fer. 3. Col. Alb. Feſt. de Patrocin. S. Joſephi*, *dup. 2. claſſ.* (*fuit 26. hujus in Domin. infr. Oct. S. Georgii Titul.*) Et ecce Feſtum duplex 2. claſſis, quod ceſſit Feſto Semiduplici in Dominica infra Octavam occurrenti.

Feſtum autem Semiduplex, quod nullam habebat occurrentiam in ſua propria & fixa die, 717
translatum tamen à Dominica infra Octavam ad Feriam ſecundam immediatè ſequentem, poteſt occurrere in Feſto Simplici ejuſdem Communis: Itaque in hujuſmodi caſu, in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio Feſti Semiduplicis ſequentis, & Feſti Simplicis, pro quo Antiphona & Verſus ſumuntur quidem ex eodem Communi, ſed ex Laudibus, & pro commemoratione ad Laudes in Feria ſecunda, ſumuntur ex primis Veſperis ejuſdem Communis: Ita Rubrica Generalis Breviarii *de Commemor. titul.* 9. *ſub numer.* 8. & ex dicta Rubrica etiam Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 11. *ſub numer.* 28. ubi pariter *ſub numero* 31. rationem reddit, cur pro hujuſmodi commemoratione ſumantur Antiphonæ ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, & eam eſſe poſſe cenſet, quia ſunt nobiliores Antiphonæ, tùm ratione Canticorum Evangeliorum, tum vicinioris aditus ad Orationem ſeu Collectam, quæ dicitur pro commemoratione. In noſtris autem terminis de Semiduplici, quod ex Dominica infra Octavam Aſcenſionis transfertur in Feriam ſecundam immediatè ſequentem, habemus exemplum Venetiis, quotieſcunque Aſcenſio Domini occurrit die vigeſima nona Maii, ut in Tabula trigeſima ordinis perpetui, & caſus fuit anno 1710. & ideò ſic ordinatum fuit Officium in Directorio Diœceſano. = *Die 1. Junii, Domin. infr. Oct. Aſcenſ. In 2. Veſp. com. ſeq. & Oct. ac SS. mm. Marcellini, &c. pro quib. Antiph. & V. ex Laudib.* = *Die 2. Fer. 2. Col. Rub. S. Secundi Mart. ſemidup.*

ſemidup. (*heri*) 9. *l. ex duab. una SS. mm. Ad Laudes com. oct.* & *SS. mm. pro quib. Antiph.* & *℣. ex* 1. *Veſp.* Ideo autem datur dicta variatio in concurrentia & occurrentia hujuſmodi, quia Commune Maryrum tempore Paſchali inſervit pro uno, & pro pluribus Martyribus, alioquin extra tempus Paſchale non daretur talis variatio, nam
711 tunc temporis Commune unius Martyris eſt diſtinctum à pluribus.

Illud tandem reſtat ſciendum, quòd cùm ſit 712 privilegium ſolius Feſti Semiduplicis habere pro ſua ſede fixa Feriam ſecundam non impeditam, quando occurrit in Dominica infra Octavam, ſic nullum Feſtum duplex, etiam non exiſtente tali Semiduplici, poteſt transferri in illam Feriam ſecundam, ſi habeantur alia translata ejus ritus, quæ reperiantur in prioritate temporis, licèt & ipſum duplex occurrat in Dominicam infra Octavam impeditam ab alio Feſto duplici digniori. Itaque protracto ulteriùs dicto Feſto duplici, fiet in illa Feria ſecunda non impedita de primo duplici translato, ſuppoſita ritus æqualitate. Nec pro dicto Duplici in Dominica infra Octavam occurrente facit vicinitas, quam haberet cum Dominica impedita à Duplici æquali, ſi reponeretur in ſæpe dicta Feria ſecunda, nam poſſet habere in ſua vera die non ſolùm ſimplicem commemorationem, ſed etiam forſan Capitulum, ſi utrumque eſſet duplex minus. Quòd ſi in Dominica infra Octavam occurrant duo duplicia, & nullum anterius translatum ejus ritus, quis non videt, alterum duplex eſſe neceſſariò reponendum in dicta Feria ſecunda non impedita? Sed & alter eſt caſus transferendi in eandem Feriam ſecundam Feſtum duplex, quod occurrit in Dominica infra Octavam impedita ab alio Duplici æquali, ſcilicèt ſi ſit duplex altioris ritus, quàm alia præcedentia duplicia translata.

§. XII.

§. XII.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Aſcenſionis Dominicæ.

SIcuti antiquitùs Dies infra Octavam Aſcenſionis Domini habebant unicum Nocturnum, cum tribus Pſalmis, tribus Lectionibus, & tribus Reſponſoriis, unde erat Officium parvum Officio de Feria adjunctum: ſic hæc Dies Octava erat tantùm Semiduplex ante S. Pium Quintum, ut ait Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *capitul.* 75. *pagin.* 348. Hodie tamen eſt duplex, inquit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *capitul.* 17. *ſub numer.* 5. tacet tamen cujus qualitatis ſit duplex: ſed dum ſequitur, quòd habet primas & ſecundas Veſperas integras, ſi concurrant cum duplici majori: ergo eſt duplex majus: clariùs tamen loquitur *ſect.* 3. *capitul.* 2. *ſub numer.* 6. ubi inter duplicia majora etiam hanc Diem Octavam connumerat, illiſque adſcribit. Primæ ejus Veſperæ, ſi in Feria quarta præcedenti actum ſit de Die infra Octavam, dicuntur omninò ut in primis Veſperis Feſti, abſque ulla commemoratione, niſi forſan Feſti Simplicis in dicta Die Octava ſimul occurrentis. Cæterum admittit commemorationem Semiduplicis, & Duplicis minoris & majoris, ac etiam alicujuis Diei alicubi forſan incidentis infra Octavam ſpecialem. At ſi in Feria quarta præcedenti Officium fuit de Duplici primæ vel ſecundæ claſſis, in ſecundis Veſperis de illo Feſto ſit commemoratio de ſequenti Die Octava, ut dici- 719

dicitur in primo Notando *poſt Tabell. Concurren.* At quid dicendum, ſi in Feria quarta præcedenti actum ſit de Duplici majori, & Dies Octava Aſcenſionis impediatur à Feſto duplici ſecundæ claſſis? In primis Veſperis de Feſto ſequenti prius facerem commemorationem de Die Octava, deinde de præcedenti Feſto duplici majori, quia licèt Octava Aſcenſionis non ſit privilegiata, certè privilegiata eſt ejus Dies Octava in Veſperis, ut inferiùs clarè patebit ex ſecundis, nec quia impedita eſt, ſuam amittit præcedentiam in commemoratione: unde ſi Dies Octava occurrat die ſeptima Maii, ut in Tabula prima ordinis perpe-
719 tui, Ferrariæ in Statu Eccleſiaſtico in Feria quarta præcedenti ſeu die ſexta ejuſdem Menſis, Veſperæ erunt de ſequenti Feſto S. Maurelii Epiſcopi & Martyris, quod ibi celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & priùs commemoratio de Die Octava Aſcenſionis, deinde de præcedenti Feſto duplici majori S. Joannis ante Portam Latinam.

Ipſa igitur Dies Octava Aſcenſionis Dominicæ 720
celebratur ex dictis ſub ritu duplici majori in colore albo. Ad Matutinum omnia dicuntur ut in Feſto, exceptis tamen Lectionibus omnium & trium Nocturnorum, quæ ſunt propriæ hujus Diei. Si verò occurrat Feſtum Simplex, dicitur ejus nona Lectio, & fit ejuſdem commemoratio in Laudibus. Et quia hæc Dies Octava Aſcenſionis eſt dignior omnibus aliis Diebus Octavis, ideò ſi incidat alicubi alia Dies Octava, cùm numquam transferatur, fit de ea eo anno dumtaxat commemoratio, ut dicitur in Rubrica *de Octavis*, *titul.* 9. *ſub numer.* 4. & iterum in Rubricam *de translat. Feſtor. titul.* 10. *ſub numer.* 2. Hæc autem Dies Octava poteſt eſſe impedita ab aliquo Feſto certè excedente ritum duplicem majorem. Andreæ Piſcaræ Caſtaldo videtur, quòd ſolum duplex primæ claſſis poſſit celebrari, nam *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 9. *capitul.* 7. *ſub numer.* 7. *pagin.* 435. ſic revera habet: *In Die*

Octava Aſcenſionis Officium duplex occurrens transfertur in ſequentem diem, niſi fortè fuerit ex majoribus, nam ſi fuerit Feſtum Patroni, fit de eo, cum commemoratione Octavæ: ſed Feſtum Patroni eſt duplex primæ claſſis: ergo apud ipſum videtur, quòd ſolùm duplex primæ claſſis celebrari poſſit in hac Die Octava: Sentio igitur, quòd etiam duplex ſecundæ claſſis poſſit in hac Die Octava Aſcenſionis celebrari.

Guyetus enim *in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. capit. 6. quæſt. 7. pagin. mihi* 254. expreſsè dicit: *Et quidem Octavæ quatuor ſunt, quæ omne omninò Feſtum à ſe expellunt, Nativitatis Domini Epiphaniæ, Paſcha, & Pentecoſtes: Cæteræ omnes Feſta primæ, & ſecundæ claſſis admittunt fortè Octava Corporis Chriſti nonniſi primæ*: Sed inter cæteras Dies Octavas connumeratur Dies Octava Aſcenſionis: ergo Dies Octava Aſcenſionis admittit duplex etiam ſecundæ claſſis: unde bene ſe geſſerunt omnes & ſinguli cujuſvis Ordinis S. Franciſci Kalendariſtæ, qui anno 1736. die 17. Maii egerunt ſub ritu duplici ſecundæ claſſis de S. Paſchale, cum commemoratione de Die Octava Aſcenſionis tunc ſic occurrente. Itaque quodcunque ex dictis duobus duplicibus occurrat, fit in eo ad Laudes commemoratio de Die Octava Aſcenſionis: & ad Primam dicitur Verſiculus *Qui ſcandis ſuper ſidera*, ac ad omnes Horas clauduntur Hymni cum ſtropha Octavæ, ſcilicet *Jeſu, tibi ſit gloria, qui victor, &c.* niſi Feſtum habeat clauſulam propriam; nam ſi hæc Dies Octava occurrat die tertia Junii, ut in Tabula vigeſima Octava, Meſſanæ in Sicilia fit de Deipara à Sacris Litteris ſub ritu duplici primæ claſſis, in cujus Officio & ad Primam dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & Hymni omnium Horarum terminantur cum *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*, Similiter ſi in hanc Diem Octavam incidat Feſtum S. Venantii Martyris, ut in Tabula duodecima, Camerini in Marchia Anconitana, ubi eſt Patronus, & conſequenter celebratur in 721

hac

hac Die Octava, quia ibi eſt duplex primæ claſſis, ad Hymnum Veſperarum Matutini & Laudum retinetur clauſula propria *Da per preces Venantii*.

Miſſa in Die Octava Aſcenſionis Domini ſumitur ex ejus Feſto, & in ea dicitur *Gloria*, cum unica tantùm Oratione, ex Rubrica hodierna in Miſſali ſtatim *poſt. Domin. infr. Oct.* ſed illa Rubrica nullam ſupponit commemorationem occurrentem, & ideò intelligenda venit; niſi incidat aliqua commemoratio: quapropter ſi in hac Die Octava veniat Feſtum ſimplex, ſecunda Oratio erit de eo. Quinimò poteſt alicubi occurrere aliqua Dies infra Octavam ſpecialem; vel alia Dies Octava particularis; vel forſan utraque; & vel de alterutra, vel de duabus commemoratio eſt hodie neceſſariò facienda: quare ſi Dies Octava Aſcenſionis occurrerit die duodecima Maii, ut in Tabula ſexta ordinis perpetui, Lycii in Die Octava Aſcenſionis fit commemoratio de Die Octava S. Irenes Virginis, & Martyris; ac Urbis Patronæ: Si verò venerit die vigeſima ſecunda ejuſdem Maii, ut in Tabula decima ſexta, Maceratæ in Marchia Anconitana; in Miſſa de Die Octava Aſcenſionis dicitur ſecunda Oratio de Die Octava Dedicationis Cathedralis: Quòd ſi Die Octava Aſcenſionis inciderit in diem nonam Junii, ut in Tabula trigeſima quarta, Cremonæ in Statu Mediolanenſi poſt Orationem de Die Octava Aſcenſionis dicitur Collecta de Die Octava SS. mm. Marcellini & Petri Urbis Patronorum, cum tertia Oratione SS. Primi & Feliciani Martyrum. In dicta Miſſa de Die Octava Aſcenſionis dicitur *Credo*, & Præfatio *Qui poſt Reſurrectionem ſuam* unà cum ſuo proprio *Communicantes*. At ſi hodie alicubi fiat de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis occurrente, Miſſa dicitur de eo, cum commemoratione de Die Octava Aſcenſionis; & cum Præfatione & *Communicantes*, ut ſupra: niſi Feſtum habeat Præfationem more & ritu Dierum infra Octavam, & quidem 722

nem propriam, nam ſi hæc Dies Octava veniat die tertia Junii, ut in Tabula decima octava, Meſſanæ in Sicilia fit de Deipara à Sacris Litteris Urbis Patrona ſub ritu duplici primæ claſſis, & in ejus Miſſa dicitur quidem Præfatio de Beata Maria *Et te in Feſtivitate*, ſed *Communicantes* de Aſcenſione.

Secundæ Veſperæ de Die Octava Aſcenſionis 723
non admittunt commemorationem de Officio ſequenti, ut ait hoc loco Rubrica, cujus ratio eſt, quia in Feria ſexta ſequenti adhuc fit de Aſcenſione, nec unquam fit bis de eodem Officio, quia *idem manens idem, ſemper facit idem*: Et a pari omittitur commemoratio de ſeptem Doloribus, ſi concurrant cum primis vel ſecundis Veſperis de Annunciatione Beatæ Virginis Mariæ, quando occurrit Tabula duodecima vel decima quarta ordinis perpetui. Cæterùm in ſecundis Veſperis de hac Die Octava Aſcenſionis fit commemoratio de Feſto Simplici ſubſequente, de Feſto Semiduplici, de Duplici minori & majori, de Die infra Octavam ſpecialem, & de alia Die Octava particulari hodie Incidente. Si verò hac Die fiat de Duplici primæ vel ſecundæ claſſis, & cras de Duplici majori, in ſecundis Veſperis de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis fit priùs commemoratio de hodierna Die Octava Aſcenſionis, deinde dè ſequenti duplici majori, quia niſi occurreret hodie Feſtum illud ex ſolemnioribus, Dies Octava Aſcenſionis haberet integras ſecundas Veſperas, & ſolam daret Duplici majori ſequenti commemorationem, ut patet ex dictis in ejus primis Veſperis: ut quando hæc Dies Octava occurrit die ſeptima Maii, ut in Tabula prima, Ferrariæ in Statu Eccleſiaſtico celebratur Feſtum S. Maurelii Epiſcopi & Martyris; Itidem eadem die ſeptima Spalati in Dalmatia ſub Dominio Veneto fit de S. Domnio Archiepiſcopo & Martyre Urbis Patrono, & ideò ibi cum ritu duplici primæ claſſis: In utroque Loco ſecundæ Veſperæ ex integro dicuntur

tur

tur de Feſto particulari, cum commemoratione prius de Die Octava Aſcenſionis, deinde de ſequenti duplici majori Apparitionis S. Michaelis Archangeli. Quia verò hæc Dies Octava eſt in Veſperis privilegiata, ideò ſi cras fiat de Feſto duplici primæ claſſis, non omittit ſuam commemorationem, quam in hujuſmodi concurrentia amittunt cæteræ Dies Octavæ communes: & hoc privilegium clarè patet ex ſecundo Notando *poſt Tabell. Concurr. in Breviar.* Quapropter quando Dies Octava occurrit die decima quinta Maii, ut in Tabula nona, Eugubii in Ducatu Urbinatenſi dicuntur primæ Veſperæ de Feſto duplici primæ claſſis ſequenti S. Ubaldi Epiſcopi & Confeſſoris, Urbiſque Patroni, cum commemoratione de præcedenti Die Octava Aſcenſionis.

§. XIII.

De duobus Diebus, Feria ſcilicèt ſexta, & Sabbato, ſucceſſivè poſt Diem Octavam Aſcenſionis occurrentibus.

Hiſce duobus Diebus poſt Diem Octavam Aſcenſionis, Feria ſcilicèt ſexta & Sabbato, Officium fit ſemiduplex in colore albo, ſicut infra Octavam Aſcenſionis, ait Rubrica *hoc loco.* Eſt nihilominus partim de Octava, partim de Proprio, & partim de Dominica infra Octvam. De Octava quidem ſumuntur Antiphonæ & Pſalmi omnium & trium Nocturno- 714

 rum,

um, Verſiculi & Reſponſoria. De Proprio autem ſunt Lectiones, quæ habentur propriæ in omnibus & tribus Nocturnis. Sed ſi occurrat Feſtum Simplex, dicitur nona Lectio de eo. De Dominica verò infra Octavam ſumuntur Reſponſorium octavum, Capitula, Antiphonæ ad *Benedictus*, ac etiam ad *Magnificat*, nec non & Oratio. Ad Laudes fit commemoratio Feſti Simplicis forſan occurrentis: & ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus de Aſcenſione *Qui ſcandis ſuper ſidera*, omiſſis Precibus Dominicalibus, & dicitur Capitulum Nonæ. Quod remanet ad omnes Horas, exceptis Capitulis, eſt de Octava, & ſemper cum clauſula Hymnorum *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor, &c.* & cum Oratione Dominicæ.

Feria autem ſexta plena eſt difficultatibus: & 725
ideò plura occurrunt dicenda, notatu & ſcitu digna, quæ apud Aliquos ardua videntur, ſed nos inhærendo Rubricis, Viriſque in Arte peritis, ea, qua poterimus, facilitate, explanabimus, ut ſi fieri poſſit, quodammodò aſpera reducantur in vias planas. Primò igitur ſe offert hodierna Rubrica, in qua dicitur: *Si verò Feria ſexta occurrat Feſtum novem Lectionum, fit de Feſto, cum commemoratione Officii ejuſdem Diei.* Itaque non defuerunt Aliqui, qui attendentes verbum Rubricæ, *occurrat* arbitrati ſunt, quòd cùm hæc Dies reputetur tanquàm infra Octavam, & ab omnibus appelletur prorogatio Octavæ, non ſit idcircò agendum de Feſto Semiduplici translato: addentes, quòd illa verba, quæ habentur apud Gavantum *tom. 2. ſect. 6. capitul. 17. ſub numer. 7.* non ſunt verba Auctoris. Ego tamen reſpondendo fateor, quòd modò præ manibus teneo, & ſub oculos habeo primam editionem Gavanti Romæ factam *anno 1628. apud Franciſcum Caballum*, cum permiſſione editionis, quam Auctori tanquam ſuo Subdito dedit Don Julius Cavalcanus Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Præpoſitus Generalis *de Anno 1627. ſub die*

die 14. *Julii*: & reverà nihil in ea invenio de Semiduplici tranſlato. Nihilominus quicunque addidit, benè addidit, tum quia non eſt Dies rigoroſè infra Octavam; tum quia Rubrica intelligenda eſt hoc loco, *ſi occurrat fieri*; & ſic per additionem infiniti venit utrumque Semiduplex, occurrens ſcilicèt & tranſlatum. Nec deſunt Auctores ex quacunque die tranſlatum Semiduplex hac die admittentes, inter quos Biſſus *in Hierurg. tom.* 1. *verb. Feria*, *ſub numer.* 26. §. 2. *pagin.* 428. ac etiam Guyetus *in Heortolog. libr.* 4. *ſect.* 2. *capitul.* 8. *quaſt.* 8. *verſ. Duo item dies ſunt*, *pagin.* 261. Sed quod reverenter ſuſcipiendum eſt & attendendum, ita declaravit Sacra Rituum Congregatio in ſequenti reſponſione, nempè: = *Romana Dubiorum*: = *Relatis ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinali Golloredo infraſcriptis Dubiis in Sacra Rituum Congregatione pro declaratione porrectis*, inter ea fuit decimum tenoris ſequentis, videlicet: *An Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis poſſit fieri de Feſto ſemiduplici tranſlato*? Et Sacra eadem Congregatio ad decimum reſpondit: *Affirmativè*: *Die* 11. *Auguſti* 1691. Dictam declarationem, unà cum aliis novem eadem die emanatis, ſed ad noſtram rem modò non facientibus, ego Domi retineo in forma authentica, cum ſolito magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii: ac refert etiam compendioſè P. Merati *tom.* 2. *Addit. ad Gavant. par.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 169.

Declarata verbi ſignificatione in Rubrica poſiti, nempè, *ſi occurrat*: modò dubitatur non leviter, an revera in dicta Feria ſexta agi poſſit de Die infra Octavam, cum commemoratione hujus Diei. Ratio dubitandi eſt, quia Rubrica hoderna dicit: *Si verò Feria ſexta occurrat Feſtum novem Lectionum*, *fit de Feſto*, *cum commemoraione Officii hujus Diei*; ſed Dies infra Octavam non eſt Feſtum, ſed continuatio Feſti: ergo videtur non poſſe fieri de Die infra Octavam. Prætrquàm quòd hæc Feria ſexta celebratur 726

more & ritu Dierum infra Octavam, & quidem Aſcenſionis Domini: ſed Diebus infra Octavam Aſcenſionis tanquàm dignioribus nulla alia præferenda eſt Dies infra Octavam: ergo non poteſt de ea fieri. Ad primum tamen videtur reſpondendum, Rubricam hoc loco intelligendam eſſe de quovis Officio novem Lectionum, licèt nominet Feſtum, ſicuti ly, *occurrat*, in ea poſitum, non intelligitur ex dictis de rigoroſa occurrentia, cùm poſſit celebrari Semiduplex translatum. Ad ſecundum: Officium hujus Feriæ ſextæ, nec eſt vera continuatio, nec vere prorogatio Octavæ, nec verè Dies infra Octavam, ſed Officium, quòd vocatur etiam Feria, licèt ſemiduplex, cæteroquin myſterioſè mentionem ſucceſſivè faciens de Aſcenſione Domini, ne poſt verè completam Octavam, interrumpatur tempus inter Aſcenſionem & Pentecoſten, quia aſcenſurus Chriſtus in Cœlum, dixit Diſcipulis ſuis: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Dum ergo non eſt verè Dies infra Octavam, non habet rationem Octavæ: ſed eſt Officium Feriale cum ritu tamen ſemiduplici, & conſequenter videtur admittere etiam Diem infra Octavam. 717

Licèt autem Guyetus *in Heortolog. lib. 4. ſect. 2. capit. 12. quæſt. 7. verſ. Quoad Feriam ſextam, pagin.* 269. ambiguus de hac re, videatur nihilominus potiùs inclinare in partem negativam: dum tamen ibidem ait, quòd licèt more ac ritu Dierum infra Octavam ordinetur, haud tamen idcircò verè eſt infra Octavam: & dum hoc iterum confirmat *dicto lib. 4. capit. 8. quæſt. 8. verſ. Duo item dies, pagin.* 261. ubi clariùs aſſerit: *nec in rigore Octava eſt, quantumcunque ritus Octavæ ſervetur*: mihi ex hoc videtur, quòd potiùs inclinet in partem affirmativam, tenendo, quòd poſſit hodie fieri de Die infra Octavam; et reverà ipſe alibi ſupponit poſſe fieri de Die infra Octavam, ut ex inferiùs dicendis patebit in Veſperis hujus Feriæ ſextæ. Unde cùm etiam Ga-

vantus

vantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *capitul.* 17. *ſub numer.* 9. vocet Officium hujus Feriæ ſextæ *Semiduplex extra Octavam*, ex hac ratione, quòd non eſt verè Dies infra Octavam, cenſeo, quòd etiam poſſit admittere ſemiduplicem Diem occurrentem infra Octavam, ſicut admittit ſemiduplex etiam translatum, quia habet aliquam rationem Feſti.

Una tamen inter alias me movet non parùm 728
ratio ad credendum, poſſe in Feria ſexta poſt Diem Octavam Aſcenſionis fieri Officium ſemiduplex de aliqua Die alicubi occurrente infra Octavam, quia in ſolis Veſperis ejuſdem Feriæ ſextæ incipiunt ceſſare quæcunque Octavæ incæptæ & nondum completæ, vigore Rubricæ Generalis, de qua infra in Veſperis hujus Diei, Et ideò Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 8. *ſub numer.* 9. docet ab Octava ceſſandum poſt Nonam. Et hoc ipſum aſſerit Cæremoniale Monaſticum *lib.* 4. *capitul.* 16. *ad* 12. *Maii*. Imò & Michael Bauldryus clariùs ſe explicat, nam *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *capitul.* 13. *ſub numer.* 5. ſequentibus præciſis verbis ait: *Si aliquod Feſtum occurrat habens Octavas, quæ nondum finitæ ſint in Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis, finiuntur ad Nonam hujus Diei incluſivè, nec ampliùs etiam ad Veſperas ſequentes fit ulla commemoratio de Octava.* His igitur fundamentis ſuper Rubricam Viroſque in Arte peritos poſitis, ſic argumentor: Ex dictis uſque ad Nonam Feriæ ſextæ incluſivè fieri poteſt de Die infra Octavam: ſed non poſſet fieri, niſi conceſſum eſſet Officium de eadem Die infra Octavam uſque ad Nonam incluſivè celebrandam: ergo fieri poteſt de Die infra Octavam in hac Feria ſexta: alioquin non ceſſarent Octavæ poſt Nonam, ſed ad Laudes incluſivè. Rubrica igitur non prohibet Octavas, niſi in Veſperis: ergo per totum præcedens Officium videtur concedere: Et dum excipit ſolas Veſperas hujus Feriæ ſextæ, videtur firmare regulam in omnibus aliis Horis præcedenti-

dentibus non exceptis: Ergo videtur, quòd ipſa Rubrica admittat hodie Diem ſemiduplicem alicubi occurrentem infra Octavam: ſalva tamen ſemper meliori opinione.

Sed nondum finis difficultatibus: nam hodierna Rubrica, poſtquàm dixit, *Si verò Feria ſexta occurrat Feſtum novem Lectionum, fit de Feſto, cum commemoratione Officii ejuſdem Diei*, ſtatim ſequentia verba addit, videlicet, *niſi illud Feſtum fuerit ex ſolemnioribus, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus*: Examinandum igitur venit, quid importet verbum illud, *ex ſolemnioribus*, ut ritè & rectè procedamus in danda vel tollenda huic Feriæ commemoratione. Cùm enim Aſcenſio Domini anno 1731. occurriſſet die tertia Maii, ut in Tabula quarta ordinis perpetui, ego tranſtuli Feſtum Inventionis S. Crucis, quòd in Eccleſia Univerſali eſt duplex ſecundæ claſſis, in diem undecimam ejuſdem Menſis tunc Feriam ſextam poſt Octavam Aſcenſionis, & quidem juxta Rubricas: & in illo meo tertio Romano Divinorum Officiorum Decennio ſcienter omiſi, imò adnotavi non eſſe faciendam commemorationem hujus Diei in Laudibus, neque in Miſſa. Sed ſicuti hujuſmodi Directoria abbreviantur, ne fiant volumina, ideò tacui fundamentum meæ opinionis. Non defuerunt tamen Aliqui Diœceſanorum Libellorum Elucubratores, qui mihi adſcribentes errori illam ſcienter omiſſam commemorationem, ore rotundo dixerunt, quòd verbum illud Rubricæ, *ex ſolemnioribus*: intelligendum eſt de ſolis duplicibus primæ claſſis. Sed cùm modò neceſſe ſit dicere quid ſentio, rationem ſimul reddo ejuſdem meæ opinionis. Et eò magis libenter hoc facio, quia in quarto adhuc currente meo Romano Decennio ab anno 1733. uſque ad annum 1742. incluſivè, caſus denuò continget anno 1742. qui eſt ultimus iſtius Decennii. Itaque, quòd dictum verbum Rubricæ, *ex ſolemnioribus*, intelligendum ſit de utroque duplici, primæ ſcilicèt & ſecundæ claſſis, ſatis 729

ſuper-

ſuperque patere cenſeo ex ſequentibus tum au-
ctoritatibus tum etiam rationibus. Et licèt Ga-
vantus *tom. 2. ſect. 6. capitul. 17. ſub numer. 6. &*
ſeqq. loquens de hac Feria ſexta, nihil dicat ad
729 rem noſtram: ratio tamen eſſe poteſt, quia cùm
ei tunc temporis non potuerit ſuccedere caſus,
forſan omiſit notitiam: nam in ſua tabula quarta nec poterat hanc commemorationem admittere, nec omittere: ſiquidem repoſuit Feſtum Inventionis S. Crucis in die quinta Maii & tempore ſibi primò libera, nobis verò modò impedita ob novum Officium S. Pii Quinti à Clemente Undecimo Eccleſiæ Univerſali conceſſum *anno* 1713. *ſub die* 28. *Januarii*.

Ut autem incipiamus ab auctoritate: Guyetus 730
in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. capitul. 3. pagin. 248. maturè ponderans poſtremam clauſulam Rubricæ, ſcilicet, *niſi illud Feſtum fuerit ex ſolemnioribus, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus*, ſic expreſsè & clarè habet: *Si Feſtum occurrens fuerit primæ claſſis, nulla fiet commemoratio hujus Feriæ, nec in Officio, nec in Miſſa; ſi ſecundæ claſſis, fiet tantùm commemoratio in ſecundis Veſperis*: & ut hoc clariùs pateat, in Tabella commemorationis Feriarum à ſe ingenioſè inventa, ad formam Tabellæ Breviarii, dum Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis occurrit in duplici ſecundæ claſſis, ſub numero quinto dat reſponſum: *commemoratio in Veſperis tantùm*: ergo non in Laudibus; ergo non in Miſſa. Et poſt Guyetum, idipſum dixit eruditiſſimus Bernardus Biſſus *in Hierurg. tom. 1. verb. Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis*. Noviſſimus denique inter Scribentes de Sacris Ritibus, doctiſſimus Germanus, Joannes Baptiſta Halden, non contentus ſemel expoſuiſſe ſuam ſententiam *in Ephemerolog. par. 1. titul. 28. §. Si verò Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis, pag.* 167. iterùm clarioribus verbis confirmat *par. 2. titul. 5. die 8. Maii, §. Veſperæ, pagin.* 139. ubi explicans verba illa memoratæ Rubricæ, *niſi fuerit ex ſolemnioribus*, ſtatim ſubjungit, *hoc eſt, duplex prima vel ſecunda claſſis*,

claſſis. Et hæc cenſeo ſatis de auctoritate, nam *Funiculus triplex difficilè rumpitur*.

Et ut confirmemus rationibus, quod probavimus auctoritate: hodierna Rubrica, poſtquàm dixit, *niſi illud Feſtum fuerit ex ſolemnioribus*, immediatè addit, *ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus*, nec tamen me remittit ad aliquem numerum determinatum in dicta Rubrica de Commemorationibus: ergo debeo intelligere & de numero quinto, in quo de duplici primæ claſſis loquitur, & de numero ſexto, in quo de duplici ſecundæ claſſis manifeſtè eſt ſermo: uterque enim numerus ex inferiùs dicendis eſt *de ſolemnioribus*: alioquin non poſſum diſcernere, an loquatur de uno tantùm, vel de utroque duplici prædictæ qualitatis: ubi autem nulla eſt diſtinctio, ibi nulla eſt excluſio. Sed cùm una Rubrica explicet aliam, facit ad noſtram rem opportunè & clarè Rubrica *de Concurren. Offic. tit. 11. ſub numer. 7.* ubi revera ſic expreſsè habetur: *Si ſequens Feſtum fuerit ex ſolemnioribus ſupra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus, in ſecundo ordine, numero ſexto, &c.* ſed ſub illo numero ſexto enumerantur duplicia ſecundæ claſſis, ut clare patet legenti: ergo duo ſunt ordines Feſtorum ſolemniorum: ergo etiam duplicia ſecundæ claſſis veniunt ſub hoc nomine: ergo non ſola duplicia primæ claſſis. Nec deſunt aliæ rationes ex ipſo Rubricarum fonte deductæ: ſiquidem Rubrica poſita ante Feriam quintam in Die Octava SS. Corporis Chriſti ita habet: *Si hac die fuerit Feſtum duplex, in Veſperis fit tantùm commemoratio de eo, niſi fuerit ex ſolemnioribus, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus*: ergo forſan etiam hoc loco intelligenda eſt Rubrica de ſolo duplici primæ claſſis? Videat, quæſo, Lector explicationem hujus Rubricæ in primo Notando poſt Tabellam Concurrentiæ in Breviario, & ibi procuĺdubio ſic leget: *In primis Veſperis Diei Octava Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, totum Officium fit de Octava, cum commemoratione præcedentis Feſti duplicis, niſi fuerit* 73

Feſtum

Feſtum ſolemne principale , vel primæ , vel ſecundæ claſſis. Et hæc ſatis ſint , nam ſicuti tres retulimus quoad hoc auctoritates , ſic tres etiam ſufficere rationes cenſemus.

Explanatis , ut credimus, difficultatibus ex dicta Feria ſexta poſt Diem Octavam Aſcenſionis multifariè ſubortis , aliquid reſtat dicendum de Lectionibus ejuſdem Diei , ſiquidem in primo Nocturno *incipit Epiſtola tertia beati Joannis Apoſtoli*: unde ſi hac die fiat de Feſto proprias primi Nocturni Lectiones habente, vel deſiderante de Communi , *Initium* hodiernum non erit anticipatè legendum , ſed ponendum in Sabbato immediatè ſequenti , & ibi ſimul recitandum , ubi *incipit Epiſtola Catholica beati Judæ Apoſtoli* , non eſt enim præcedenter collocandum , ſi die ſequenti datur locus illud legendi , ut docet Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 5. *capitul.* 12. *ſub numer.* 12. & eſt juxta Rubricam *de Lection. titul.* 26. *ſub numer.* 7. ſed Sabbatum ſequens nunquam poteſt eſſe impeditum ex inferiùs dicendis : ergo impedita Feria ſexta , ejus *Initium* neceſſariò ponendum eſt in Sabbato. Quia verò etiam in Feria quarta præcedenti *incipit Epiſtola ſecunda beati Joannis Apoſtoli* : idcircò ſi dicta Feria quarta impedita ſit , in tali caſu , *Initium* ejuſdem Feriæ non erit ponendum in Feria quinta ſequenti , quia illæ Lectiones primi Nocturni reputantur propriæ de Die Octava , tanquàm de Aſcenſione tractantes : & ideò illud *Initium* anticipatè legendum erit in Feria tertia non impedita . Quòd ſi & Feria tertia & quarra impeditæ fuerint , ego ponerem in hac Feria ſexta, & duo recitarem *Initia*. 732

Quid verò agendum , ſi Feria quarta impediatur , nec ejus *Initium* legi poſſit in Feria tertia , & ſimul impedita remaneat hæc Feria ſexta ? Hæc duo *Initia* ponerem in Sabbato , & tria recitarem : licèt enim memorata Rubrica *de Lection. ſub numer.* 7. loquens de Initiis hujus temporis , non exprimat quot *initia* poſſint una die recitari , ſed tantùm dicat , *etiamſi plura Initia* 733

tia eodem die poni oporteat: attamen tria poni poſſe, ſed non plura, declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Collen. ſub die* 5. *Julii* 1698. *in reſponſione ad* 12. *dubium*: & hanc Declarationem, unà cum aliis eodem die emanatis, ego Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii & refert etiam P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice ſub numer.* 203. Patet ex dictis, quòd juxta variam Aſcenſionis occurrentiam, variumque Feriarum impedimentum, aliquo modò ſunt dicta *Initia* ponenda: quamvis Gavantus *ſect.* 6. *capitul.* 17. *ſub numer.* 5. inhærendo etiam ad ea, quæ dixit, *ſect.* 5. *capitul.* 12. *ſub numer.* 12. diſſerens de ipſiſmet Initiis, aſſerat, nihil curandum, ſi omnia legi non poſſint, ob eam, quam affert, rationem, quia ſcilicèt iſtæ Epiſtolæ, quæ infra Octavam Aſcenſionis leguntur, cùm habeant rationem unius Libri, ſufficit idcircò unum legere Initium: nam quod Gavantus affirmat probando, Guyetus probat negando, eſſe unum Librum, ut videre eſt *in Heortolog. libr.* 4. *capitul.* 6. *quæſt.* 2. *pagin. mihi* 281.

Sed veniamus ad Miſſam in dicta Feria ſexta celebrandam. Itaque ſi Officium ſit de hac Die, Miſſa dicitur de Dominica præterita infra Octavam Aſcenſionis cum colore albo, in qua dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione *Concede*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*; niſi occurrat Feſtum Simplex, quia tunc ſecunda Oratio erit de eo, & tertia *Concede*. In hac tamen Miſſa non dicitur *Credo*, quia non eſt verè Dies infra Octavam Aſcenſionis, & ex eadem ratione dicitur quidem Præfatio *Qui poſt Reſurrectionem ſuam*, ſed non *Communicantes*, quod ideò ſumitur hodie ex Canone Miſſæ. Si verò alicubi fiat de aliqua Die occurrente infra Octavam ſpecialem, Miſſa erit de illa Octava, cum *Gloria*, & cum ſecunda Oratione de hac Feria ſexta, ac tertia *Concede*, niſi ſimul occurrat Simplex, quia tertia Oratio erit de eo. Dicetur *Credo*, ſi Octava il- 734

lud

lud requirat, non tamen in fine Miſſæ legetur Evangelium hujus Feriæ, quia in Dominica ſufficienter fuit lectum, ait, & benè Gavantus *tom. 2. ſect. 6. capitul. 17. ſub numer. 7.* nam nec lecta fuit in Officio Homilia. Quòd ſi in illa Die infra Octavam particularem fiat de Feſto Semiduplici, in Miſſa de Feſto dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione de Octava, tertia de hac Feria ſexta, & forſan quarta de Simplici, ac etiam *Credo*; At ſi hodie agatur de Feſto duplici minori, vel etiam majori, adhuc Feria ſexta ſuam retinet in Miſſa ſecundam Orationem, quam tamen amittit, ſi Feſtum ſit duplex tam primæ, quàm ſecundæ claſſis. Præfatio autem, niſi Feſtum habeat propriam, dicitur de Aſcenſione, ſed *Communicantes* ut in Canone Miſſæ.

Veſperæ denique de ſæpe dicta Feria ſexta 735 poſt Octavam Aſcenſionis, ſi Officium factum ſit de hac Die, dicuntur ut in ſecundis Veſperis de Feſto Aſcenſionis: Capitulum verò de Dominica infra Octavam, *Chariſſimi: Eſtote prudentes*: Hymnus de Aſcenſione, *Salutis humanæ ſator*: Verſiculus, *Dominus in Cœlo, alleluja*: Reſponſorium, *Paravit ſedem ſuam, alleluja*: Ad Magnificat dicitur Antiphona, *Hæc locutus ſum vobis*, ex eadem Dominica, ex qua etiam ſumitur Oratio, *Omnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi, &c.* & non fit commemoratio, niſi Feſti Simplicis, ſi cras occurrat. Quòd ſi hodie actum ſit alicubi de Die infra Octavam ſpecialem, nihil fit de ea in hiſce Veſperis, quia ad Nonam incluſivè ceſſant Octavæ particulares, & ideò Veſperæ dicuntur ibi de hac Feria, ut ſupra. Guyetus tamen *in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. capitul. 12. quæſt. 6. pagin. 268.* ſupponens, quòd in hac Feria ſexta fieri poſſit de Die alicubi occurrente infra Octavam, tenet, quòd ſit continuandum de ea etiam in hodiernis Veſperis, nam Officium Diei Octavam præcedentis haud cenſetur terminari propriè ad Nonam, niſi quia ad Nonam,

Veſ-

Veſperæ fiunt de Die Octava ſequente : quidni in eo caſu , in quo Dies Octava ſupprimitur , continuabitur in Veſperis & Completorio Officium Diei illius infra Octavam , perinde atque continuatur aliorum , nullo Feſto ſequente? Hoc certè Rubricis & rationi longè conformius eſt , quàm ſi feſtivo Officio uſque ad Nonam producto , Veſperas feriales protinùs annectas : *Hucuſque Guyetus* . At quidquid ſit de hac opinione , in qua revera ipſe Guyetus eſt ſolus , omnibus aliis contrariam tenentibus , & talem profitentibus eſſe ſenſum Rubricæ : hoc unum veriſſimum eſt , quòd ſi in hac Feria ſexta occurrat alicubi Dies Octava , non ceſſat ad Nonam , ſed continuatur in ſuis ſecundis Veſperis cum commemoratione Feriæ , quia Dies Octava eſt complementum Octavę , & habet rationem Feſti : Rubrica verò intelligitur de Octavis inceptis & nondum completis.

Non defuerunt tamen aliqui Calendariſtę , (quorum Diœceſanos Libellos modò prę manibus teneo , & ſub oculos habeo) adnotantes non ſolùm in Veſperis Ferię ſextæ commemorationem de Die apud eos occurrente infra Octavam , ſed etiam in Laudibus Sabbati ſequentis : forſan quia arbitrati ſunt , Rubricam Octavarum excluſivam loqui de Veſperis Pentecoſtes , eo quòd *titul. 7. de Octavis ſub numer.* 1. revera dicat : *& idem ſervetur de Octavis nondum abſolutis , quando ſupervenit Feſtum Pentecoſtes* : ergo (forſan inferunt) in Vigilia ad Laudes poteſt fieri commemoratio de Die infra Octavam , quia nondum ſupervenit Feſtum Pentecoſtes . Attamen res non ita ſe habet , quia Octava Pentecoſtes ſupervenit in Sabbato , & conſequenter ad Laudes omittenda eſt dicta commemoratio Diei infra Octavam , imò & in Veſperis Feriæ ſextæ : unde Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 8. *ſub numer.* 9. explicans ſenſum Rubricæ , ait : *adveniente Vigilia Pentecoſtes , quæ ejuſdem eſt privilegii ad Octavas* 736

vas

vas mutilandas: Si Vigilia mutilat, ergo ad Laudes Sabbati non ſit commemoratio de Die infra Octavam. Sed & Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. capitul.* 13. *ſub numer.* 5. *pagin.* 266. hoc idem facit legitimè inferre: ait enim: *Si aliquod Feſtum occurrat habens Octavas, quæ nondum finitæ ſint in Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis, finiuntur ad Nonam hujus Diei incluſivè, nec ampliùs etiam ad Veſperas ſtatim ſequentes fit ulla commemoratio de Octava*; Si igitur in Veſperis Feriæ ſextæ non fit hujuſmodi commemoratio, multò minùs fiet in Laudibus Sabbati. Etiam Guyetus *in Heortologia libr.* 1. *ſect.* 1. *capitul.* 18. *quæſt.* 11. *pagin.* 84. intelligit de Vigilia; & ideò ſic habet: *Tertium tempus, quo interdicitur Octavis, eſt à Vigilia Pentecoſtes, &c.* ſi interdictum incipit à Vigilia; ergo in Vigilia non fit commemoratio de Die infra Octavam: & hoc clariùs eſt luce meridiana.

Una tamen inſurgit difficultas, ad cujus ſo- 737.
lutionem diſconveniunt Auctores: Quæritur enim quomodò regulandæ ſint Veſperæ, ſi in Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis actum ſit de Feſto Semiduplici. Primus omnium Gavantus proponit & reſolvit; nam *tom.* 2. *ſect.* 6. *capitul.* 17. *ſub numer.* 7. tenet, quòd in ſecundis Veſperis de dicto Feſto Semiduplici facienda tantùm ſit commemoratio Feriæ ſextę; & ejus ratio eſt, quia potiùs eſt occurrentia Feſti & Ferię, quàm concurrentia cum Sabbato ſequenti, quòd neque eſt Feſtum Semiduplex, neque Dies infra Octavam, ſed Officium ſemiduplex repetitę Dominicę uſque ad Nonam incluſivè. Ita Gavantus, ejuſque opinioni ſubſcribit Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *capit.* 13. *ſub numer.* 4. *pagin.* 266. ubi tacita ratione, claris tamen verbis, dat Feſto Semiduplici, ſive occurrenti ſive etiam tranſlato, Veſperas integras, cum commemoratione Ferię. Attamen dictę Gavanti opinioni adverſatur Guyetus *in*

Heortolog. lib. 4. *capitul.* 3. *quæſt.* 3. *pagin.* 248. *verſ. Hac porrò*: ubi ſic ratiocinatur: Rectè omninò (loquitur de ratione Gavanti) neque nos indè etiam ſumimus, quòd ſit concurrentia cum Sabbato: ſed cùm ſit occurrentia Feſti in ipſa Feria ſexta, & ipſa Feria ſexta more Dierum infra Octavas celebretur, certè præſtandum idem videtur, ac ſi eſſet Dies infra Octavam: in tali autem caſu fieret à Capitulo: ergo &c. *Hactenus Guyetus*: Sed mihi magis probatur opinio Gavanti. Cæterùm, ſi in hac Feria ſexta fiat de duplici primæ claſſis, in Veſperis nulla ſit commemoratio hujus Diei: at ſi fuerit duplex ſecundæ claſſis, fit in Veſperis commemoratio ejuſdem Diei. Denique ad Completorium in Hymno dicitur clauſula *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor, &c.* & tacentur Preces Dominicales.

Sabbatum verò in Vigilia Pentecoſtes adeò eſt privilegiatum, ut nullum admittit Feſtum novem Lectionum utcunque ſolemne, ſive illud ſit Patroni Loci, ſive Titularis Eccleſiæ, ſive etiam Dedicationis, ut plures docent Rubricæ, ſcilicet, *de translat. Feſtor. titul.* 10. *ſub nummer.* 1. & clariùs patet ex primo Notando *poſt Taboll. Occurren.* ac etiam in ipſo Sabbato, *in Breviario*. Nihilominùs ejus Officium celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore albo. Omnia dicuntur, ut dictum eſt in Feria ſexta præcedenti, ſed Lectiones trium Nocturnorum ſunt propriæ de hac Die. Oratio tamen Officii hodie diſcordat ab Oratione Miſſæ: ſed ratio patet, nam in Officio adhuc agimus de Aſcenſione; in Miſſa verò de Baptizatis in Spiritu Sancto. Si heri non fuit lectum *Initium* Epiſtolæ tertiæ beati Joannis Apoſtoli ob Feſtum, quod in primo Nocturno proprias habebat Lectiones, vide quæ diximus ſupra in Feria ſexta. Quòd ſi in hoc Sabbato occurrat Feſtum Simplex, dicitur quidem ejus nona Lectio ad Matutinum, ſed commemoratio non fit, niſi in Laudibus, & ideo 738

non

tion in Miſſa, ut à nobis dictum fuit *tom. 1. de Vigil. Pentecoſt.* Ad Primam non dicuntur Preces Dominicales: & in Martyrologio annunciatur primo loco, *Dies Pentecoſtes, quando Spiritus Sanctus Jeroſolymis ſuper Diſcipulos igneis linguis advenit.* Cùm autem ad Nonam incluſivè terminetur Officium de Aſcenſione, reliqua hujus Diei ſpectant ad Octavam Pentecoſtes, ibi idcircò videnda *in dicto Tomo primo.*

DE
OCTAVA COMMUNI
NATIVITATIS
S. JOANNIS BAPTISTÆ.
CAPUT SECUNDUM.

SEcunda ex communibus ſeu non privilegiatis Octavis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, eſt illa de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ: Sed antequam ea, quæ ad 739
Officium Rituſve hujus Octavæ ſpectant, pertractem, in Vitam & Laudes tam admirabilis Sancti liceat mihi cum Lectorum venia immorari, quæ & ipſis fortaſſe non ingrata erunt, & erga Baptiſtam amorem & devotionem accendent. Nativitas eſt illa tam celebris, quàm ſingularis: ſiquidem nulla alia de Sanctis celebratur in Eccleſia Dei. Tres etenim dumtaxat enumerantur Nativitates, ſcilicet, Chriſti Domini, ejus Matris Mariæ, & hæc S. Joannis: unde S. Auguſtinus hoc perpendens Joannis privilegium, *ſerm.* 20. *de Sanctis*, devota admiratione ſic ait: *Poſt illum Sacroſanctum Domini Natalis diem, nullius hominum Nativitatem legimus celebrari, niſi ſolius Beati Joannis Baptiſtæ: In aliis conſummata ultimi diei merita celebrantur: in hoc etiam prima dies, & ipſa etiam hominis initia conſecrantur*. Hinc apud Guyetum celebrem inſtitutionis Feſtorum indagatorem aſſeritur, quòd ſicuti nullius Sancti, niſi ſolius Joannis Baptiſtæ, conſuevit Eccleſia Nativitatem recolere: ſic eſſet temeritatis, forſan & erroris da-

muan-

Google

minandum; ſi quid ſecùs à quopiam tentaretur, inſtituendo ſcilicet Feſtum alicujus Sancti ſub titulo Nativitatis, ut videre eſt *in Heortolog. lib. 1. ſect. 1. cap. 8. quæſt. 9. pag. 50. juxta edit. Venet. de anno 1728. poſt Pariſien. de anno 1657.* Et revera Natalem S. Joannis celebramus, quod nulli unquam Sanctorum legimus fuiſſe conceſſum, iterum commendando dicit S. Auguſtinus *ſerm. 21. de Sanctis*,

Jure itaque merito hæc ſola celebratur inter Sanctos Nativitas: ſiquidem, antequàm exiret de ventre, ſanctificavit eum Dominus, ab utero vocavit illum, & de ventre Matris ſuæ recordatus eſt Nominis ſui: Apparuit enim Zachariæ Archangelus Gabriel ſtans à dextris Altaris Incenſi, & dixit: *Uxor tua Eliſabeth pariet tibi Filium*. Et ne Zacharias ei nomen ſibi benè viſum imponeret, ſubdidit Gabriel: *Et vocabis Nomen ejus Joannem*: Ecce Deus recordatus eſt Nominis ſui. Ex quo S. Ambroſius *Comment. in Luc. cap. 1. ante fin.* erigens mentem ſuper hanc Nominis impoſitionem, ita ait: *Habent hoc merita Sanctorum, ut à Deo Nomen accipiant*. Nec ſolum Nomen imponitur, ſed quis futurus ſit Joannes demonſtratur, nam Gabriel proſequitur: *Et erit magnus coram Domino*: magnus ſcilicet, ſanctificatione in utero, profundiſſima humilitate, caſtitate eximia, pœnitentia exemplari, zelo ſeraphico, vita potiùs Angelica quàm humana, Prophetia ſublimis officio Prædicatoris, inſtitutione Baptiſmi, munere Præcurſoris Chriſti, & Martyrio nobiliſſimo. Itaque Joannes cæpit eſſe Sanctus ab ipſo Matris utero, nam ad ſalutationem Beatæ Mariæ Virginis in viſitatione S. Eliſabethæ ejus Cognatæ, *exultavit Infans in utero ejus*: tunc enim Joannes credidit in Chriſtum, tunc eum adoravit, tunc eum dilexit, tunc præ gaudio exiliit, quæ ſunt ſigna ſanctificationis, ait Cornelius à Lapide *in Luc. cap. 1. verſ. 15.* 740

Exultatio tamen Joannis ſemeſtris non fuit motus naturalis, ſed ſupernaturalis, & quidem cum 741

uſu miraculoſo rationis: nam Joannis merita uſum rationis præſupponunt acceleratum, ut Deo revelante, Chriſtum in utero Virginis incarnatum agnoſceret, eique corporis geſtu & ſaltu reverentiam exhiberet, ac eandem Virginem ſalutantem reſalutaret. Porrò Joannes exultans in utero Matris, fecit eam pariter exultare, nam ex Joannis exultatione, ſuggerente Spiritu Sancto, agnovit Eliſabetha, Beatam Virginem Mariam concepiſſe Chriſtum, ideoque illam ut Matrem Dei reſalutavit, dicens: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Sicuti autem Eliſabetha repleta fuit Spiritu Sancto, ita in reſalutatione forſan uſa eſt verbis Archangeli Gabrielis, videlicèt: *Ave, Maria, gratia plena*: *Ave* enim inverſis litteris eſt *Eva*: Maria ergo, Evæ maledictiones in benedictiones convertit: & ideo canit Eccleſia: *Sumens illud Ave, &c. mutans Evæ nomen*. Manſit autem Maria cum ejus Cognata Eliſabetha quaſi tribus menſibus, cujus manſionis rationem ad profectum Joannis refundit S. Ambroſius: ait enim: *Non ſola familiaritatis eſt cauſa, quòd diù manſit, ſed etiam tanti Vatis profectus: nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, ut ad ſalutationem Mariæ exultaret Infans in utero, impleretur Spiritu Sancto Mater Infantis, quantum putamus uſu tanti temporis, Sanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam?* Sed ſinamus, ut Beata Virgo poſt tot obſequia Cognatæ præſtita, revertatur in Domum ſuam Nazareth: in illam inquam Domum, quæ poſtmodùm ab Angelis Lauretum translata, ibidem & religioſè colitur, & convenientibus eò ex toto terrarum orbe Peregrinis, Vota devotè ſolvuntur, & devotionis cauſa piè viſitatur, Miraculis clara, & ſatis ſuperque cognita.

Interim redeamus, quæſo, ad Gabrielem Archangelum, ut pateat Miraculum ex merito Joannis in perſona Zachariæ pœnam priùs ſufferentis. 742
Dum enim Zacharias hæſitavit, eo quòd erat ſenex, & Uxor ejus ſterilis, & proceſſerat in diebus ſuis, diffidit promiſſis ab Archangelo factis ideo-

ideoque attende pœnam, ſed limitatam, ut inde videas Miraculum, ſed plenum. Gabriel cognita Zachariæ diffidentia, dixit ei: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui*: Ecce pœna: *uſque in diem, quo hæc fiant*: Ecce limitatio pœnæ: *pro eo quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo*: Ecce ratio pœnæ. Concepto itaque Eliſabetha Filio die vigeſima quarta Septembris, nono poſt Menſe peperit eum die vigeſima quarta Junii, (anno ab Urbe condita 751. ante Chriſtum ſex menſibus, ut habet Caſerrius *in Synthem. Vetuſtat. ſub die* 24. *Junii*;) à pluribus viſitata, nam *audierunt Vicini, & Conſanguinei ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei*, quia ſcilicet ſenex parturiit, & quia Deus liberavit eam opprobrio ſterilitatis, ex more Hebræorum ventres ſteriles exprobrantium: unde Phennena exprobrabat ſterilitatem Annæ, quæ tamen multiplicatis precibus obtinuit Samuelem, *lib.* 1. *Reg. cap.* 8. Licèt autem mos eſſet Sacerdotibus circumcidere in Sinagogis, Puer tamen hic circumciſus eſt Domi ſuæ: unde *in die octavo venerunt circumcidere Puerum*: non ad libitum diei, ſed ad obſervantiam Legis, *Exod. cap.* 13.

Venientes autem ad Nominis impoſitionem, *vocabant eum nomine Patris ſui Zachariam*, qui ſicut erat mutus non poterat Nomen ſibi ab Angelo ſignificatum eis indicere. Eliſabetha verò Mater ſe oppoſuit, dicens, *nequaquam, ſed vocabitur Joannes*: ipſa igitur didicit à Spiritû Sancto, quod diſcere non potuit à Marito tacente. Sed qui erant Domi, Vicini & Conſanguinei occaſione Circumciſionis, neſcientes Nomen à Cœlo impoſitum, nec tamen contenti de Nomine illo, dixerunt unanimes ad Eliſabetham, ut mutaret, ex ea ratione, quia *nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*, volentes, ut juxta morem Judæorum imponeretur nomen Patrum & Cognatorum, quod & nos facimus Chriſtiani in Baptiſmo, imponentes Infantibus nomen de noſtra Conſanguinitate. Itaque arbitrantes, quòd Mater erraſſet 743

In Nominis impoſitione, & putantes quòd Pater obſequens conſuetudini, ad aliud nomen deveniret, *interrogabant eum, quem vellet vocare eum*. Zacharias tamen, licèt mutus, mente tamen erat liber, unde recordatus Nominis ſibi ab Angelo revelati, poſtulans tabellam, in qua tunc temporis ſtylo ſcribebatur, ſcripſit, dicens: *Joannes eſt Nomen ejus*. Quid autem mirum, ſi *mirati ſunt univerſi*? Audierunt conſtantiam Patris & Matris unanimiter idem Nomen volentium: Audierunt Zachariam, qui impleta ſilentii limitatione, poſt ſcriptum obedientialiter Nomen Joannis, loquebatur rectè, & quidem merito Filii, nam ſi in Nativitate ejus multi debebant gaudere, multo magis ejus Pater.

Hinc eſt, quòd *factus eſt timor ſuper omnes Vicinos eorum, & ſuper omnia montana Judeæ divulgabantur omnia verba hæc*. Timor quidem reverentialis erga Deum, qui tam potenter tot Miracula circa Joannem in Matre & Patre operatus erat: ubi enim Deus ſuam potentiam oſtendit, ibi oritur hominum erga eum ejuſque majeſtatem ſacer timor & reverentia: undè *poſuerunt omnes, qui audierant, in corde ſuo, dicentes: Quis putas Puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo*. Ex tot namque tantiſque Miraculis, quæ fecerat Deus in Nativitate Joannis, quid eſſet in futurum facturus, inferebant: & eò magis obſtupebant, quia Zacharias Pater ejus plenus Spiritu Sancto prophetavit, non ampliùs ſignis ut mutus, ſed viva voce ut lingua ſolutus, dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, &c.* Tenent omnes, quòd Joannes à Spiritu Sancto edoctus, intellexerit Patrem de ſe prophetizantem illis verbis: *Et tu, Puer, Propheta Altiſſimi vocaberis: Præbis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Pater quoque Zacharias propheticè cognovit Filium ſuum futurum Prophetam, Pœnitentiæ promotorem, Præcurſorem & Indicem Chriſti. 744

Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: 745
quo enim magis creſcebat corpore, eo magis ſpiritu

ritu

ritu ejuſque robore creſcebat, quia Spiritus Sanctus eum in dies majori ſapientia, gratia, & fortitudine imbuebat. *Et erat in Deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.* Itaque Joannes adhuc Puer conceſſit in Deſertum, ibique continuò manſit uſque ad annum trigeſimum, quo cæpit ſe oſtendere Populo, illique prædicare pœnitentiam, & fidem in Chriſtum. Unde Petrus Romanæ Eccleſiæ Diaconus & Monachus Caſſinenſis, inhærens pueritiæ Joannis, ita in Hymno Eccleſiæ devotè canit: *Antra Deſerti teneris ſub annis, Civium turbas fugiens petiſti.* Dicitur autem *fugiens*, quia Joannes fugit à crudelitate Herodis Aſcalonitæ: erat enim bimulus, & Herodes juſſerat occidi Infantulos *à bimatu, & infra.* Seceſſium ergo & fugam in Deſertum contigiſſe cauſa & timore Herodis, tenet Baronius *in Apparat. Annal.* ex Petro Alexandrino *in Regul. Eccleſiaſt. can.* 3. quas probavit ſexta Synodus, & ex Nicephoro *lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 14. ac etiam ex Cedreno *in Compend. Hiſtor.* quos omnes refert & ſequitur Cornelius à Lapide *in Luc. cap.* 1. *verſ.* 80. Ductus autem fuit in Deſertum ab ejus Matre Eliſabetha, quæ cum ipſo manſit per quadraginta dies, ubi etiam obiit: & Angelus curam educationis ſuſcepit, à quo Joannes Angelicam vitam didicit. Cùm igitur à nullo hominum in Deſerto doceri potuiſſet, ſed à ſolo Deo & Angelis ejus, Sacras Scripturas, & reliqua quæ prædicavit, à Deo infuſa accepit.

Poſt multum verò temporis, *in diebus illis venit* 746
Joannes Baptiſta, prædicans in Deſerto Judææ: Illi dies erant, in quibus Joannes ætatem habebat triginta annorum, & cæpit prædicare paulò ante Chriſtum in eadem ætate quaſi conſtitutum. Deſertum autem illud erat juxta Jordanem propè Ænon & Salim, celeberrimum copia aquarum ad Baptiſmum, ex quo Joannes cognominatus fuit *Baptiſta*, quaſi Baptizans: ipſe enim fuit inſtitutor Baptiſmi Pœnitentiæ: dicebat namque: *Pœnitentiam agite: appropinquavit in vos regnum Dei:* Ut autem priùs doceret pœnitentiam exemplo quàm verbo, ipſe ſolus

lus in Deſerto vitam auſteram egit per plures annos, ut congruus deinde fieret præco Pœnitentiæ: *Tunc exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Judæa, & omnis Regio circa Jordanem*, non ſola curioſitate videndi, ſed cauſa audiendi, ducti fama ſanctitatis & prædicationis, ac ſpiritu Dei impulſi, quia *fuit Homo miſſus à Deo, ut teſtimonium perhiberet de Lumine*, nempe de Chriſto: & ideo *non erat ille lux*, hoc eſt Chriſtus, ut multi errando putabant. *Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua*: In Baptiſmo autem Joannis proteſtabantur pœnitentiam, & ſe præparabant ad Baptiſmum Chriſti, ut eo juſtificarentur: & hinc erant *confitentes peccata ſua*: ſed non Sacramentaliter, ut fit in Confeſſione à Chriſto inſtituta. Verùm quidem eſt, quòd ſi illa Judæorum confeſſio, quæ erat index pœnitentiæ & compunctionis ſive contritionis internæ, perfectè proficiſcebatur ex amore Dei ſuper omnia, abluebat peccata & juſtificabat.

Quia verò Populus, qui à nullo Prophetarum Baptiſmum acceperat, ex ſanctitate vitæ, & fervore prædicationis, atque ex Baptiſmo ſuſpicabatur Joannem eſſe Meſſiam ſive Chriſtum: ideò Joannes hanc ſuſpicionem tollere volens de eorum cordibus, reſpondit, quòd ipſe baptizabat in aqua ſola, eoſque abluebat corpore; ut præpararet ad ablutionem animæ recipiendam in Baptiſmo Chriſti: & ideò dicebat; *Qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt: Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, nam Baptiſmus meus eſt aqueus, Chriſti verè erit igneus, quia Spiritus Sanctus ſpeciem ignis habet, juxta illud Deuteron. cap. 4. verſ. 24. *Deus tuus ignis conſumens eſt*. Unde Chriſtus aſcenſurus in Cœlum, ad hæc verba Joannis alludens, idipſumque promittens Apoſtolis, ait: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*. Act. cap. 1. verſ. 5. Eccleſia verò in Collecta Sabbati Pentecoſtes, ſic Deum precatur; *Illo nos igne, quæſumus, Domine Spiritus Sanctus inflammet*, &c. 747

Dum autem ſic agebatur à Joanne Baptiſta, 748

tunc

tunc venit Jeſus à Galilæa in Jordane ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Opportunè quidem venit Jeſus, ſiquidem tunc venit, quando Joannes Chriſtum prædicabat, quando eum ſibi præferebat, quando omnes excitabat ad pœnitentiam, & baptizando præparabat ad gratiam à Chriſto accipiendam, ut quem Joannes abſentem commendarat, præſentem indicaret, & digito oſtenderet, ſicuti Lucifer præit, & oſtendit ſolem orientem, ut egregiè Cornelius à Lapide *in Matth. cap.* 3. *verſ.* 12. Agnovit autem Joannes Chriſtum ex privato Dei inſtinctu & revelatione, unde *prohibebat eum, dicens: A te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Non faciam profectò: ego enim debeo à te ſuſcipere Baptiſmum, ut ſpiritualiter tuo ſpiritu & gratia perficiar. *Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Permitte me nunc à te baptizari, quia me ſuſcipiente, te verò dante Baptiſmum, quotquot aliorum Magiſtri ſumus, decet eos præire exemplo; Inſtituere volo Baptiſmum: Præcipientis eſt, quòd præcipit, præ aliis adimplere. Celebre ad rem eſt illud Catonis: *Patere Legem, quam ipſe tuleris.* Porrò non ſolùm Chriſtus recipiens, ſed & Joannes conferens ei Baptiſmum, implevit omnem juſtitiam, quia Joannes contendens de humilitate, & humili Baptiſmi ſuſceptione cum Chriſto, vincebat quaſi Chriſtum obedientia, cedendo & obediendo: ſicuti S. Dominicus volens dare dexteram S. Franciſco, cùm ille planè obſiſteret & occuparet ſiniſtram, dixit ei: *Tu me, Franciſce, vincis humilitate, ego te vinco obedientia,* quia tibi cedo & obedio.

749 *Tunc dimiſit eum* Joannes: Ceſſit Chriſto Baptiſmum petenti, eumque baptizavit, ut *ſi Deus ab homine accepit Baptiſma, nullus à Conſervo dedignaretur accipere,* ait S. Hieronymus. Pulchrè S. Bernardus ſerm. 1. de Epiphan. *Acquievit Joannes, & obedivit: Baptizavit Agnum Dei, & aquas lavit: nos abluti ſumus, non ille: quia nobis lavandis aquæ cognoſcuntur ablutæ.* Diem, quo Chriſtus à Joanne ba-

baptizatus eſt, fuiſſe Dominicum, tradit S. Auguſtinus *ſerm.* 154. *de temp.* licèt Joannes Lucidus *lib.* 7. *cap.* 2. cenſeat fuiſſe Feriam ſextam: At quidquid ſit quoad hoc, certum eſt, Chriſtum ſuſcepiſſe Baptiſmum die ſexta Januarii, eadem ſcilicet die, qua ante triginta annos adoratus fuerat à Magis: unde dicta die canit Eccleſia: *Lavacra puri gurgitis Cœleſtis Agnus attigit*: & iterum dicit in ſecundis Veſperis Epiphaniæ: *Hodie in Jordane à Joanne Chriſtus baptizari voluit, ut ſalvaret nos*. Jeſus autem poſt Baptiſmatis ſuſceptionem, *aſcendit de aqua: & ecce aperti ſunt ei Cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut Columbam, & venientem ſuper ſe.* Vidit quidem Jeſus: non tamen dubium, quin & Joannes idipſum viderit, ac cæteri qui aderant, utpotè propter quos hæc fiebant: unde Joannes poſtmodùm aliis & aliis turbis ad ejus Baptiſmum affluentibus, dixit: *quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi Columbam, & manſit ſuper eum.*

Et ecce vox de Cœlo, dicens: Hic eſt Filius meus 750
dilectus, in quo mihi benè complacui. Hìc primùm Orbi revelatum fuit myſterium SS. Trinitatis, quod Judæis obſcurè fuerat inſinuatum: dum Pater ſe oſtendit in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ, ut ſignificaretur Fides SS. Trinitatis jam explicanda: adeoque ejus nomine conferendus Chriſti Baptiſmus, prout poſtea in tali nomine conferendum eſſe præcepit Chriſtus Apoſtolis, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quis ſit autem iſte Filius, præclarè docet S. Leo *ſerm. de transfigur. Dom.* ad quem locum Lectorem remitto, Theologicam egregiam doctrinam auditurum. Valde autem probabile eſt, Chriſtum hoc loco & tempore, cùm à Joanne baptizaretur in Jordane, hoc ipſo inſtituiſſe Sacramentum Baptiſmi, quia aderat tota Trinitas, in cujus nomine baptizatur: ideò S. Auguſtinus ſerm. 37. de temp. ait: *Baptizatur novus homo, ut novi Baptiſmatis conſtituat Sacramentum:* tum quia ipſe Chriſtus initio prædica-

tio-

tionis per Diſcipulos baptizabat, ut habet *Jo. Evang. cap. 3. & 4.* ergo jam Baptiſmus erat inſtitutus: ergo inſtitutus in ipſo Chriſti Baptiſmo. Licet autem tunc inſtitutus fuerit, non tamen obligavit homines ad eum ſuſcipiendum uſque ad adventum Spiritus Sancti in Pentecoſte: nam uſque ad illud tempus fuit in conſilio, deinde vero fuit in præcepto. Et ratio eſt, quia in Pentecoſte facta fuit promulgatio Legis novæ, cujus initium eſt Baptiſmus, ut benè Cornelius à Lapide *in Matth. cap. 3. verſ. 17.*

Dum autem Joannes Baptiſta ſanctiſſimè officio fungeretur Prædicatoris & Baptizantis, Herodes Antipa Filius Herodis Aſcalonitæ Infantium Bethlehemitarum occiſoris, *miſit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem Uxorem Philippi Fratris ſui, quia duxerat eam.* Hæc Herodias fuit Filia Ariſtobuli Fratris hujus Herodis Antipæ, Soror Herodis Agrippæ ab Angelo occiſi, quia occiderat Jacobum Fratrem Joannis. Erat igitur Herodias ex Fratre Neptis, & Uxor Philippi alterius Fratris. Dicebat enim Joannes Herodi: *Non licet tibi habere Uxorem Fratris tui.* Initio tamen ſola Herodias volebat occidere Joannem, utpotè ſui adulterii reprehenſorem: At quia *Herodes metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum*, Herodias non poterat eum occidere. Attamen poſtea Herodes ab Uxore ſuaſus, fuit & ipſe infenſus Joanni ob crebras ejus reprehenſiones: unde miſit ſatellites, & vinxit eum in carcere. Beda tamen ait, quòd *Herodias timebat, ne Herodes ad increpationem Joannis aliquando reſipiſceret, & nuptias ſolveret, ac Fratri Philippo reſtitueret.* Et revera forſan Herodes hoc feciſſet, niſi Herodias inſidias molita eſſet, nam Herodes, audito Joanne, *multa faciebat, & libenter eum audiebat.* 751

Erat jam in carcere Joannes Baptiſta, quando *cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de Diſcipulis ſuis,* à quibus dicta opera audierat, fecit eum interrogare: *Tu es, qui venturus es, an* 752

alium

alium expectamus? Es tu magnus ille Propheta, Redemptor Iſraelis, & Salvator Mundi, ſeu Meſſias, ab omnibus Prophetis promiſſus, & à Patribus avidiſſimè deſideratus, qui hoc tempore, expletis de eo Prophetiis, quaſi jam venturus ab omnibus expectatur? Non eſt tamen ullo modo credendum, quòd Joannes Baptiſta per dictam Diſcipulorum miſſionem cum præfata interrogatione, dubitaverit de Jeſu, an ipſe eſſet Meſſias ſive Chriſtus, cùm jam primò agnoverit eum in utero Matris ſuæ, exultando: cùm jam in ipſo Chriſti Baptiſmo à ſe collato viderit Spiritum Sanctum in ſpecie columbæ in eum deſcendentem; cùm jam audierit vocem Patris de Cœlo allatam illum aſſerentem Filium ſuum dilectum: cùm poſtmodùm viſo Jeſu veniente ad ſe, ipſe Joannes dixerit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi: Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit Vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat.* Itaque clariſſimè cognovit Joannes Chriſtum ut Meſſiam: ſed morti vicinus, Diſcipulos de eo dubitantes miſit ut inſtruerentur, & ad Chriſtum traducerentur, ait Cornelius à Lapide *in Matth. cap.* 11. *verſ.* 3.

Jeſus verò reſpondens illis duobus Diſcipulis à 153
Joanne miſſis, ait: *Euntes, renunciate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis:* Quæ audiſtis ab aſtantibus Miracula à me facta: Quæ vidiſtis præſentibus vobis itidem à me patrata: & ſic reſpondeo veſtræ quæſtioni, non verbo, ſed facto, & re ipſa: & ideo ad rem ait S. Joannes Chryſoſtomus: *Teſtimonium à rebus efficacius & credibilius eſt.* Hæc enim Miracula, quæ vidiſtis me facientem, ſunt indices veri Meſſiæ aſſignati ab Iſaja *cap.* 35. *verſ.* 5. *& cap.* 61. *verſ.* 1. unde Lucas Evangeliſta *cap.* 7. *verſ.* 21. addit, quòd Chriſtus *in ipſa hora*, in qua venerant illi duo Diſcipuli, *multos curavit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum.* Nec enim Elias, nec Eliſæus, nec Moyſes, nec quis alius Propheta, tot ac tanta fecit Miracula, quot Chriſtus: ideò S. Cyrillus *lib.* 2. *Theſauri, cap.* 4. inquit: *Miraculorum magnitudine, ſimul*

ſimul

mul & multitudine, *oſtendit ſe Meſſiam eſſe*. Quod autem addidit Jeſus in reſponſione ad dictos duos Diſcipulos, ſcilicèt: *Cæci vident*, *Claudi ambulant*, *Leproſi mundantur*, *Surdi audiunt*, *Mortui reſurgunt*: alludit ad Iſajam indicia hujuſmodi dantem ad cognoſcendum Meſſiam: nam revera Iſajas *cap.* 35. *verſ.* 4. ſic clarè habet: *Deus ipſe veniet*, *& ſalvabit nos*: *Tunc aperientur oculi Cæcorum*, *& aures Surdorum patebunt*; *Tunc ſaliet ſicut cervus Claudus*, *& aperta erit lingua Mutorum*.

His auditis & viſis, duo Joannis Diſcipuli, 754
confirmati in cognitione Meſſiæ, diſceſſerunt. *Illis autem abeuntibus*, Chriſtus coram Populo laudavit Joannem, ut Joanni Populus fidem adhiberet ipſum Jeſum teſtanti eſſe Meſſiam, dum à Chriſto intellexit, Joannem eſſe Virum divinum, & quaſi Angelum è Cœlo lapſum. Itaque cæpit Jeſus dicere ad Turbas de Joanne: *Quid exiſtis in Deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* Non mutat Joannes ſententiam ſuam de me, quòd non ſim Meſſias, ut cùm priùs me eſſe Meſſiam, firmè tenuerit, modò de me dubitet, & ideò Diſcipulos ad hoc miſerit, ut certior fieret, & aliter de me nunc ſentiat. Non eſt enim Joannes *Arundo*, quæ vento huc illuc agitatur, & eſt inſtabilis: ſed eſt veluti Quercus, quæ immota in veritate & conſtantia contra omnia laudantium & detrahentium flabra conſiſtit: ut quod priùs, cùm liber eſſet, tantâ libertate de me ſenſit & teſtatus eſt, idipſum nunc carceri ab Herode incluſus, pari fortitudine ſentit & teſtatur: nec ob metum Herodis ſententiam mutat: Ratio autem, ſi vultis ſcire, propter quam Diſcipulos ſuos ad me miſit, non eſt ſua dubitatio, ſed Diſcipulorum inſtructio & aſſecuratio, ut ipſi re ipſa ex Miraculis videant, teſtimonium Joannis de me eſſe verum, mèque eſſe Meſſiam. Quin & vos ipſi, qui ad illum loquentem & prædicantem in Deſertum exiſtis, creditis illum non eſſe virum levem, qui mutetur ut *Arundo*, ſed ſerium creditis & conſtantem, qui à Deo agitatur, ut quod ſemel dixit, hoc ſemper dicat.

Nec

Digitized by Google

Nec hîc finis elogiis Joannis: ſiquidem ſubdidit 755
ſtatim Jeſus: *Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce, qui mollibus veſtiuntur, in Domibus Regum ſunt*: Dives Epulo quotidiè induebatur purpura & byſſo, & epulabatur ſplendidè: Joannes non ſic ſe veſtit, ſed pilis Camelorum induitur: Joannes non ſic ſe alit; ſed locuſtis & melle ſylveſtri utitur, nec vinum aut ſiceram bibit, omnis mundanæ gloriæ & voluptatum contemptor, & eſt veluti Eremita ac Cœlicula: *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis & pluſquàm Prophetam*: Alii enim Prophetæ Chriſtum prædixerunt futurum, Joannes præſentem oſtendit: Vos ipſi videtis, quia eſt pluſquam Propheta, nam Divino Spiritu illuſtratus, me plenius & perfectiùs, quàm aliquis Prophetarum, cognovit. Si tandem ſcire vultis, quis ſit Joannes Baptiſta: Hic eſt, de quo ſcriptum eſt à Malachia cap. 3. verſ. 1, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Eſt ergo Joannes *Angelus* moribus, *Angelus* virtutibus, *Angelus* ſanctitate, *Angelus* illuſtrationibus, *Angelus* plenus gratia Dei, *Angelus* annunciator Meſſiæ.

Ut autem Turbæ majora de Joanne audirent, 756
uno verbo tandem concludit Jeſus encomia Joannis, cum ſequenti exaltatione: *Amen dico vobis: non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*. Hoc loco Chriſtus dat alteram rationem, propter quam Joannes eſt pluſquam Propheta: dum enim dicit, quòd *non ſurrexit major*: ergo cæteri Prophetæ fuere minores, & conſequenter Joannes pluſquàm Propheta. Et revera, abundantior fuit & ſublimior Spiritus, Prophetia, Vita, & Geſta Joannis, quàm cæterorum Prophetarum: ſiquidem Joannes fuit quaſi continuum miraculum in Conceptione, in Utero, in Nativitate, in Vita Angelica. Miraculo enim ex Parentibus ſterilibus & ſenibus conceptus fuit: Miraculo Chriſtum in Utero agnovit, ſalutavit, adoravit: Miraculo naſcens, commune omnibus gaudium afflavit: Miraculo in Circumciſione loquelam reddidit Patri muto: Miraculo

raculo Puer abiit in Deſertum, ibique tota vita vixit quaſi Angelus. Habet ergo Joannes lauream Virginitatis, Prophetiæ, Doctoratus, & Martyrii, ut benè obſervat Cornelius à Lapide *in Matth. cap.* 11. *verſ.* 11. ubi etiam addit ſequentia elogia de Joanne à Beato Petro Chryſologo enunciata *ſerm.* 27. videlicet: *Joannes Schola Virtutum, magiſterium Vitæ, Sanctitatis forma, norma Juſtitiæ, Virginitatis ſpeculum, Pudicitiæ titulus, Caſtitatis exemplum, Pœnitentiæ via, Fidei diſciplina: Joannes major homine, par Angelis, Legis ſumma, Evangelii ſanctio, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, Lucerna Mundi, Præco Judicis, Præcurſor Chriſti, metator Domini, Dei teſtis, totius medius Trinitatis.*

Sed tandem Joannes exit de carcere: Quis non crederet abſolvendum? *Quis non, cùm è Convivio ad Carcerem curſitari videret, putaret Prophetam juſſum eſſe dimitti? Quis, inquam, cùm audiſſet natalem eſſe Herodis, ſolemne Convivium, Puellæ optionem eligendi quod vellet datum, miſſum ad Joannem ob ſolutionem non arbitraretur?* Sic judicandum fuiſſe infert S. Ambroſius *de Virginib. lib.* 3. *poſt init.* Attendite tamen quod ſequitur: *Cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cænam fecit Principibus, & Tribunis, & Primis Galilææ: Cùmque introiſſet Filia Herodiadis* ex Philippo priore Marito, nomine Salome, *& ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi:* Ecce Herodes illaqueatus, quia placuit: unde Eccleſiaſticus cap. 9. ait: *Cùm Saltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Rex ſaltatione nimis motus, ait Puellæ: *Pete à me quod vis:* Ecce Herodis debilitas in tanta facultate Puellæ conceſſa. Puella petitionis neſcia, dicit Matri ſuæ Herodiadi: *Quid petam?* Non poterat Filia pejus conſulere de hac re, niſi Matrem iniquam. Jam *Herodias inſidiabatur* Joanni, *& volebat eum occidere, nec poterat:* unde data occaſione, reſpondit Filiæ, & dixit: *Caput Joannis Baptiſtæ:* Itaque Filia accepto à Matre conſilio, dixit Herodi: *Volo, ut proti-* 257

nùs des mihi in diſco Caput Joannis Baptiſta : Ecce Herodes victus; quia audivit eam: & quia audivit, exaudivit. Quid contriſtaris, Rex ſceleſtiſſime? Mittis ſpiculatorem, ut decolletur Joannes in carcere, & contriſtaris? Nonne es tu, qui libenter eum audiebas? Cur non dicis Puellæ, ut petat quod juſtum eſt? tam facilè aſſentiris injuſtitiæ? Ita eſt: Joannes factus eſt victima Caſtitatis, quia eſt reprehenſor libidinis: Quapropter S. Auguſtinus *ſerm.* 36. *de Sanctis*, ad rem ait: *Joannes maluit injuſta ſuſtinere, quàm juſta non dicere.*

758 Quia ſtatim voluit Puella Caput Joannis, ſtatim ei exhibetur in diſco. Accipe Filia quod petiſti: Accipe Mater quod deſideraſti: Inſulta, Herodias nondum ſatiata, præciſo Capiti, atque acu diſcriminali ſanctiſſimam illam linguam perfora. Herodes tamen Joannem, quem priùs timebat vivum, timuit magnoperè mortuum: unde S. Joannes Chryſoſtomus *in Matth. cap.* 14. ſuper hoc Herodis timore ſic benè ait: *Magnum quod eſt virtus, nam & defunctum Herodes timet.* Itaque auditis Herodes tot Miraculis de Jeſu, quem in veſte alba illuſum remiſit ad Pilatum, putabat in Chriſto reſurrexiſſe Joannem, & ideo dicebat timidus: *Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis reſurrexit*: vigebat enim tunc temporis ſententia Pythagoræ de animarum ex uno corpore in aliud tranſmigratione. Eum tamen à ſe occiſum timuit Herodes, ne reſurgens, necem ſuam vindicaret. Vide hic, quàm ſanctus fuerit Joannes, & quanta de ſanctitate ejus fuerit opinio, utpotè quem Herodes ex communi fama cenſuerit reſurrexiſſe, adeòque Joannem fuiſſe Meſſiam ſive Chriſtum: & tamen ipſe Joannes non ſemel ſuper hoc requiſitus, ſemper & conſtanter ac fideliter *confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.*

759 Duos Sanctus Joannes Baptiſta habuit ſibi infenſos Herodes, Patrem & Filium: Patrem ſcilicet Aſcalonitam, qui eum quæſivit in generali

Infan-

Infantium Bethlehemitarum occiſione: Filium verò Antipam, qui eum in carcere detentum decollavit. Primus non potuit invenire quæſitum: Secundus voluit in carcere decollatum. Unus non occidit, quia non invenit: alter, quia invenit, occidit. Ambo crudeles: ambo à Deo vindice puniti. Aſcalonita poſt quinque dies ab Infanticidio, febri, tuſſi, dyſenteria, hydrope, podagra, morbo pediculari, putredine verendorum, aſthmate, & fætore intolerabili percuſſus, animam truculentam exhalavit, adeò ut ipſe ſeipſum occidere conatus fuerit. Antipa verò victus fuit in Bello ab Areta Arabiæ Rege Socero ſuo: deinde in exilium cum Herodiade pulſus Lugdunum, Tetrarchia & bonis omnibus ſpoliatus eſt à Cajo Caligula Imperatore, idque agente & accuſante eum Agrippa Fratre Herodiadis, ut teſtatur Joſephus *lib. 18. hiſtor. Judaic. cap. 10.* Sed & Filiæ ſaltatrici, quæ protinus voluit in diſco Caput Joannis Baptiſtæ, ſtatim caput amputatum eſt, non ferro, ſed glaciei cruſtis in flumine: & quia placuit ſaltando, ſaltavit & caput ejus ſejunctum ad ſpectaculum adſtantium. Generatio Herodum perverſa: nata & Herodes Agrippa Frater Herodiadis, quia occidit Jacobum Fratrem Joannis gladio, ab Angelo cæſus eſt.

Joannes autem Baptiſta & ſuæ & Chriſti mor- 76
tis qualitatem prophetizavit: ſiquidem dixit: *Illum oportet creſcere, me autem minui*, ut habet Joannes Evangeliſta *cap. 3. verſ.* 30. Attamen, licèt Aliqui hoc interpretentur quaſi Aſtronomicè de utriuſque Nativitate in Hyeme reſpectivè & in Æſtate: quia ſcilicèt Chriſtus natus eſt die vigeſima quinta Decembris, quando dies incipiunt creſcere: Joannes verò natus eſt die vigeſima quarta Junii, quando dies incipiunt minui: nihilominùs Joannes Baptiſta forſan prophetavit non de Nativitate, ſed de modo moriendi: nam revera Chriſtus crevit in Cruce, Joannes minutus eſt in Capite. Sed S. Auguſtinus *ſerm. 21. de Sanctis*, hoc intelligit, de humilitate Joannis, &

de exaltatione Chriſti: & ideò ait[1]: *Humilietur homo, ut exaltetur Deus*: quòd ſpectare poteſt ad ea, quæ dixit Joannes, quia *non ſum ego Chriſtus*. Audita itaque Diſcipuli decollatione S. Joannis Baptiſtæ eorum Magiſtri, *venerunt, & tulerunt Corpus ejus, & poſuerunt illud in Monumento*. Obiit autem Decollatus anno poſt natum Chriſtum 33. die 25. Martii, ut habet Caſerrius *in Synthem. Vetuſtat. ſub die* 24. *Junii*. Nec tamen finis crudelitati. Corpus S. Joannis ſepultum eſt in Sebaſte; quæ priùs Samaria fuit dicta, ubi pariter alij duo Prophetæ ſepulti ſunt, Eliſæus & Abdias. Porrò tanta Miracula faciebat Joannes in Sebaſte, ut Julianus Apoſtata juſſerit ejus Corpus comburi: ſed Reliquias ejus ſuffurati ſunt Chriſtiani. Unde S. Joannes, qui duos habuit Herodes ſibi infenſos in vita, habuit inimicum Apoſtatam in morte.

Accipe, Sancte Joannes Baptiſta, prout humiliter deprecor, quæ hactenus de te jure merito 761
dicta ſunt. Quæ etenim audiſti præcipua encomia, ea ab illius ore procedunt, cujus fuiſti fidelis Præcurſor. Sunt & elogia Sanctorum Patrum: ſunt & omnium Sacrorum Interpretum laudationes. Omnia eo, quo potui, ſtudio libenter collegi in tui reverentiam Nominis, quod ego indigniſſimè fero, quo ſum ſpecioſè extra meritum inſignitus & decoratus; Accipe, inquam, benignis oculis, quod ego offero ſubmiſſis, tuiſque validiſſimis interceſſionibus Meſſiam ſive Chriſtum à te digito oſtenſum exora & obtine, ut ſicuti etiam Zacharias vocor, ſic talem mihi loquelam dignetur concedere, ut paſſim & valeam celebris tuæ Nativitatis Feſtivitatem, totamque conſequentem Octavam ritè & rectè juxta mentem Eccleſiæ inchoare & perficere: Hujuſce enim Octavæ introductio eſt iſta mea ad te directa ſupplex oratio.

§. I.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam S. Joannis Baptiſtæ.

HOc Feſtum Nativitatis S. Joannis Bapti- 762
ſtæ habet Octavam, quàm licet Piſcara in Cæremoniali ſui Ordinis *lib.* 2. *cap.* 20. *ſub numer.* 5., *pag.* 93. non tam ſolemniter celebret, adſcribens illam inter Feſta quidem primæ claſſis, ſed de tertio ordine: attamen Baronius *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub die* 1. *Julii, litt. a*, eam facit ſolemniorem, citato pro ſe Radulpho *de Canon. Obſervan. circa Divin. Offic. can.* 19. ubi agens de differentia majorum ac minorum Octavarum, ſtatim ſubdit de noſtra Octava: *numeratur hæc autem inter majores Octavas*. Antequàm verò deſcendamus ad hujus Octavæ explicationem, nonnulla occurrunt dicenda de Vigilia, quæ Feſtum Nativitatis præcedit, & quidem cum Jejunio præceptivo. Itaque hujus Vigiliæ Officium in colore violaceo recitandum, ſi de ea ex integro agendum ſit, totum fit, ut dicitur in Rubrica Breviarii *de Vigiliis*, *tit.* 6. *ſub num.* 4. exceptis tamen tribus Lectionibus propriis de Homilia S. Ambroſii Epiſcopi in Evangelium Lucæ, *Fuit in diebus Herodis Regis Judææ*, ſed Reſponſoria ſumuntur ex Feria occurrenti in Proprio de Tempore. At ſi Vigilia occurrat in Sabbato, quia in Sabbato neque ponuntur, neque citantur Reſponſoria, ideò dicuntur juxta Rubricam Generalem Breviarii, *de Reſponſ. poſt Lect. tit.* 27. *ſub n.* 5. Imò in ipſo Sabbato ad Pſalmos Nocturni dicitur *Jubilate*, omiſſo Pſal-

to *Bonum eſt*, Et quia in hoc Officio Vigiliæ tacetur Hymnus *Te Deum*, ejus loco recitatur tertium Reſponſorium, Ad Laudes omnia itidem ſumuntur ex Feria occurrenti in Pſalterio, comprehenſa etiam Antiphona ad *Benedictus*, quæ poſt Canticum integrè recitata, dicuntur Preces feriales flexis genibus, tam in Choro quàm extra, juxta Gavantum *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 1. *ſub num.* 4. Oratio autem eſt propria hujus Vigiliæ, nempè, *Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut Familia tua, &c.*

Ad dictas Laudes in Officio de Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, poſt Orationem Diei fit commemoratio de Cruce, ut ad Laudes Feriæ ſecundæ in Pſalterio, cum aliis communibus Sanctorum commemorationibus ſeu ſuffragiis. Cùm autem inter hæc Suffragia debeamus commemorationem facere de Patrono Loci, & de Titulari Eccleſiæ, juxta Rubricam Breviarii *de Commem. commun. tit.* 35. *ſub num.* 1. & in altera Rubrica in Pſalterio poſt Veſperas Sabbati: idcircò ubi S. Joannes Baptiſta eſt Patronus Loci, vel Titularis Eccleſiæ, non fit ibi ejus commemoratio inter hodierna Suffragia: quia ſufficit Oratio Vigiliæ, in qua expreſsè habetur nomen *beati Joannis Præcurſoris*, Nec ſumus in caſu Gavanti *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 5. *ſub num.* 15. ubi tenet, in Dominica Sexageſimæ faciendam eſſe commemorationem S. Pauli in Eccleſia ei dicata, ea ratione, quia in Collecta Dominicæ nominatur S. Paulus occultiori nomine *Doctoris Gentium*: nam in noſtro caſu Oratio Vigiliæ non ſolùm dicit *Præcurſoris*, ſed aperto nomine præmittit *Joannis*: Dum ergo nomen eſt clarè poſitum, in claris nulla fit interpretatio. Præterquàm quòd, circa Vigilias Patronorum vel Titularium, in Locis Patronatus, vel in Eccleſiis Tituli eſſe omittendam commemorationem in Suffragiis, ipſe inferendo non dubitat Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 18. *ſub num.* 14. Et licet generaliter loquendo, Oratio pro hujuſmodi commemoratione ſumatur

ex

ex Feſto, & non ex Vigilia, ut innuit Gavantus *loco proximè citato*, *ſub numer.* 10. attamen quæcunque ſit illa Oratio, diverſitas Orationis non tollit duplicem ſeu binam nominationem ejuſdem Sancti, quæ in una eademque Hora Canonica eſt evitanda.

Quòd ſi in hac Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, in qua Officium fiat de ea, alicubi forſan occurrat prima Dies Menſis non impedita (hoc tamen vix contingere poteſt, vel certè raro) dicendum erit Nocturnum cum Laudibus Defunctorum juxta ordinem Feriæ occurrentis, vigore Rubricæ *de Offic. Defunctor. in fine Breviarii.* Tandem ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, iterum fit recurſus ad Pſalterium pro illarum recitatione, cum Precibus ferialibus, & quidem flexis genibus ad unamquamque earumdem Horarum, ſed cum Oratione propria. Huc tamen accedit, quòd ſi in hac Vigilia occurrat Feſtum SS. Corporis Chriſti, Jejunium anticipatè transferetur quidem in Feriam quartam immediatè præcedentem, ſed non Officium ipſius Vigiliæ, de qua eo anno nihil erit faciendum, juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, quas extendimus *tom.* 1. *cap.* 5. *de Oct. privileg. SS. Corpor. Chriſti.* Jejunium autem eo anno anticipatum in dicta Feria quarta, nempè in die vigeſima ſecunda Junii, non erit iterum anticipandum in Feria tertia, eo quòd forſan in eadem Feria quarta occurrat alicubi Feſtum de Patrono principali Loci, quod habet annexum præceptum audiendi Miſſam & vacandi ab operibus ſervilibus, juxta Conſtitutionem Urbani Octavi de anno 1642. ſub die 13. Septembris, ut habetur in mea poſtrema Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 660. *pag.* 205. hoc enim eſt ſpeciale Privilegium ſoli magnæ Feſtivitati SS. Corporis Chriſti conceſſum, ne in tanta Solemnitate jejunetur, in qua eſt lætandum. 764

At ſi die vigeſima tertia Junii fuerit Dominica, tunc & Officium de Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, & ſimul ejus Jejunium erit transferendum 765

ad diem vigeſimam ſecundam immediatè præcedentem, videlicèt in Sabbatum, juxta Rubricam Generalem Breviarii *de Vigiliis*, *titul.* 6. *ſub numer.* 2. & eo caſu, omiſſa ad Matutinum utraque Lectione S. Paulini Epiſcopi & Confeſſoris, qui eo die occurrit ſub ritu ſimplici, fiet tamen de eo commemoratio in Laudibus, deinde de Cruce, cum reliquis Sanctorum ſuffragiis. Tranſlata tamen dicta Vigilia in Sabbatum immediatè præcedens ratione Dominicæ die vigeſima tertia occurrentis, non tamen anticipanda erit ad Primam Lectio de eadem Vigilia in Martyrologio, licèt ex dictis in hujuſmodi caſu anticipetur ejus Officium cum Jejunio, ut optimè tradit Gavantus *in Theſauro Sacror. Rit. tom.* 2. *ſect.* 5. *capitul.* 21. *ſub numer.* 11. Die verò vigeſima tertia Junii, in qua revera occurrebat Officium Vigiliæ; fit Officium de Dominica tunc incidente, ſive illa ſit Dominica poſt Pentecoſten, quæ recurrit ad Pſalterium, ſive ſit Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, quę multa ſumit ex eadem Octava: ſed quęcunque illa ſit Dominica, ante Miſſam ſolemnem fit conſueta Aquę benedictę aſperſio in Cathedralibus; & Collegiatis, aliiſque Eccleſiis, in quibus laudabilis hujuſmodi conſuetudo ſervatur in Dominicis.

Quòd ſi in hac Vigilia S. Joannis Baptiſtæ non 766
impedita ab occurrente Dominica, alicubi fiat de aliquo Feſto, quod ſit proprium Eccleſiæ vel Loci, & hodie incidat, non erit primo loco annunciandum ad Primam in Martyrologio, quia Regula ejuſdem Martyrologii concedentis primo loco pronunciationem hujuſmodi Feſti, non ſupponit occurrentiam Vigiliæ, quæ præmitti debet, non verò poſtponi, nam illa annunciatio Feſti intelligitur primo loco facienda ante elogia Sanctorum illius Diei, non verò ante Vigiliam occurrentem: nam debemus exemplum ſequi ipſius Martyrologii, ubi hac die priùs ponit ipſam Vigiliam, deinde Sanctorum elogia: & hoc Dubium proponit, & ita reſolvit Guyetus *in Heortolog.*

tolog. l. 2. *ſect.* 4. *cap.* 14. *qu.* 4. *pag.* 126. Illud etiam notandum eſt, quòd ſi in aliquo Loco non ſervaretur hæc Vigilia, adhuc eſſet ibi pronuncianda in Martyrologio, eò prorſus modo, quo pronunciantur elogia illius Diei, licèt forſan nullibi fiat officium de aliquo ex illis. Cæterùm in hac Vigilia fieri poteſt de quocunque Officio novem Lectionum, etiam de Die infra Octavam, ſi alicubi occurrat: etiam de Feſto tranſlato, ſi in aliqua Eccleſia habeatur reponendum: & tunc ad Matutinum dicitur non Lectio de Vigilia, & fit ejus commemoratio in Laudibus: etiamſi Dies infra Octavam eſſet de SS. Corpore Chriſti, in qua non dicitur nona Lectio de Feſto ſimplici occurrente. Verum quidem eſt, quòd in dicta occurrentia Diei infra Octavam SS. Corporis Chriſti videtur ad octavam Lectionem addenda nona, quia omnes tractant de SS. Sacramento, deinde recitarem nonam Lectionem de Vigilia. Denique clarè patet, quod ſi hodie agendum eſſet de Feſto duplici primæ claſſis ſive occurrente ſive tranſlato, Vigilia in totum deperderetur, juxta Rubricam Breviarii *de Vigiliis*, *titul.* 6. *ſub numer.* 2. & conſequenter, ſervato ea die Jejunio, nihil fieret de Vigilia, niſi Feſtum illud eſſet de SS. Corpore Chriſti, quia, ut ſupra diximus, omiſſo Officio Vigiliæ, Jejunium anticiparetur in Feria quarta.

§. II.

§. II.

De iis , quæ ſpectant ad Miſſam , & Veſperas in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ .

Miſſa , ſi Officium ſit de Vigilia , eſt propria , celebranda in colore violaceo ſine *Gloria* , cum ſecunda Oratione *Concede* , & tertia *Eccleſiæ* , vel *pro Papa* . Sed ſi Vigilia tranſferatur in Sabbatum immediatè præcedens ratione Dominicæ occurrentis , ſecunda Oratio erit de S. Paulino Epiſcopo & Confeſſore , ac tertia *Concede* . At ſi forſan alicubi hodie , ſit prima Dies Menſis pro recitatione Nocturni cum Laudibus Defunctorum , in Miſſa Vigiliæ dicetur ſecunda Oratio *Fidelium* , & tertia *Concede* , vel S. Paulini , juxta Vigiliæ celebrationem in die vigeſima tertia , vel anticipatè in die vigeſima ſecunda . Præfatio verò in hac Miſſa eſt communis , ut patet ex dictis in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer, margin.* 508. *pagin.* 151. Antiquitùs tamen dicebatur in hac Vigilia Præfatio propria , ut videre eſt *in Sacramen. Gregorian. tom.* 3. *Oper. pagin.* 108. & erat ea , quæ ſequitur , videlicet ; *Verè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutare , nos tibi ſemper , & ubique gratias agere , Domine ſancte , Pater omnipotens , æterne Deus ; Exhibentes ſolemne Jejunium , quo Beati Joannis Baptiſtæ Natalitia prævenimus . Cujus Genitor, dum eum dubitat naſciturum , ſermonis amiſit officium : & eo naſcente , & ſermonis uſum , & Prophetiæ ſuſcepit donum : Cujuſque Genitrix ſenio con-* 767

fecta,

fecſa, ſterilitate mulctata, in ejus conceptu non ſolùm ſterilitatem amiſit, fæcunditatem acquiſivit, ſed etiam Spiritum Sanctum, quo Matrem Dei & Salvatoris agnoſceret, accepit. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.

Eadem numero verba Præfationis Gregorianæ habet Præfatio Ambroſiana, quæ etiam in hodiernis Miſſalibus illius Ritus cernitur impreſſa, & adhuc apud ſuos recitatur. Et quia priſca Romanæ Eccleſiæ conſuetudo erat, ut inter Miſſam Epiſcopus Populo benediceret quibuſdam conceptis precationibus (ut fuſiùs diximus *tom. 1. in Miſſa de nocte Nativit. Dom.*) ideò volumus Benedictionem Epiſcopalem huic Miſſæ de Vigilia S. Joannis accommodatam & convenientem per extenſum ponere, quæ licèt proprio loco deficiat in dicto Libro Sacramentorum S. Gregorii, illa tamen reperitur in alio Benedictionum Epiſcopalium ſupplemento, *ibidem*, *pagin.* 638. & ſequenti formula contenta, ſcilicet; *Deus, qui Beatum Joannem Baptiſtam magnum nunciaſti per Angelum, maximum declaraſti per Verbum: qui clauſus in utero reddidit obſequium Domino, Matrem replevit gaudio, Patris linguam ſolvit à vinculo; cerne placato vultu frequentantem hodie Populum ad tanti Præconis occurſum.* Amen. *Aſcendat vox illius ad aures Altiſſimi, qui maternis viſceribus antè, Mundi Dominum novit confiteri, quàm naſci.* Amen. *Ut eo intercedente, purgetur hæc Plebs à crimine, cujus Auctorem Lavacri, ſacra Dextera tinxit in Fonte,* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.* Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum.* 768

Quòd ſi die vigeſima tertia Junii in propria ſede Vigiliæ, vel in die vigeſimâ ſecunda in anticipata ejuſdem Vigiliæ celebratione ratione Dominicæ, Officium alicubi factum ſit de Die infra Octavam ſpecialem, Miſſa tamen tam ſolemnis quàm privata erit de Vigilia, cum commemo- 769

memoratione Octavæ, & tertiâ Oratio *Concede*, vel reſpectivè S. Paulini, juxta Rubricam Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul. 3. ſub numer. 2.* In dicta tamen Miſſa Vigiliæ debet Chorus genuflectere, nam Sacra Rituum Congregatio *in Einſilden. hoc Anno* 1736. in quo ſcribo, *ſub die* 23. *Junii*, reſpondendo declaravit, quòd in Miſſa Feriali, quæ ſubſtituitur Miſſæ de Octava, eſt genuflectendum in Choro, ut habet Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub numer.* 688. Quòd autem dicitur de Miſſa Feriali, intelligitur etiam de Miſſa Vigiliæ; ſiquidem Rubrica Miſſalis *de ordine genuflectendi, ti. 17. ſub nu. 5.* utramque Miſſam comprehendit, & de Feria & de Vigilia cum Jejunio, prout eſt iſta S. Joannis Baptiſtæ. At ſi hodie occurrat Dies infra Octavam SS. Corporis Chriſti, Miſſæ privatæ dicuntur de Octava privilegiata, cum commemoratione Vigiliæ, & tertia Oratione *Concede*, vel S. Paulini, ut dictum eſt ſupra, & cum Evangelio Vigiliæ in fine: ſed in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis cantantur duæ Miſſæ, una de Octava poſt Tertiam; & alia de Vigilia poſt Nonam; in neutra verò earum fit commemoratio alterius, cum Evangelio S. Joannis in fine utriuſque.

777 At ſi in hac Vigilia fiat Officium de Feſto ſemiduplici ſive occurrente ſive etiam tranſlato, Miſſa dicitur de eo, cum ſecunda Oratione Vigiliæ, & tertia *A cunctis*, non autem *Concede*, quia cùm Miſſa non ſit ampliùs de Vigilia, deperdit ſuas Orationes, & Feſtum ſemiduplex aſſumit proprias temporis aſſignatas in Rubrica Miſſalis *de Oration. titul. 9. ſub numer. 2.* ubi in Feſtis ſemiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum aſſignatur dicta Oratio *A cunctis*. In dicta tamen Oratione *A cunctis*, ubi S. Joannes Baptiſta eſt Patronus vel Titularis, tacetur ejus nomen, ſed aliud nominabitur ejus loco pro devotione Celebrantis, ne bis de eodem Sancto fiat mentio in Collectis, &

in com-

in commemoratione Vigiliæ, & in eadem Oratione *A cunctis*, ut habet Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *titul.* 9. *ſub numer.* 15. *lit. b.* In fine autem Miſſæ privatæ de dicto Feſto ſemiduplici legitur Evangelium ejuſdem Vigiliæ, ſicuti & in Feſto duplici, quod non ſit primæ claſſis: ſed in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis cantantur duæ Miſſæ, vigore ſupradictæ Rubricæ *ſub numer.* 1. Verum tamen eſt, quòd ſi hæc Vigilia celebretur anticipatè die vigeſima ſecunda Junii in Sabbato ratione Dominicæ, & alicubi fiat de duplici ſecundæ claſſis, in Miſſis privatis fiet quidem commemoratio Vigiliæ, & S. Paulini, ſed in ſolemni nihil erit agendum de S. Paulino. Quòd ſi Officium ſit de duplici primæ claſſis, nihil fit de Vigilia ſive occurrente ſive anticipata, imò neque de S. Paulino tam in ſolemni quàm in privatis, ex Rubrica Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 2. *in fine*: ex quo Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ abſolvuntur à duarum Miſſarum decantatione.

Quia verò ſupra diximus, quòd ſi in hac Vigilia S. Joannis Baptiſtæ fiat alicubi de Die infra Octavam ſpecialem, Miſſa tamen tam ſolemnis quàm privata debet eſſe de Vigilia, hoc 771
adeò verum eſt, ut licèt Rubrica Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 2. nominet Miſſam Vigiliæ in ſingulari, communiter tamen intelligitur pluraliter & de omnibus & ſingulis Miſſis privatis, ita ut hodie Miſſa de Vigilia intelligatur eſſe Miſſa de Die, licèt diſcordet ab Officio: ita Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 2. *ſect.* 4. *capitul.* 1. *ſub numer.* 4. *pagin.* 190. clarè verò Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *titul.* 18. *Dub.* 5. *pagin.* 116. clariùs tamen Guyetus, ſpecificans Miſſam Conventualem & privatam, ut videre eſt *in Heortolg. lib.* 4. *ſect.* 1. *capitul.* 5. *quæſt.* 3. *pagin.* 250. Rubrica verò Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 1. ubi dicit, *vel Octava*, non eſt intelligenda de quolibet Die infra Octavam, ſed de Die Octava, in

qua,

Digitized by Google

qua; ſi occurrat hæc Vigilia, in Cathedralibus & Collegiatis cantantur quidem duæ Miſſæ, ſed omnes privatæ dicuntur de Die Octava, cum commemoratione Vigiliæ, ejuſque Evangelio in fine. Cæterùm firmavimus in dicta Miſſa Vigiliæ dicendam eſſe Præfationem communem, quia de hac ſpecificè Vigilia ita optimè infert Gavantus *tom. 1. par. 1. titul. 12. ſub numer. 2. lit. e.* ut ex eo tenet Guyetus *loco ſupra citato*: ubi etiam ab hac Miſſa excludit *Credo*, quacunque Octava occurrente; quod antea ipſum dixerat Gavantus *d. par. 1. titul. 11. in fine* licèt poſtmodùm dictus Guyetus *ibid. quæſt. 5. in fine* admittat *Credo* in Vigilia Epiphaniæ infra Octavam.

Ad ea autem; quæ ſupra diximus de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti veniente in hac Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, addenda eſt una omnium maxima difficultas; quæ inſurgit apud Auctores: quomodo ſcilicet regulandæ ſint Miſſæ in Eccleſia SS. Trinitati dicata, ſi in hanc Vigiliam incidat Dies infra Octavam ejuſdem SS. Corporis Chriſti; & ſimul Dies infra Octavam dictæ SS. Trinitatis? Ne tamen hoc loco repetamus, quæ fusè dicta ſunt *tom. 1. de Dieb. infr. Oct. SS. Corpor. Chr.* ideò Lectorem ad ipſum locum remittimus pro caſus ſolutione. Notandum denique eſt, quòd ſi hæc Vigilia occurrerit infra Octavam prædictæ SS. Trinitatis, & Officium fuerit de eadem Octava; extra occurrentiam alterius Octavæ SS. Corporis Chriſti, eo caſu dicenda erit Miſſa de Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, cum commemoratione SS. Trinitatis in Eccleſia propria, & tertia Oratione *Concede*, ut notat Halden *in Ephemerolog. par. 2. titul. 6. ſub die 23. Junii*, §. *ſi craſtinum Feſtum*, *pagin.* 179. & hoc antea dixerat Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. capitul. 15. ſub numer. 5. pagin.* 268. Attamen dicti duo Auctores benè tunc temporis aſſerebant: noſtris autem temporibus non datur ampliùs hujuſmodi caſus, quia illud primum triduum infra Octavam ejuſdem SS. Trinitatis, 772

ingre-

ingrediente hac Vigilia, ſemper eſt impeditum à Feſtis duplicibus Univerſalibus tranſlatis ut videre eſt in quarto meo Romano Divinorum Officiorum Decennio ab Anno Domini 1733. uſque ad Annum 1742. incluſivè, ubi Anno 1734. recurrente Tabula trigeſima quintæ ordinis perpetui, repoſui duplicia tranſlata S. Joannis à S. Facundo, S. Antonii Patavini, & S. Baſilii: Conſequenter nec poteſt amplius in ſæpè memorata Vigilia fieri de quarta Die infra Octavam SS. Trinitatis quoad integrum Officium: Miſſæ igitur privatæ etiam ibi erunt in caſu propoſito de aliquo Feſto duplici vel ibidem forſan occurrente, vel certè tranſlato, cum commemoratione SS. Corporis Chriſti, SS. Trinitatis, & Vigiliæ, de qua etiam legetur Evangelium in fine: Sed duæ erunt cantandæ Miſſæ, de Feſto ſcilicèt & de Vigilia poſt horam præſcriptam à Rubrica Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul. 3. ſub numer.* 1.

Sed veniamus ad hodiernas Veſperas: Iſtæ ſunt 773
primæ de ſequenti Feſto S. Joannis Baptiſtæ, & dicuntur integræ prout in Breviario. Omittitur in eis commemoratio Dominicæ, Feſti ſemiduplicis, duplicis etiam minoris & majoris, ſi aliquod ex illis præcedat: imò nihil fit in his Veſperis de præcedenti Die Octava alicubi forſan hodie ſpecialiter occurrentis, niſi fuerit univerſalis Dies Octava SS. Corporis Chriſti, de qua, imò & de quacunque Die ejuſdem Octavæ facienda erit commemoratio, tanquam de Octava privilegiata. Quòd ſi in hac Vigilia factum ſit Officium de duplici primæ vel ſecundæ claſſis, fit commemoratio de eo: ſicuti etiam de Dominica, & de Die. Octava, ſi una vel altera ex illis, vel etiam utraque ſimul occurrat in ipſo Feſto S. Joannis Baptiſtæ: Quoad Diem Octavam particularem, quovis anno Piſis in Thuſcia occurrit in Feſto S. Joannis Dies Octava S. Raynerii Confeſſoris Urbiſque Patroni: & in Congregatione Eremitarum S. Hieronymi incidit Dies

Octa-

Octava Beati Petri de Piſis , & ideò in primis Veſperis de S. Joanne Baptiſta facienda eſt reſpectivè in ſuis locis commemoratio de ſequenti Die Octava.

Quòd ſi Feſtum SS. Corporis Chriſti venerit 774
vel in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ , ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui ; vel incidat in ipſum Feſtum ejuſdem Sancti , quòd neceſſariò transferendum eſt in Feriam ſextam ſequentem etiam impeditam à quocunque Feſto etiam Dedicationis Eccleſiæ : tunc & eo caſu S. Joannes Baptiſta ſuas amittet primas Veſperas , nam in ſecundis Veſperis de Feſto SS. Corporis Chriſti fiet ſola commemoratio de ſequenti Nativitate S. Joannis , & ideò ad Hymnum Matutini uniendus erit ille Veſperarum . Ubi autem S. Joannes Baptiſta eſt Patronus Civitatis , ut eſt Neapoli , Genuæ in Liguria , Cæſenæ in Romaniola : vel eſt Titularis Eccleſiæ Cathedralis , ut eſt Auguſtæ Taurinorum ; Epiſcopus tenetur primas Veſperas Pontificaliter peragere , juxta Cæremoniale Epiſcoporum *libr.* 2. *capitul.* 1. §. 2. *pagin. mihi* 184. & ornanda erit Eccleſia Cathedralis foris & intùs , ut in eodem Cæremoniali *libr.* 1. *capitul.* 12. *pagin.* 72.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

772 *De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.*

FEſtum S. Joannis Baptiſtæ eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Celebratur 773
autem ſub ritu duplici primæ claſſis, & quidem in colore albo, quia eſt Dies Nativitatis, non verò Natalitia, in quo adhibetur color rubeus. Hæc tamen celebritas nullam habet inter Sanctos digniorem, quia *inter natos mulierum non ſurrexit major*: unde nec Sanctus Patronus Loci, nec Titularis Eccleſiæ, ſi hodie alicubi occurreret, transferri faceret hanc S. Joannis Nativitatem, ſed ei cederet ejuſque Officium eſſet transferendum. Attamen ſi in hac die veniat Feſtum SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quinta ordinis perpetui: tunc Nativitas S. Joannis Baptiſtæ transfertur in diem ſequentem, juxta Rubricam Generalem Breviarii *de translat. Feſtor. titul.* 10. *ſub numer.* 2. licèt illa Feria ſexta eſſet impedita à Feſto duplici primæ claſſis occurrente; & licèt eſſet Feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ, ut diximus *tom.* 1. *capitul.* 5. §. 7. *ſub numer.* 332. *pagin.* 442. ubi Decretum. Ideoque excuſandus, ſed non quoad hoc ſequendus Halden *in Ephemerolog. par.* 3. *titul.* 3. §. *Quæritur*, 1. *pagin.* 60. ubi ſupponit quòd in Feſto S. Joannis fieri poſſit de Dedicatione Eccleſiæ, nam ſi non poteſt fieri in Nativitate translata, ut ſu-

pra, multo minùs in occurrente: At ipſe non vidit ſupra citatum Decretum, ſed neque aliud anterius *de anno* 1688. *ſub die* 11. *Auguſti in Aquilejen.* ubi Sacra Rituum Congregatio reſpondit, quòd Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ præferri debet Feſto Dedicationis Eccleſiæ, & habere integras ſecundas Veſperas, ut refert P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub numer.* 156. Unde in caſu ab ipſo Halden propoſito, non ſolùm transferenda Dedicatio in Diœceſi, ſed etiam in Civitate, ſi ſit Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, ut ſupponit, & occurrat in dicto Feſto S. Joannis. In primis Veſperis ſola fit commemoratio de Feſto duplici primæ & ſecundæ claſſis præcedenti, & de Die Octava ſi alicubi in eodem Feſto occurrat, ut Piſis de Die Octava S. Raynerii, & in Congregatione S. Hieronymi de Die Octava Beatri Petri de Piſis, & de quacunque Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſi incidat.

Quoad Officium de Feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, omnia ſunt hodie propria in Breviario. 776
Sciendum tamen eſt ad eruditionem, quòd Paulus celebris Hiſtoriographus, Romanæ Eccleſiæ Diaconus, & Monachus Caſſinenſis, cùm vellet quadam die Paſchalem Cereum conſecrare, raucæ factæ ſunt fauces ejus, quæ priùs vocales erant, ut refert Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 7. *capitul.* 14. *ſub numer.* 7. Ut ergo vox ſibi reſtitueretur, compoſuit in honorem S. Joannis Baptiſtæ Hymnum hodiernum carminis ſaphici, ſcilicet, *Ut queant laxis*, *&c.* in cujus principio petit vocis reſtitutionem, quam etiam miraculosè obtinuit, devotè canens: *Solve polluti labii reatum*, *Sancte Joannes*; ſicuti merito ejuſdem S. Joannis Baptiſtæ reſtituta eſt vox Zachariæ, ut ſupra diximus, relatis verbis Evangelicis. In prima ſtropha dicti Hymni collegit artificiosè Auctor doctiſſimus, ſervata Carminis Sapphici quantitate, Notas Muſicales, ſcilicet: *Ut*, *Re*, *Mi*, *Fà*, *Sol*, *La*, ut patet ex ſequentibus verſi-

verſibus ejuſdem Strophæ, ut dictas Notas po-
nimus litteris majuſculis ad clariorem intelligen-
tiam: *UT queant laxis REſonare fibris MIra geſto-
rum FAmuli tuorum, SOLve polluti LAbii*, &c.
Paulum tamen feciſſe in Hymno Notas Muſica-
les, ſed non inveniſſe, tradit Gavantus *tom.*
2. *ſect.* 5. *capitul.* 6. *de Hymnis*: ubi addit, quòd
Guido Abbas Græcos imitatus muſicos, Syllabis
uſus ad Muſicam docendam adinvenit: & ipſe
has Syllabas latinas de prædicta Hymni ſtropha
deſumpſit: Obiit autem Guido *anno* 1020. longè
poſt Paulum Diaconum, qui floruit *anno* 770.
Quidquid verò ſit de hujuſmodi Notarum inven-
tione: ſi Guido ſumpſit ex Hymno, conſideran-
da certè eſt in Paulo Auctore talis inventio Car-
minis, quæ potuit Notas prædictas aliis trade-
re: & ſic credi poteſt, quòd dictus Paulus in-
venerit Notas nondum tamen aliis notas: Guido
verò occultam alterius inventionem proprio in-
genio patefecerit.

Illud tamen de prædicto Hymno ad rem no- 777
ſtram notandum eſt, quòd quotieſcunque primæ
Veſperæ de S. Joanne Baptiſta ſint impeditæ (ut
quando Feſtum SS. Corporis Chriſti occurrit die
vigeſima tertia, vel vigeſima quarta Junii) tunc
& eo caſu Hymnus Veſperarum *Ut queant laxis*,
&c. uniendus erit Hymno Matutini *Antra Deſer-
ti*, &c. & ex duobus fiet unus, ſub unica con-
cluſione *Sit decus Patri*, &c. quia cùm uterque
ſit ejuſdem metri, & in uno inchoetur Geſtorum
hiſtoria, in altero verò continuetur, in prædi-
cto caſu inciperetur à medietate Actionum, niſi
fieret amborum unio: prout à ſimili de Hymnis
propriis S. Martinæ Virginis & Martyris ita fa-
ciendum decrevit Sacra Rituum Congregatio *an-
no* 1692. *ſub die* 25. *Aprilis*: & poſtea adnotatum
hoc fuit per modum Rubricæ in omnibus Bre-
viariis *ſub die* 30. *Januarii*: cùm enim militet
eadem ratio, eadem quoque lex ſervanda eſt.

Ad Laudes de hoc Feſto S. Joannis Baptiſtæ 778
non fit commemoratio de aliqua Die infra Octa-

vam, niſi fuerit de SS. Corpore Chriſti. Quòd ſi hodie incidat aliqua Dies Octava, ut quovis anno Piſis in Etruria occurrit Dies Octava S. Raynerii Confeſſoriis Urbiſque Patroni, & in Congregatione Eremitarum S. Hieronymi incidit Dies Octava Beati Petri de Piſis Fundatoris, qui apud nos obiit, in hodiernis Laudibus facienda eſt de illa Die Octava commemoratio: ita tamen, ut occurrente ſimul Die Octava SS. Corporis Chriſti, & Piſis & in prædicta Congregatione Regulari fieri debet commemoratio etiam de Die Octava S. Patroni vel reſpectivè Fundatoris. At ſi in Feſto ejuſdem S. Joannis veniat Dominica, ad Matutinum dicitur nona Lectio de ea, & in Laudibus fit ejus commemoratio. Quòd ſi Dominica illa fuerit infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima ſecunda, poſt commemorationem Dominicæ fit commemoratio de eadem Octava SS. Corporis Chriſti: In Eccleſia verò SS. Trinitati dicata fit priùs commemoratio de Die Octava ſui Tituli, deinde de Dominica, & poſtmodùm de SS. Sacramento. Si verò illa Dominica in Nativitate S. Joannis occurrens, fuerit quinta poſt Pentecoſten, ut in Tabula undecima, quia in primo Nocturno ejuſdem Dominicæ *Incipit Liber ſecundus Regum*, ideo hoc *Initium*, quod hodie legi non poteſt, ponendum erit die vigeſima quinta in Feria ſecunda, niſi & ipſa ſit impedita; ut eſt impedita Venetiis in Feſto duplici majori Apparitionis S. Marci Evangeliſtæ, & Auguſtæ Taurinorum pro Feſto duplici primæ claſſis de S. Maximo Epiſcopo & Confeſſore Urbiſque Patrono, ac etiam Regii in Ducatu Mutinenſi ob occurrentiam S. Proſperi ejuſdem Urbis Epiſcopi & itidem Patroni; unde in prædictis Locis dictum *Initium* ponendum erit die vigeſima ſeptima in Feria quarta, quia Feria tertia eſt impedita in Feſto duplici univerſali SS. Joannis & Pauli, proprias habente Lectiones primi Nocturni. Ad reliquas tandem Horas omnia dicuntur, ut hodie in Breviario, ſed

ſi ſimus

ſi ſimus infra Octavam SS. Corporis Chriſti, clauduntur Hymni cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*, exceptis Hymnis propriis hujus Nativitatis.

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, ac Veſperas in Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

Miſſa in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ eſt 779
propria, in qua dicitur *Gloria*, & unica Oratio, niſi occurrat Dominica, vel ſimus infra Octavam privilegiatam SS. Corporis Chriſti, vel alicubi hodie occurrat Dies Octava alicujus Feſti Octavam habentis: tunc enim fit in hac Miſſa commemoratio de una vel altera occurrentia, vel etiam ſimul de omnibus, ſi ſimul incidant. Quòd ſi Dominica fuerit infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima ſecunda ordinis perpetui, in hodierna Miſſa ſecunda Oratio erit de Dominica, & tertia de Die infra Octavam privilegiatam: & in Eccleſia SS. Trinitati dicata fit priùs commemoratio de Die Octava Titularis, deinde de Dominica, & poſtmodum de Octava SS. Corporis Chriſti & idem dicendum ubicunque hodie occurrat aliqua Dies Octava, ut de perpetua occurrentia ſupra diximus in Laudibus: Quæcunque verò ſit illa Dominica, in fine Miſſæ de Nativitate S. Joannis legitur Evangelium ejuſdem Dominicæ. In prædicta tamen Dominicæ occurrentia in Cathedralibus & Collegiatis ante

Miſſam ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ , iis tamen exceptis Eccleſiis ; in quibus Epiſcopi Pontificaliter celebrant , nam & poſſunt hodie ſolemniter celebrare ſi velint ex devotione : ſed celebrare debent ex lege , ſi Eccleſia Cathedralis ſit Sancto Joanni dicata , vel ſit Feſtum Patronale Loci , juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. & 4. nec non & *dicto lib.* 2. *ca.* 34. §. 2. *pag. mihi* 416.

In dicta Miſſa de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ non dicitur *Credo* , ut habet hodierna Rubrica. Attamen cùm in dicto Symbolo dicatur, *Qui locutus eſt per Prophetas*, videtur quòd deberet dici in hoc Feſto , ſiquidem Joannes fuit Propheta , & pluſquàm Propheta , ut in ejus laudem ipſe dixit Chriſtus. Attamen Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *titul.* 11. *verſ. Oppeni poteſt* , *pagin.* 81. *juxta edit. Venet. de Anno* 1727. ait , quòd potiori ratione omittitur *Credo* , quia Joannes Baptiſta figurat Legem Veterem , & conſummavit curſum ante promulgationem Evangelii , & inſtitutionem Symboli : quæ ratio me movet , præſertim omnibus aliis tacentibus. Sacerdos autem recitans *Credo* in hac Miſſa , in qua dici non debet , regulariter loquendo , peccat tantùm venialiter ; ſed ſi id faceret animo inducendi novum ritum , graviter peccaret , ut proſequitur Quartus *itid. dub.* 4. *pagin.* 83. remiſſivè ad *titul.* 8. *dub.* 3. *pagin.* 72. Nihilominùs poteſt ob varias rationes dici *Credo* in hac Miſſa de Feſto S. Joannis : Et primò quidem, ſi occurrat Dominica, cùm nulla detur Dominica ſine Symbolo : Secundò , ubi Titulus eſt Eccleſię , quia ibi dicitur & hodie & per totam Octavam ; Tertio , ſi S. Joannes Baptiſta eſt Patronus Loci , quia in omnibus Eccleſiis tam Sęcularibus quàm Regularibus illius Civitatis dicendum eſt Symbolum toto hoc Octiduo , vigore Rubricę Generalis Miſſalis *titul.* 12. *circa finem*: Quartò , ſi occurrat infra aliquam Octavam , ut quandoquę infra Octavam SS. Corporis Chriſti : 780

Quintò

Quinto denique ubi aliqua habeatur de S. Joanne inſignis Reliquia, ex conceſſione prememoratę Rubricę: ſed ratione Dominicę, vel inſignis Reliquię dicitur *Credo* dumtaxat in Feſto: ratione verò alterius Octavę dicitur in illis diebus occurrentibus, deinde omittitur.

Sed veniamus ad Pręfationem in Miſſa S. Jo- 781
annis Baptiſtę. Nulla in Miſſali Romano habetur hodie Pręfatio propria, & conſequenter di-
780 citur Pręfatio communis, niſi occurrat aliqua Dies infra Octavam SS. Corporis Chriſti, quia eo caſu dicitur Pręfatio illius Octavę, & ea ceſſante, reſumitur diebus ſequentibus Pręfatio communis. Priſcis tamen Eccleſię temporibus Pręfatio hodierna erat propria, videre eſt in Sacramentario Gregoriano, *Oper. tom.* 3. *pagin.* 109. ubi ſequentibus verbis ea legitur compoſita, videlicet; *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in die Feſtivitatis hodiernæ, qua Beatus Joannes exortus eſt, tuam magnificentiam collaudare. Qui vocem Matris Domini nondum editus ſenſit, & adhuc clauſus in utero, adventum ſalutis humanæ prophetica ſalutatione ſignificavit. Qui & Genitricis ſterilitatem conceptus abſtulit, & Patris linguam natus abſolvit; Soluſque omnium Prophetarum, Redemptorem Mundi, quem prænunciavit, oſtendit. Et ut ſacræ purificationis effectum aquarum naturæ conciperet, ſanctificandis Jordanis fluentis ipſum Baptiſmo Baptiſmatis lavit Auctorem. Et ideò cum Angelis & Archangelis, &c.* Benedictio verò Epiſcopalis, quę hodie tunc temporis dari Populo ſolebat in Miſſa, prout ſupra diximus in Vigilia hujus Feſti, erat ſequens, ſcilicet: *Benedicat vobis omnipotens Deus, ut Beati Joannis Baptiſtæ interceſſione, cujus hodie ſolemnia colitis, patrocinia ſentiatis.* Amen. *Illius obtentu ab omnibus adverſis tueamini, & bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris Mundi, necdum natus, cognovit, Matris ſterilitatem naſcende abſtulit, Patris linguam natus ab-*

ſolvit. Amen. *Quatenus illius Agni, quem ille digito*
oſtendit, cujus immolatione eſtis redempti, ita virtu-
tum lapis veſtiri, & innocentiam valeatis imitari,
ut ei in æterna Patria felicitate poſſitis adjungi. Amen.
Quod ipſe præſtare dignetur, &c. cum reliquis, ut
ſupra in dicta Vigilia hujus Feſti.

Aliam verò Præfationem propriam habemus 782
apud eruditiſſimum Mabillonium *in Liturg. Gallic.*
lib. 3. pag. 272. qua ante annos mille utebatur il-
la Eccleſia Gallicana in hodierna Miſſa de Na-
tivitate S. Joannis; & erat ſequenti formula con-
cepta, nempe: *Verè dignum eſt, nos tibi ſemper hìc,*
& ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omni-
potens, æterne Deus: Qui in omnium Sanctorum tuo-
rum es ſplendore mirabilis: Qui præſentem diem hono-
rabilem nobis in Beati Joannis Nativitate feciſti, ut,
gratia tua operante virtute, ille, quo inter natos mu-
lierum nullus major, oriretur: Da Populis tuis eru-
ditionem ſpiritalium gaudiorum, & omnium Fidelium
mentes dirige in viam ſalutis & pacis: ut quem ma-
nifeſtavit teſtificatio nuntii, impleat præſentia nuntia-
ti, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Ma-
jeſtatem tuam laudant Angeli, &c. Nec tamen fi-
nis Præfationibus, nam poſt eas, quæ olim re
citabantur, datur & alia, quæ noſtris etiam tem-
poribus recitatur: ſiquidem Miſſale Ambroſianum
Mediolani impreſſum ad uſum illius Eccleſiæ,
habet hodie Præfationem, quæ partim convenit
cum Gregoriana ſuperiùs relata, partim vero di-
ſcordat ab ea: & ut hujuſmodi uniformitas &
diverſitas Lectori Eccleſiaſtico pateat, ejus ſacræ
curioſitati ſatisfacere volentes, ex eodem Miſſali
erutam integrè extendimus, & eſt ea, quæ ſe-
quitur, nimirùm: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum*
& ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere,
Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in
die Feſtivitatis hodiernæ, quo Beatus Joannes Baptiſta
exortus eſt, exultare. Qui vocem Matris Domini ſen-
ſit; & adhuc clauſus in utero, adventum ſalutis hu-
manæ prophetica exultatione geſtivit. Qui & Genitri-
cis ſterilitatem conceptus abſterſit, & Patris linguam
natus

natus abſolvit: Soluſque omnium Prophetarum, Redemptorem Mundi, quem prænunciavit, oſtendit. Hic eſt enim ille, cui Nomen, & antequàm conciperetur, dediſti: & quem Spiritu Sancto, priuſquàm naſceretur, impleſti. Dignè Natalis ejus hodie ſolemnia recenſemus: dignè inter natos mulierum major nemo apparuit.
782 *Qui Deum, hominemque perfectum Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & prædicare meruit, & evidenter oſtendere. Quem laudant Angeli, atque Archangeli, &c.*

Cæterùm hæc Miſſa S. Joannis Baptiſtæ non 783
debet infra Annum fieri Votiva, nec privatim, nec ſolemniter, quia habet omnia ita huic dumtaxat Feſto accommodata, ut non poſſint adaptari Votivis: ſiquidem inter alias Miſſas infra Annum more Votivarum non celebrandas hanc ipſam S. Joannis expreſsè connumeravit Sacra Rituum Congregatio in ſua Declaratione de ordine Pauli Quinti emanata, quam refert Angelus à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſa Ritus, ſub num. 2. pag. mihi* 332. Nihilominùs infra ſuam Octavam fieri poteſt Votiva, eo ſcilicet die, quo fit de Feſto Semiduplici, ut Auguſtæ Vindelicorum die vigeſima ſeptima Junii, in quo ſub ritu ſemiduplici ibi agitur de ſeptem Dormientibus, niſi occurrat Dominica, vel Octava SS. Corporis Chriſti Semiduplicium Feſtorum excluſiva, & Votivarum privatarum: ita die vigeſima octava ejuſdem Menſis in Eccleſia Univerſali, in qua fit de Feſto ſemiduplici S. Leonis Papæ & Confeſſoris, niſi impediatur ab aliqua ex prædictis duabus occurrentiis: quidquid Aliqui ſentiant ſub nomine Miſſæ Semifeſtivæ, non verò Votivæ ſimplicis, ut poſſint in ea, tanquam infra ſuam Octavam, recitare *Gloria* cum *Credo*: cùm enim in caſu propoſito Miſſa S. Joannis diſcordet ab Officio, fit ſtatim Votiva, & conſequenter more Votivarum celebranda.

Eo autem Anno, quo Feſtum SS. Corporis 784
Chriſti venerit in Die Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, ut in Tabula trigeſima quinta ordinis

pe-

perpetui (& caſus contigit Anno 1734. in quo primum Tomum compoſui de Octavis Privilegiatis) non poterunt cantari duæ Miſſæ, una ſcilicet de dicto Feſto SS. Corporis Chriſti, & alia de Nativitate S. Joannis cæteroquin transferenda, neque in Eccleſia propria, licèt præter Titulum eſſet etiam Eccleſia Patroni Loci, juxta expreſſam Rubricæ exceptionem *de translat. Feſtor. tit.* 6. At ſi occurrat hodie alicubi Dedicatio Eccleſiæ cæteroquin transferenda (ut quovis Anno Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata SS. Trinitatis) poterunt meo judicio cantari dictæ duæ Miſſæ, ex regula Juris, *exceptio firmat regulam in non exceptis*: & cùm ſimus extra caſum exceptionis, intrat caſus celebrationis ſolemnis ad favorem Dedicationis cæteroquin transferendæ.

Quòd ſi in hoc Feſto S. Joannis occurrat in aliqua Eccleſia expoſitio SS. Sacramenti pro Oratione quadraginta Horarum, non cantatur hodie Miſſa Votiva de eodem SS. Sacramento, ſed canitur de Feſto occurrente ejuſdem S. Joannis, cum ſecunda Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione, juxta Inſtructionem ad hoc emanatam à Clemente Undecimo in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut.* 9. §. 10. *edita anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*. Cùm autem non poſſit cantari de SS. Sacramento quod eſt majus, neque poterit cantari alia quævis Votiva pro re gravi quod eſt minus. Poteſt tamen addi in Miſſa de S. Joanne ſecunda Oratio Votivæ pro re gravi ſub unica concluſione, ut dictum eſt ſupra de expoſitione SS. Sacramenti. Quod autem dicitur de Votiva pro re gravi hodie alicubi occurrente, intelligitur dictum etiam de Die Anniverſaria electionis & conſecrationis Epiſcopi, ſi in hoc Feſtum S. Joannis Baptiſtæ forſitan incidat. In neutro tamen ex dictis caſibus addenda eſt in Miſſis privatis ſecunda Oratio de Votiva, vel Collecta pro Epiſcopo, quia neque dici poſſe de SS. Sacramento 785

mento

mento expoſito declaravit Sacra Rituum Congregatio *in una Canonicorum Regularium Lateranenſium*, *ſub die* 2. *Decembris* 1684. *ad quartum Dubium*, apud Franciſcum Monacellium *in Formul. Legal. Pract, par.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *ſub num.* 2. *pag.* 5. & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 471. Cæremoniale autem Epiſcoporum quoad Diem Anniverſariam electionis & conſecrationis Epiſcopi loquitur dumtaxat de Miſſa ſolemni, quæ impedita à die aliquo feſtivo, omittitur, & celebratur eo caſu de Feſto, ut hodie, cum commemoratione pro Epiſcopo, ut videre eſt *lib.* 2. *cap.* 35. §. 1. *pag. mihi* 419.

Miſſa denique pro Defunctis in Die Obitus, 786
non eſt cantanda in hoc Feſto Nativitatis S. Joannis, quantumvis urgeat præſentia Corporis in Eccleſia: Nativitas enim S. Joannis Baptiſtæ eſt una ex illis magnis celebritatibus, quas obſtare dicit, & ideò excipit Rituale Romanum *tit. de Exequiis, rubrica* 5. Præterquàm quòd Sacra Rituum Congregatio declaravit, in nullo ex duplicibus primæ claſſis cantari poſſe hujuſmodi Miſſam in Die Obitus, ut patet *in Collen. ſub die* 5. *Julii* 1698. *ad* 8. *Dubium*: quam declarationem ego Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii. Olim verò celebrari non poterat hodie in Oratoriis privatis, juxta Concilium Agathenſe relatum *in cap. Si quis*, *diſt.* 1. Sed hæc Dies non eſt modò excepta in Decreto Sacræ Rituum Congregationis *de Anno* 1607. *ſub die* 17. *Novembris*, quod, citata Doctorum caterva illud referentium, extendi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 293. *pag.* 88. *juxta noviſſ. edit. Patern. de Anno* 1730. Idcircò poteſt hodiè in dictis Oratoriis celebrari, niſi in Brevi Apoſtolico, in quo dici ſolet, *exceptis Feſtis ſolemnioribus*, etiam hoc Feſtum S. Joannis excipiatur expreſsè: vel remittantur forſan Ordinario Loci Feſta excipienda, & ipſe Ordinarius excipiat: vel niſi habeatur

ali-

alicubi Conſtitutio Synodalis excipiens, prout habetur Neapoli.

Poſt ea, quæ ad Miſſam in Feſto S. Joannis 787 Baptiſtæ celebranda quomodolibet pertinebant, ſuccedunt modò ſecundæ Veſperæ ejuſdem Feſti, quæ in Eccleſia Univerſali ac etiam in qualibet particulari, ſunt ſemper integræ. Omnia verò dicuntur in eis, ſicuti hodie præſcribitur in Breviario, abſque ulla commemoratione, niſi ſimul in hoc Feſto occurrat Dominica, quia tunc in his Veſperis fit commemoratio de ea: vel ſimus infra Octavam SS. Corporis Chriſti, vel alicubi incidat in hoc Feſtum S. Joannis aliqua Dies Octava, ut ſupra vidimus in Laudibus, nam de una vel altera, aut ſimul pluribus occurrentiis erit facienda commemoratio: Quòd ſi Dominica hodie occurrens fuerit infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima ſecunda ordinis perpetui, in ſecundis Veſperis de S. Joanne fit commemoratio dictæ Octavæ privilegiatæ ſtatim poſt illam Dominicæ. Quia verò in prædicta Dominica occurrit Dies Octava SS. Trinitatis in Eccleſia propria, ideò ibi in hujuſmodi occurrentia poſt Veſperas S. Joannis fit commemoratio priùs de dicta Die Octava, deinde de Dominica, & poſtmodum de SS. Corpore Chriſti. Et hæc quidem de commemorationibus hodie occurrentibus. Modò verò differendum eſt de ſequentibus, nam plures dantur caſus ſequentium commemorationum in his ſecundis Veſperis agendarum. Et primò quidem fit commemoratio de Dominica, ſi cras occurrat, quæ ſi fuerit infra Octavam SS. Corporis Chriſti ut in Tabula trigeſima tertia, erit & de hac Octava facienda ſecundo loco commemoratio: ſed in Eccleſia SS. Trinitati dicata, fit priùs commemoratio de Die Octava Titularis, deinde Dominicæ, & ultimo loco de SS. Corpore Chriſti. Fit etiam in his ſecundis Veſperis commemoratio de quocunque Duplici ſequenti, & de quavis ſpeciali Die Octava, imò & fieret de ſemiduplici, ſi ali-

Digitized by Google

ſi alicubi ſubſequeretur, non occurrente Octava SS. Corporis Chriſti.

787 Quia verò Feſtum S. Joannis locum habet à Feſto cujuſvis Sancti, licèt illud ſit primæ claſſis, & ideò ejuſdem ritus cum illo S. Joannis, idcircò ubi cras occurrit hujuſmodi Feſtum, hodie non dividuntur Veſperæ à Capitulo, ſed de ſequenti ſit tantùm commemoratio: ideoque apud Regium S. Proſper Epiſcopus & Confeſſor, Auguſtæ verò Taurinorum S. Maximus Epiſcopus itidem & Confeſſor, licèt ſint illarum Urbium Patroni, & conſequenter ibidem ſolemniter celebrentur eorum Feſta ſub ritu duplici primæ claſſis die vigeſima quinta Junii, cedunt tamen integras primas Veſperas ſecundis dignioribus S. Joannis Baptiſtæ, ſola idcircò in eis contenti commemoratione. Quòd ſi dicta die vigeſimaquinta Junii occurrat alicubi Dedicatio Eccleſiæ, ut occurrit Segniæ in Dalmatia à parte Imperii, quotieſcunque in eandem diem incidat Dominica quarta poſt Pentecoſten, ut in Tabula decima nona, etiam ibi Veſperæ ſunt integræ de S. Joanne, cum commemoratione ſequentis Dedicationis, ut ſupra vidimus *ſub num.* 735. *circa fin.* 788

§. V.

De Diebus infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ occurrentibus.

Dies infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ ſunt numero pauciſſimi, in quibus verè fieri poſſit integrum Officium de Octava: ſiquidem duo tantùm enumerantur, & quidem in Eccleſia Univerſali, ſcilicet, Dies vigeſima quinta & vigeſima ſeptima Junii; & interdum 789

dum unus dumtaxat, occurrente in alterutro Dominica: ſed & nullus quandoque, ratione Octavæ SS. Corporis Chriſti totam noſtram hanc Octavam implentis. Quando verò fiat de Die infra Octavam S. Joannis, tunc Officium erit, ut in ejus Feſto: Lectiones verò primi Nocturni dicentur de Scriptura occurrente, niſi reponendum ſit Initium Libri; nam ſi Dominica quinta poſt Pentecoſten incidat in ipſum Feſtum S. Joannis, ut in Tabula undecima ordinis perpetui, quia in ea *incipit Liber ſecundus Regum*, ideò in Feria ſecunda, in qua fiat de Octava Præcurſoris, ponendum erit illud *Initium*, quod occurrebat in Dominica impedita. In ſecundo verè & in tertio Nocturno de Die infra Octavam, Lectiones ſunt propriæ in Breviario: & ad Laudes omnia ſumuntur ex Feſto, in quarum fine nulla fit commemoratio, niſi alia alicubi occurrat Dies infra Octavam alicujus Sancti, nam Juſtinopoli in Hiſtria die vigeſima quinta Junii incidit Dies ſeptima infra Octavam S. Nazarii Epiſcopi & Confeſſoris Urbiſque Patroni: Tridenti verò in Comitatu Tyrolenſi die vigeſima ſeptima ejuſdem Menſis occurrit Dies ſecunda infra Octavam S. Vigilii Epiſcopi & Martyris itidemque Patroni: in quibus Civitatibus in Officio de Die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ fit ad Laudes commemoratio reſpectivè S. Nazarii, & S. Vigilii. Quòd ſi die vigeſima ſeptima Junii fuerit Sabbatum, Officium quidem in Eccleſia Univerſali erit de Die quarta infra Octavam S. Joannis, ſed in eo dicetur ad Matutinum nona Lectio de Vigilia anticipata SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, cum ejus commemoratione in Laudibus.

Hæc verò Octava S. Joannis Baptiſtæ, quæ cæteroquin in dictis duobus diebus non impeditis 790
ſuum retinet integrum Officium in occurrentia cujuſcunque alterius Octavæ de Sanctis, duas tamen habet Octavas digniores, quibus ipſa cedit. Itaque prima ex duabus prædictis eſt illa SS. Corporis Chriſti in Eccleſia Univerſali; Secunda verò

SS. Tri-

SS. Trinitatis in Eccleſia propria & in hujuſmodi caſu Officium eſt de prima, cum commemoratione ſecundæ, & ultimo loco fit commemoratio S. Joannis. Quòd ſi die vigeſima ſeptima Junii fuerit Sabbatum, in Officio de die quarta infra Octavam S. Joannis, ad Matutinum dicenda erit nona Lectio de Vigilia anticipata SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, cum ejus commemoratione in Laudibus. Si verò ſimus infra Octavam SS. Corporis Chriſti, dicta nona lectio dicenda erit in Officio illius Octavæ, & in Laudibus fiet prius commemoratio S. Joannis, deinde Vigiliæ.

Dicta tamen Octava S. Joannis Baptiſtæ non impedita ab Octava digniori, admittit quodcunque Feſtum novem Lectionum, & quidem Semiduplex ſi tamen occurrat, Duplex verò etiam translatum, cum commemoratione Octavæ in Laudibus, dummodo Feſtum non ſit ex ſolemnioribus primæ vel ſecundæ claſſis, in quo dicta Octavæ commemoratio eſt omittenda: Si verò Feſtum S. Joannis Baptiſtæ ſit transferendum in diem immediatè ſequentem non impeditam, eo quòd in illud incidat Solemnitas SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quinta ordinis perpetui: tunc & eo caſu, quia primæ ejus Veſperæ ſunt impeditæ à ſecundis dignioribus de eodem Feſto SS. Corporis Chriſti, ideò Hymnus Sapphicus Veſperarum de S. Joanne uniatur Hymno Matutini ex ratione ſuperiùs allata in ipſo Die Nativitatis, & ex duobus fiat unus ſub unica concluſione, cum commemoratione in Laudibus de dicta Octava SS. Corporis Chriſti, non autem de aliqua Die alicubi forſan ſimul occurrente infra Octavam particularem. Quòd ſi in prædicto caſu dies vigeſimaquinta Junii fuerit alicubi impedita à Feſto duplici occurrente, ut eſt impedita Venetiis à Feſto duplici majori Apparitionis S. Marci Evangeliſtæ: in toto Ordine S. Benedicti impeditur à Feſto duplici ibidem minori Sancti Guilielmi Abbatis: Regii in Ducatu Mutinenſi à

791

Feſto

Feſto S. Proſperi Epiſcopi & Confeſſoris: & Auguſtæ Taurinorum Feſto S. Maximi itidem Epiſcopi & Confeſſoris, utrobique Patronorum: illud Feſtum utcunque ſolemne erit transferendum, & eo die ſeu in illa Feria ſexta celebranda Nativitas S. Joannis, ut extenſo Decreto recentiſſimo *de Anno* 1736. *ſub die* 23. *Junii* diximus *tom.* 1. *cap.* 5. §. 7. *ſub num.* 532. *pag.* 442. Quòd ſi forſan alicubi in Feſto S. Joannis Baptiſtæ occurrat ſimul Feſtum ſemiduplex, erit illud transferendum in diem vigeſimamquintam immediatè ſequentem non impeditam, ut ſatis ſuperque probavimus ſupra *cap.* 1. §. 7. *ſub num.* 676. *pag.* 57. ubi Decretum noviſſimum de Anno 1736. & 1737.

Cùm autem Feſtum Ss. mm. Joannis & Pauli ſit modò duplex *Ab anno* 1728. *ſub die* 22. *Maii*, corruit idcircò opinio cæteroquin tunc temporis benè fundata Gavanti *tom.* 2. *ſect.* 7, *cap.* 8. *die* 26. *Junii*, quòd ſi idem Feſtum Sanctorum Martyrum concurrat cum Dominica, aut transferatur, in ſecundis eorum Veſperis ſervandæ ſint Rubricæ de Concurrentia Officii, nam modò erunt ſemper integræ de ipſorum Feſto, cum commemoratione Dominicæ ſequentis: & idem dicendum, ſi transferatur alicubi in diem immediatè ſubſequentem, nam concurrunt cum Officio ſemiduplici S. Leonis Papæ & Confeſſoris: niſi concurrant in aliqua Eccleſia cum alio Duplici, quia tunc Veſperæ vel erunt dividendæ à Capitulo, vel ex integro cedent Feſto ſequenti, cum commemoratione tamen præcedentis; vel etiam ſuam amittent commemorationem, ſi die vigeſima octava Junii fiat de Duplici primæ claſſis. Sed & ceſſat Rubrica illa, quæ hactenus legebatur in Breviario ſub dicta die vigeſima ſexta Junii, nempè: *Si hoc Feſtum venerit in Dominica, transfertur in ſequentem diem*, nam modò ex dicta ratione elevationis ad ritum duplicem, celebratur etiam in Dominica. Cùm verò ritus duplex, ad quem elevatum eſt dictum Feſtum SS. 797

Joan-

Joannis & Pauli, operetur, ut in Eccleſia Univerſali habeat integras primas Veſperas, ideò benè adnotatæ ſunt de novo in omnibus Breviariis Antiphonæ de Laudibus, ubi revera ſunt propriæ, ad normam aliorum Feſtorum dictas Veſperarum Antiphonas ex eodem loco ſumentium, cum commemoratione S. Joannis Baptiſtæ. Quòd ſi die vigeſima quinta Junii alicubi agendum ſit à Capitulo, ut Malacæ in Hiſpania pro Die Octava SS. Patronorum Cyriaci & Paulæ, & in toto Ordine S. Benedicti pro Feſto duplici minori S. Guilielmi Abbatis, ceſſat ibi dictarum Antiphonarum recitatio, ut clarè patet.

In Feſto verò duplici Commemorationis S. Pauli 793
Apoſtoli ſit priùs in Laudibus commemoratio S.
793 Petri, deinde S. Joannis Baptiſtæ, quia *quomodò in vita dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati*; & extat ad rem clara Rubrica Breviarii in Proprio de Sanctis ſub die decima octava Januarii, ubi revera in Officio de Cathedrâ Romana poſt Orationem S. Petri ſic habetur: *Deinde fit commemoratio S. Pauli ante alias quaſcunque commemorationes, etiam Feſti duplicis, aut Dominicæ. Quod & ſervatur in commemoratione S. Petri, quæ fit in Feſtis S. Pauli.* Attamen ſi in dictum Feſtum Commemorationis S. Pauli incidat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, ſicuti hic caſus diverſificatur à primo, ſic & tunc S. Joannes Baptiſta ſuam aſſumit præferentiam, quam habet ſuper Apoſtolos: & in hoc caſu etiam Sancti Apoſtoli Petrus & Paulus ſuam habent unionem in Oratione utrique communi: Quod autem ſic agendum ſit, nempè S. Joannem Baptiſtam præferendum eſſe Apoſtolis, conſtat ex Rubrica poſita in fine Miſſalis circa Orationem *A cunctis*, ubi clarè & expreſsè dicitur: *In hac Oratione nomina SS. Michaelis & S. Joannis Baptiſta præponuntur Apoſtolis*: ideoque in Laudibus de Die Octava SS. Corporis Chriſti occurrente in dicta Commemoratione S. Pauli, fit priùs commemoratio S. Joannis Baptiſtæ, deinde Apoſtolorum. Ratio autem hujus

præferentiæ deſumi poteſt ex S. Joanne Chryſoſtomo, ſeu Auctore imperfecti operis, homil. 27. ibi: *Quanto vox proximior verbo, non tamen verbum, tanto Joannes proximior Christo, non tamen Christus: Vide ergo, quia omnibus Sanctis eſt major, cui ſolus Christus eſt prior.* Sed apud Rubriciſtas deſumitur præcedentia etiam ex Sanctorum Litaniis, in quibus S. Joannes invocatur ante Apoſtolos. Sequitur ex dictis, quòd cùm Octava S. Joannis Baptiſtæ locum habeat à quavis Octava de Sanctis alicubi occurrente, ita ut non impeditis duobus diebus vigeſima quinta & vigeſima ſeptima Junii, Officium integrum ſit de Die infra Octavam S. Joannis, tanquam de digniori, cum commemoratione in Laudibus de Die infra Octavam alterius Sancti, tanquam de minùs digno: impedito tamen Officio de dicta Die infra Octavam S. Joannis, fit nihilominùs priùs commemoratio de prima Octava ejuſdem S. Joannis, deinde de ſecunda alterius ſancti; quia quod non poteſt adimpleri principaliter, adimpletur acceſſoriè. In Feſto verò SS. Apoſtolorum Petri & Pauli non fit in Laudibus commemoratio de S. Joanne, ratione ritus duplicis primæ claſſis commemorationem hujuſmodi non admittentis: ſicuti neque in Feſto Commemorationis Sancti Pauli in Eccleſia propria.

§. VI.

§. VI.

De Miſſa, & Veſperis in Diebus infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.

MIſſa de Die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, non habet locum, niſi duabus diebus ſupra recenſitis ac enumeratis, & quidem non impeditis, nempè, vigeſima quinta, & vigeſima ſeptima Junii, quæ ſunt ſecunda, & quinta, infra eandem Octavam: alii dies ſunt conſequenter ab aliquo Feſto occupati. Itaque Miſſa dictis duobus diebus dicitur, ut in Feſto, cum *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione *Concede*, ac tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*: quæ ultima Oratio tacetur, ſi Sedes Apoſtolica vacaverit: & eo caſu eveniente, dicerem tertio loco Collectam pro eligendo Summo Pontifice, ſcilicet, *Supplici, Domine, humilitate depoſcimus*, *&c.* quia eo tempore fit Oratio præceptiva & pro re gravi, nam ſi orare debemus pro Papa vivente, maxima ratione Deum tenemur precari pro electione futuri, ut dignetur eum nobis concedere, de quo dicere valeamus: *talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex*. Quòd ſi alicubi ſimul occurrat aliqua Dies infra aliam Octavam minùs dignam, ut infra videbimus, ſecunda Oratio erit de ea, & tertia *Concede*. In hac Miſſa de Die infra Octavam S. Joannis non dicitur *Credo*, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis: unde ſi non dicitur in Feſto, neque dicetur in repetitione Feſti: Dicitur tamen ratione alterius O- 714

ctavæ ſimul occurrentis de aliquo Sancto, licet minùs dignæ, de qua idcirco facienda eſt ſola commemoratio: Et ratio eſt, quia ſicuti ratione Octavæ Symbolum admittentis dicitur *Credo* in Feſtis illud non requirentibus, ſic dicitur in Miſſa de Octava non admittente, ratione Octavæ minùs dignæ, ipſum tamen Symbolum requirentis: Ideoque Juſtinopoli in Hiſtria ſub Dominio Veneto, die vigeſima quinta Junii, in Miſſa de S. Joanne dicitur *Credo* ratione Diei ſeptimæ infra Octavam S. Nazarii Patroni, de qua tamen fit ſola commemoratio: ſic Tridenti in Comitatu Tyrolenſi, die vigeſima ſeptima ejuſdem Menſis dicitur *Credo* ratione Diei ſecundæ infra Octavam S. Vigilii itidem Patroni, licet ſolam habeat commemorationem in Miſſa de dicta Octava S. Joannis: & ubique in tali caſu, cum Præfatione communi. Licet autem eadem Miſſa Præcurſoris, non poſſit dici tanquam Miſſa de Die, niſi dictis duobus diebus non impeditis, poteſt tamen infra eandem Octavam fieri Votiva, eo tamen die, quo occurrit Feſtum ſemiduplex: unde die vigeſima ſeptima Junii Auguſtæ Vindelicorum fit de Feſto ſemiduplici ſeptem Dormientium Martyrum: & in Eccleſia Univerſali die vigeſima octava ejuſdem Menſis fit de Sancto Leone Papa & Confeſſore ſub ritu ſemiduplici, niſi in alterutro ex dictis duobus diebus occurrat Dominica: & ideò in his caſibus dici poteſt Miſſa de S. Joanne Baptiſta, quæ ſicuti diſcordat ab Officio, ſi ritu Votivo eſt celebranda, ſcilicet, ſine *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de Feſto ſemiduplici, & tertia *Concede*, vel reſpectivè Vigiliæ.

Quod ſi die vigeſima ſeptima Junii fuerit Sabbatum, & actum ſit in eo de quarta Die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, Miſſa tamen tam ſolemnis quàm privata erit de Vigilia anticipata SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in colore violaceo, ſine *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de S. Joanne, & tertia *Concede*: ſed Tridenti 795

in

In Comitatu Tyrolenſi tertia Oratio dicetur de ſecunda Die infra Octavam S. Vigilii Patroni: Regii verò in Ducatu Mutinenſi tertia Oratio erit de tertia Die infra Octavam S. Proſperi itidem Patroni. Ubi autem dicta die vigeſima ſeptima Junii fit de Feſto novem Lectionum, ut Auguſtæ Vindelicorum fit de ſeptem Dormientibus ſub ritu ſemiduplici occurrente vel alibi fiat etiam de Duplici tranſlato, in prædicto caſu Vigiliæ anticipatæ, Miſſa quidem privata celebrabitur de Feſto, cum ſecunda Oratione de S. Joanne, & tertia de Vigilia, ejuſque Evangelium legetur in fine: ſed in Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto poſt Tertiam, cum commemoratione S. Joannis, & alia de Vigilia poſt Nonam, cum ſecunda Oratione *Concede*, & tertia *Eccleſia*, vel *pro Papa*. Idem dicendum de die vigeſima octava ejuſdem Junii, in quo revera occurrit dicta Vigilia, & in quo fit de Feſto ſemiduplici Univerſali S. Leonis Secundi. Sed & idem ſervari debet, ſi eadem die vigeſima octava occurrat Dies infra Octavam SS. Corporis Chriſti, quia in ejus Miſſis privatis dicitur ſecunda Oratio S. Joannis, & tertia Vigiliæ, cum ejus Evangelio in fine: ſed Miſſa ſolemnis non erit unica de Vigilia, ut fit in Vigiliis infra Octavas communes occurrentibus, nam duæ ſunt cantandæ, ex Lege ſpeciali pro hac Octava privilegiata, de qua in Rubrica Generali Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 2.

Sive autem anticipetur Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſive propria die celebretur, 796
ubi ea die occurrit Feſtum duplex primæ claſſis; nihil ibi fit de Vigilia, ſed omninò omittitur quoad Officium, non verò quoad Jejunium, ut patet ex eadem Rubrica *ſub eod. num.* 2. *in fine*. In Miſſa tamen de Feſto novem Lectionum, quod celebratur infra hanc Octavam S. Joannis Baptiſtæ, ſemper fit commemoratio de ea, niſi Feſtum ſit duplex primæ vel ſecundæ claſſis: & ideò

Segniæ in Dalmatia die vigeſima ſeptima Junii nihil fit de S. Joanne, quia ea die fit ibi de S. Ladislao Rege & Confeſſore ſub ritu duplici ſecundæ claſſis; & ideo die vigeſima nona in Eccleſia Univerſali nihil fit de S. Joanne, quia Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli eſt duplex primæ claſſis. Quia verò duæ ſunt Octavæ, quæ tanquam digniores locum habent ab Octava S. Joannis, eundem locum præcedentiæ retinent etiam impeditæ: & ideò fit priùs commemoratio de SS. Corpore Chriſti, ſi incidat, deinde Sancti Joannis: In Eccleſia verò SS. Trinitati dicata, ſi occurrat Octava, dicitur ſecunda Oratio de SS. Corpore Chriſti, tertia de Titulari, & quarta de S. Joanne. In Feſto quoque duplici Commemorationis S. Pauli, S. Joannes cedit S. Petro: ſed ſi eo die occurrat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, Sancti Apoſtoli cedunt S. Joanni: & ideò in primo caſu S. Petrus habet commemorationem in Miſſa ante S. Joannem: in ſecundo verò caſu S. Joannes habet commemorationem ante Apoſtolos, ut ſupra diximus in Laudibus, ubi etiam de ratione.

Denique infra hanc Octavam S. Joannis Bapti- 797
ſtæ non impeditam ab Octava privilegiata SS. Corporis Chriſti, celebrari poſſunt quæcunque Miſſæ Votivæ privatæ, & etiam pro Defunctis, exceptis de more Duplicibus ac Dominica. Majori verò ratione dicuntur Votivæ ſolemnes & pro re gravi: niſi occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis: nam ſi in dictis duobus Duplicibus cantari non poteſt Votiva de SS. Sacramento, quæ caput eſt omnium Votivarum, non video, quomodo cantari poſſint aliæ Votivæ. Sicuti enim Paſqualigus in ſuppoſitione, quòd in Duplicibus primæ claſſis poſſit cantari de SS. Sacramento, admittit quaſcunque alias Votivas ſolemnes, ut videre eſt in ſuo Libro *de Sacrific. nov. leg. tom. 1. quæſt.* 243. ſic ceſſante ſuppoſitione, quam modò negare debemus, nulla ex Votivis cantari poteſt. Ceſſat autem dicta Paſqualigi

ſuppoſitio ex Inſtructione Clementis Undecimi, emanata *anno* 1704. *ſub die* 20. *Januarii* pro expoſitione SS. Sacramenti ratione Orationis quadragintà Horarum, & contenta in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtit.* 9. *ejuſd. Pontific. ubi* §. 10. inter alios dies exceptos, in quibus prohibet decantationem Miſſæ de SS. Sacramento, connumerantur dicta Duplicia tam primæ quàm etiam ſecundæ claſſis: Quòd ſi cantari poſſunt aliæ Votivæ, quando cantari poteſt de SS. Sacramento: ergo ex contraria ratione, quando cantari non poteſt de SS. Sacramento, non poſſunt cantari aliæ Votivæ. Cantatur etiam infra hanc Octavam Miſſa Defunctorum in Die Obitus, ſed etiam quoad hoc cautè legendus Paſqualigus *loco citato*, *quæſt.* 285. ubi tenet dictam Miſſam cantari poſſe etiam in Feſto duplici primæ claſſis, nam hujuſmodi duplex venit ſub nomine unius ex illis magnis celebritatibus ad hunc effectum exceptis à Rituali Romano *tit. de Exequiis*, *rubr.* 5. & tandem in nullo Duplici primæ claſſis poſſe cantari Miſſam Defunctorum, etiam præſente Corpore, declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Collen. ſub die* 5. *Julii* 1698. *ad* 8. *Dubium*, de quo alibi diximus.

Ut autem aliquid dicamus de Veſperis infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, hæ nunquam poſſunt eſſe integræ, quia uni Officio de Die infra Octavam non poteſt aliud immediatè ſuccedere ex impedimento Feſtorum, quibus abundat hæc Octava: alioquin dicerentur, ut in ſecundis Veſperis Feſti, juxta Rubricam Miſſalis *de Octavis*, *tit.* 7. *ſub numer.* 5. Semel autem dumtaxat poſſunt dictæ Veſperæ dividi à Capitulo, nempè die vigeſima ſeptima Junii, ſi Officium factum ſit de Octava, nam eo caſu concurrunt cum ſequenti Feſto ſemiduplici S. Leonis, vel interdum, eo translato cum Dominica: & tunc Octava S. Joannis habet commemorationem poſt Orationem Feſti vel Dominicæ. In aliis verò Diebus infra 798

Digitized by Google

Octavam, quia ſemper Veſperæ concurrunt cum Feſto duplici, & conſequenter ſunt de ſequenti, S. Joannes vel ſolam habet commemorationem, vel etiam illam deperdit, juxta ſequentis Duplicis qualitatem. Dixi, *juxta ſequentis Duplicis qualitatem*, nam ſi Veſperæ de Die infra Octavam concurrant cum duplici primæ vel ſecundæ claſſis, S. Joannes ſuam amittit in Veſperis commemorationem.

Quòd ſi die vigeſima quinta Junii fuerit infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſicuti Officium erit de ea tanquam de digniori, ſic ſuam in Veſperis ſervabit præcedentiam in commemoratione: & ideò Veſperæ erunt de ſequenti Feſto duplici Ss. martyrum Joannis & Pauli, cum commemoratione priùs de SS. Corpore Chriſti, deinde de S. Joanne. Quid autem ſpecialiter ſervandum ſit in primis Veſperis de dictis Ss. martyribus Joanne & Paulo, jam diximus ſupra in Laudibus de Diebus infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, quando opportunitas loci exigebat. Si verò occurrat Tabula trigeſimatertia, vel trigeſimaquarta ordinis perpetui, tunc Veſperæ diei vigeſimæ ſeptimæ Junii erunt de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ut in ſecundis Veſperis Feſti, cum commemoratione de Octava S. Joannis Baptiſtę, quia die vigeſima octava ejuſdem Junii, translato Feſto ſemiduplici S. Leonis Secundi, agetur itidem de eadem Octava SS. Corporis Chriſti. De concurrentia tamen Diei infra Octavam S. Joannis, vel alterius cujuſvis Officii cum Dominica, diſſeremus in paragrapho immediatè ſequenti. 799

§. VII.

§. VII.

De Dominica infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ occurrente.

HÆc Dominica non ſemper nuncupari poteſt infra Octavam S. Joannis Baptiſtę: ſiquidem interdum vocari debet principalirer Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti in Eccleſia Univerſali, & tunc dicitur ſimul Dominica in Die Octava SS. Trinitatis in Eccleſia propria: Itaque ſi occurrat Dominica tertia, vel quarta, aut etiam quinta poſt Pentecoſten, illa in Eccleſia Univerſali erit verè & dumtaxat Dominica infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, modò tamen libera, & modò impedita, ut infra patebit. Quando verò occurrerit Tabula trigeſima tertia, vel trigeſima quarta, aut etiam trigeſima quinta ordinis perpetui, erit Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti in Eccleſia Univerſali, & ſimul Dominica in Die Octava SS. Trinitatis in Eccleſia propria, & hæc contingere poteſt tribus tantùm diebus infra Octavam S. Joannis Baptiſtę, nempè vigeſima quinta, vel vigeſima ſexta, aut etiam vigeſima ſeptima Menſis Junii. Quęcunque autem fuerit illa Dominica, aliquid ſemper habebit de ſuo in primis Veſperis, vel ſcilicet Capitulum, vel ſaltem commemorationem, quocunque Feſto pręcedente in Sabbato, vel ſubſequente in ipſa Dominica. 800

801 Itaque quotieſcunque Dominica tertia, vel quarta, aut quinta poſt Pentecoſten veniat die vigeſima quinta Junii, in ſecundis Veſperis de

Feſto

Feſto S. Joannis Baptiſtæ fit commemoratio Dominicæ ſequentis; ſi verò eadem die fuerit Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, Veſperæ in Sabbato admittent commemorationem Dominicæ, & Octavæ privilegiatæ: ſed in Eccleſia SS. Trinitatis, in ſecundis Veſperis de S. Joanne in Sabbato fiet priùs commemoratio de Die Octava illis Titularis, deinde Dominicæ, & poſtmodum de SS. Corpore Chriſti. Quòd ſi Dominica inciderit in diem vigeſimam ſextam Junii, Veſperæ in Sabbato erunt de ſequenti Feſto duplici SS. martyrum Joannis & Pauli, cum commemoratione Dominicæ, & S. Joannis Baptiſtæ: & ſi prædicta die fuerit Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, primæ Veſperæ in Sabbato fient de ſequenti Feſto SS. Joannis & Pauli, cum commemoratione Dominicæ, & Octavæ privilegiatæ, ac S. Joannis Baptiſtæ. In Eccleſia verò SS. Trinitatis, Veſperæ fient de ejus Die Octava, cum commemorationibus, ut ſupra: Adveniente verò Dominica in die vigeſima ſeptima Junii, in ſecundis Veſperis de SS. maryribus Joanne & Paulo fit commemoratio de Dominica ſequenti, & de S. Joanne Baptiſta: attamen ſi fuerit Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti (quæ hucuſque poteſt occurrere, & ideò non procedit ulteriùs) in ſecundis Veſperis duplicibus de dictis Sanctis Martyribus facienda erit commemoratio Dominicæ, & de SS. Sacramento, nec non de S. Joanne Baptiſta: in Eccleſia verò SS. Trinitatis, Veſperæ Sabbati erunt, (ut reor) integræ de ſequenti Die Octava Titularis tanquam de digniori, cum commemoratione de præcedenti Feſto duplici minori SS. Joannis & Pauli, & Dominicæ, ac SS. Corporis Chriſti, nec non S. Joannis Baptiſtæ. Quòd ſi Dominica occurrat die vigeſima octava Junii, Veſperæ in Sabbato fient à Capitulo de Dominica ſequenti, cum commemoratione S. Joannis, cujus Officium factum fuit in dicto Sabbato in Eccleſia Univerſali. At ſi Dominica veniat die vigeſima nona Junii, dicuntur

tur Veſperæ de ſequenti Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quòd cùm ſit duplex primæ claſſis, admittit quidem in primis Veſperis commemorationem Dominicæ ſimul ſequentis, non autem de Feſto ſemiduplici præcedenti S. Leonis Secundi, nec de Octava S. Joannis Baptiſtæ. Si denique Dominica occurrat die trigeſima Junii, in ſecundis Veſperis de Sanctis Apoſtolis, fit commemoratio quidem ſequentis Dominicæ, non tamen de Feſto itidem ſequenti S. Pauli, neque de S. Joanne, ſed in Eccleſia S. Pauli, Veſperæ in Sabbato ſunt de ſequenti, cum commemoratione priùs S. Petri, deinde Dominicæ.

Quoad Officium in ipſa Dominica infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, ſi fuerit Dominica tertia, vel quarta, aut etiam quinta poſt Pentecoſten, & occurrerit die vigeſima quinta, vel vigeſima ſeptima, aut vigeſima octava Junii, in Eccleſia Univerſali Officium erit de Dominica, ut in Pſalterio, & in Proprio de Tempore, in colore tamen albo ratione Octavæ, & ad Laudes fiet commemoratio S. Joannis. Quocunque verò duplici impedita ſit Dominica, ad Matutinum dicitur nona Lectio de ea, cum ejus commemoratione in Laudibus: De S. Joanne verò fiet etiam commemoratio, niſi Feſtum, quo impedita ſit Dominica, ritum habeat duplicem primæ vel ſecundæ claſſis, tunc nihil de S. Joanne. At ſi illa Dominica fuerit infra Octavam SS. Corporis Chriſti, & venerit in aliquo ex prædictis tribus diebus, Officium quidem erit de ea, ſed nihil de Pſalterio, totum autem ut in Feſto, exceptis propriis illius Dominicæ, & ad Laudes fiet commemoratio SS. Corporis Chriſti, & S. Joannis: In Eccleſia verò SS. Trinitati dicata occurrit Officium de ejus Die Octava, circa quòd vidé quæ diximus *tom. 1. de Domin. infr. Oct. SS. Corpor. Chr.* ubi plura ad hanc Diem Octavam ſpectantia, ad quæ Lectorem remittimus, ne multiplicentur entia ſine neceſſitate: Ad matutinum tamen in Officio de dicta Die Octava, &

in

Digitized by Google

In quocunque alio Duplici, ſive in Eccleſia Univerſali, ſive in particulari in Dominica occurrens, dicitur nona Lectio ejuſdem Dominicæ, cujus commemoratio in Laudibus: deinde de SS. Corpore Chriſti ſi incidat, & S. Joannis, ſed hujus commemoratio tacetur, ſi Feſtum ſit duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ut ſupra diximus. At ſi fuerit Dominica quinta poſt Pentecoſten, quia in ea *Incipit Liber ſecundus Regum*, ſi Dominica fuerit impedita à Feſto non exigente in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente, dictum *Initium* ponetur prima die non impedita infra eandem Hebdomadam, ut ſi occurrat die vigeſima ſexta Junii, ponetur die vigeſima ſeptima in Feria ſecunda.

Miſſa verò de Dominica Octavam S. Joannis Baptiſtæ, ſi Officium ſit de ea (erit enim in Eccleſia Univerſali, ſi occurrat die vigeſimaquinta, vel vigeſima ſeptima, aut etiam vigeſima octava Junii) dicitur illa, quæ juxta numerum Dominicarum vocatur poſt Pentecoſten. Dicitur autem Miſſa in colore albo ratione Octavæ, ita docente Rubrica Miſſalis *de color. Paramen. titul.* 18. *ſub nu.* 4. Attamen ante Miſſam ſolemnem, in Cathedralibus, & Collegiatis fit aſperſio Aquæ benedictæ, illa excepta Eccleſia, in qua forſan Epiſcopus vellet Pontificaliter celebrare, ut preſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *capitul.* 31. §. 3. *&* 4. In hac Miſſa Dominicæ dicitur *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione tantùm de Octava S. Joannis, vigore Rubricæ *de Oration. titul.* 9. *ſub num.* 10. ſed per hanc appoſitionem ſolius ſecundæ Orationis non intelligit dicta Rubrica alias excludere occurrentes commemorationes, ut clariùs ex inferiùs dicendis patebit. Dicitur etiam *Credo* ratione Dominicæ, cum Præfatione communi. 803

Quia verò primo triduo poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, nempè die vigeſimaquinta, vel vigeſima ſexta, aut vigeſimà ſeptima Junii poteſt occurrente Dominica ſecunda poſt Pentecoſten, quę 804

tamen

tamen erit ſemper infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ideò ſi venerit duobus diebus in Eccleſia Univerſali non impeditis, dicetur Miſſa propria illius Dominicæ, ſcilicèt die vigeſima quinta, & vigeſima ſeptima, cum ſecunda Oratione de SS. Sacramento, & tertia de S. Joanne: Præfatio verò dicetur de Octava privilegiata, videlicet: *Quia per incarnati Verbi myſterium*: Quocunque tamen die ex tribus prædictis occurrat ipſa Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, in Eccleſia SS. Trinitatis dicitur Miſſa de Die Octava ſui Titularis ut in ejus Feſto, cum ſecunda Oratione Dominicæ, tertia de SS. Corpore Chriſti, & quarta de S. Joanne: Præfatio itidem erit de Die Octava, ſcilicet: *Qui cum unigenito Filio tuo*, & in fine Miſſæ legitur Evangelium ipſius Dominicæ. Quòd ſi Dominica incidat in diem trigeſimam Junii, in Miſſa de Commemoratione S. Pauli fiet priùs commemoratio S. Petri ante illam Dominicæ & SS. Corporis Chriſti, ſi occurrat, & ultimo loco de S. Joanne, cum Præfatione de Apoſtolis, nempè: *Te, Domine, ſuppliciter exorare, &c.* In Miſſa, licèt Dominica ſit impedita, quovis die occurrat infra Octavam, ſemper fit commemoratio ejuſdem, non ſemper S. Joannis, nam ſi in ipſa Dominica occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, facta commemoratione Dominicæ, lectoque ejus Evangelio in fine, nihil fit de S. Joanne. Itaque ſi veniat Dominica die vigeſimaquinta Junii, Regii in Ducatu Mutinenſi fit de S. Maximo Patrono, Auguſtæ Taurinorum fit de S. Proſpero itidem Patrono, utrobique ſub ritu duplici primæ claſſis: Si incidat in diem vigeſimam ſextam, Tridenti in Comitatu Tyrolenſi celebratur Feſtum duplex primæ claſſis de S. Vigilio Urbis Patrono: Si occurrat die vigeſima ſeptima, Segniæ in Dalmatia fit de S. Ladiſlao ſub ritu duplici ſecundæ claſſis: ſed & in Eccleſia Univerſali, ſi dicta Dominica incidat in diem vigeſimamnonam ejuſdem Junii, celebratur Feſtum duplex primæ

claſſis

claſſis de SS. Apoſtolis Petro & Paulo: nihil igitur in hujuſmodi occurrentiis fit de S. Joanne in Miſſa.

Cantari tamen poſſunt in hac Dominica infra Octavam quæcunque Miſſæ Votivæ pro re gravi, quia cantari poteſt Votiva de SS. Sacramento; nam Inſtructio Clementis Undecimi ad hujuſmodi Expoſitionis regulam emanata, excipit tantùm Dominicas majores primæ & ſecundæ claſſis. Quòd ſi Dominica impedita ſit à Feſto duplici itidem primæ vel ſecundæ claſſis, non erunt cantandæ Votivæ, quia in dictis duplicibus præcipitur Miſſa ſolemnis de Feſto cum ſecunda Oratione de SS. Sacramento ſub unica concluſione, ut videre eſt *in Bullar. Roman. noviſſ. edit. Luxemburg. tom. 8. par. 2. Conſtit. 9. §. 10.* At ſi Dominica ſit infra Octavam SS. Corporis Chriſti, & non ſit impedita ab aliquo ex dictis duobus duplicibus, tunc pro expoſitione SS. Sacramenti cantatur Miſſa de Dominica, quia in ea legitur Evangelium de Cœna magna, quod cùm quadret Octavæ, quadrat etiam Expoſitioni, ut fuſiùs diximus *tom. 1. in Miſſa de Domin. infr. illam Oct.* & inſuper fit commemoratio ejuſdem Octavæ. Cantari inſuper poteſt etiam Miſſa pro Defunctis in Die Obitus, nam in Dominicis Miſſam Defunctorum inſepulto Corpore conceſſit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1603. *ſub die* 23. *Maii*: hoc Decretum intelligitur communiter de Miſſa ſolemni in Die Obitus, non verò de privata, quæ in Dominicis celebrari non debet. Ly autem *inſepulto* importat præſentiam Corporis in Eccleſia, ut benè explicat Gavantus *tom. 1. par. 1. titul. 5. ſub numer. 1. lit. x*, licèt Paſqualigus huic opinioni adverſetur, & ideò cantare facit abſque hujuſmodi præſentia, ut patet ex ſuo Libro *de Sacrific. nov. Leg. tom. 1. qu.* 188. 805

Secundæ denique Veſperæ de Dominica infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, ſemel poſſunt eſſe integræ (& quidem in Eccleſia Univerſali) ſæpè ſunt cum ſola commemoratione, & quandoque 806

nihil

nihil omninò ſibi retinent, ut ex inferiùs dicendis clarè patebit. Itaque ſi hæc Dominica occurrat die vigeſima quinta Junii, Veſperæ erunt de ſequenti Feſto duplici minori SS. Joannis & Pauli, cum commemoratione Dominicæ præcedentis, & S. Joannis Baptiſtæ: Venetiis autem, ubi dicta die fit de Feſto duplici majori Apparitionis S. Marci Evangeliſtæ, in ſecundis Veſperis fit commemoratio de ſequenti duplici minori dictorum Martyrum Joannis & Pauli, cum commemoratione Dominicæ, & S. Joannis Baptiſtæ: ſed in toto ordine S. Benedicti, in quo die vigeſima quinta celebratur ſub ritu duplici minori Feſtum S. Gulielmi Abbatis, Veſperæ ſunt à Capitulo de ſequenti duplici minori univerſali, cum commemoratione præcedentis duplicis minoris particularis, & Dominicæ, ac S. Joannis Baptiſtæ: Tridenti verò, Veſperæ de S. Vigilio cras ibi occurrente ſub ritu duplici primæ claſſis, ſine commemoratione Dominicæ, & S. Joannis Baptiſtæ. At ſi dicta die vigeſima quinta Junii veniat Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima tertia ordinis perpetui, Veſperæ adhuc erunt de ſequenti, cum commemoratione Dominicæ, & SS. Corporis Chriſti, ac S. Joannis Baptiſtæ: ſed in Eccleſia SS. Trinitati dicata, in ſecundis Veſperis de Die Octava illius Titularis fiet commemoratio ſequentis, quia (ut reor) illa Dies Octava non dividit Veſperas ob majorem ejus dignitatem, deinde fit commemoratio Dominicę, & SS. Sacramenti, & ultimo loco de S. Joanne Baptiſta.

Quòd ſi dicta Dominica infra Octavam S. Joan- 805
nis Baptiſtę incidat in diem vigeſimam ſextam Junii, in ſecundis Veſperis duplicibus SS. Joannis & Pauli fit commemoratio Dominicę, & S. Joannis Baptiſtę: Segnię verò in Dalmatia Veſperę ſunt de S. Ladiſlao ſequenti ſub ritu duplici ſecundę claſſis, cum ſola commemoratione precedentis duplicis minoris univerſalis: At ſi dicta die vigeſima ſexta occurrat Dominica infra

Octa-

Octavam SS. Corporis Chriſti ut in Tabula trigeſima quarta, in ſecundis Veſperis de duplici univerſali fit commemoratio Dominicę, & SS. Corporis Chriſti, ac S. Joannis Baptiſtę: in Eccleſia verò SS. Trinitatis, ubi fit de Die Octava ſui Titularis in ſecundis Veſperis de ea fit commemoratio Dominicę, & SS. Corporis Chriſti, ac S. Joannis. Si verò occurrat dicta Dominica in die vigeſima ſeptima, in Eccleſia Univerſali Veſperę ſunt integrę de ea, cum commemoratione de ſequenti Feſto ſemiduplici S. Leonis Secundi, & S. Joannis Baptiſtę: Incidente verò in dictam diem vigeſimam ſeptimam Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti ut in Tabula trigeſima quinta, in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio de Octava privilegiata, & de S. Joanne Baptiſta, nam in tali caſu Feſtum ſemiduplex S. Leonis transfertur ratione Octavę privilegiatę Feſta ſemiduplicia utcunque occurrentia non admittentis: In Eccleſia tamen SS. Trinitati dicata, in ſecundis Veſperis de Die Octava ibi occurrente fit commemoratio Dominicę, & SS. Corporis Chriſti, ac S. Joannis Baptiſtę: Dicta verò Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti non progreditur ulteriùs, ſed hodie terminat ejus occurrentia.

At ſi ſępe dicta Dominica infra Octavam S. Joannis Baptiſtę veniat die vigeſima octava dicti Menſis Junii, Veſperę ſunt de Feſto Univerſali SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quòd ſub ritu duplici primę claſſis celebratur, ſine tamen commemoratione tum Dominicę, tum etiam S. Joannis Baptiſtę: Quòd ſi in dicta Dominica eodem die occurrente veniat alicubi Dedicatio Eccleſię, ut recurrente Tabula vigeſima ſecunda ordinis perpetui incidet Dominica quarta poſt Pentecoſten, Segnię in Dalmatia in ſecundis Veſperis de Dedicatione Cathedralis fit commemoratio de Feſto ſequenti Apoſtolorum, & nulla alia in dicto caſu fit commemoratio. Si verò Dominica occurrat die vigeſima nona, in ſecundis Veſpe- 808

ris

e SS. Apoſtolis fit quidem commemoratio Dominicę, ſed non ſequentis, neque S. Joannis Baptiſtę: In Eccleſia tamen S. Pauli fit commemoratio S. Petri, ſed non Dominicę. Quòd ſi eadem die occurrat Dominica quarta poſt Pentecoſten ut in Tabula trigeſima tertia, Segnię in Dalmatia in ſecundis Veſperis de Dedicatione Cathedralis fit commemoratio de ſequenti Commemoratione S. Pauli, & S. Petri, ac etiam Dominicę, ſed non S. Joannis Baptiſtę: In dicta verò concurrentia dictę commemorationes S. Pauli, & S. Petri, fiunt, ut notatur in Breviario, pro Eccleſia propria S. Pauli: & ſic faciendum bis adnotavi in Directorio illius Civitatis Segnienſis, anno ſcilicèt 1721. & 1727. in quibus caſus contingit hujuſmodi Concurrentiæ. De Dominica denique occurrente die trigeſima Junii, dicęmus in ſequenti paragrapho.

§. VIII.

De Die Octava Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.

HÆc Dies Octava Nativitatis S. Joannis Baptiſtę ritum antiquitùs habebat ſemi- 809.
duplicem: ex quo inferri poteſt, quòd Dies non impediti infra Octavam tunc temporis celebrati fuerint cum Officio trium Lectionum. Sanctus autem Pius Quintus elevavit ad duplicem ritum, teſte Gavanto *tom. 2. ſect. 7. capitul. 9. die 1. Julii*. Hęc autem Dies Octava annuncianda eſt primo loco in Martyrologio ad Primam diei Pręcedentis: Et quia hodie poſſunt occurrere alię duę Dies Octavę, ut ex inferiùs dicendis patebit, ideò ſive duę, ſive etiam tres ſimul incidant, omnes pronunciandę ſunt in Mar-

tyrologio, eo quidem ordine, quo ponuntur in Officio. Imò, quia datur caſus celebrandi alicubi hac die Feſtum duplex primę vel ſecundę claſſis; ut paulò poſt videbimus, primò loco ſemper annunciandum eſt Feſtum, de quo principaliter fit Officium occurrens, deinde ordinatim pronunciandę ſunt Dies Octavę, quotquot occurrent eadem die: Exempli gratia in noſtro caſu preſenti, quia poſſunt incidere tres Dies Octavę, ideò eo anno, quo incidunt, pronunciata priùs de more Kalendarum Lunariſque ętatis quantitate, ſtatim ſubdere debet Martyrologicus Lector: *Octava Sacratiſſimi Corporis Chriſti: itidem Octava S. Joannis Baptiſtæ, nec non Octava Dedicationis Eccleſiæ N.* ſi tamen Dedicatio translata fuerit infra Octavam, nam ſi veniat in Nativitate J. Joannis, transferendam eſſe diximus *tom.* 1. *cap.* 5. §. 7. *ſub numer.* 532. *pagin* 442. Mihi autem placet, quod diſplicet Guyeto, qui Diem Octavam in Martyrologio cenſet non eſſe poſtponendam Feſto proprio, de quo ea die fit principaliter Officium, ſed tenet, quòd priùs pronuncietur Dies Octava, deinde Feſtum proprium, ut videre eſt *in Heortolog. lib.* 2. *ſect.* 2. *capitul.* 15. *quaſt.* 4. *verſ. Secundo*, *pagin.* 126. dum enim ibi ait, quòd Rubrica quarta Martyrologii disertè aſſerit primo loco pronunciandum eſſe Feſtum, de quo ea die agitur, non video rationem, ob quam nos debeamus diſtinguere, ubi Lex non diſtinguit.

Præmiſſis quoad Diem Octavam S. Joannis Baptiſtæ Martyrologicis notationibus, tranſeamus 810
modò ad ejus Officium à primis Veſperis incipiendum. Hæ igitur, quia concurrunt cum pręcedenti Feſto duplici, ſumunt Pſalmorum Antiphonas ex ſecundis Veſperis Apoſtolorum, nempè, *Juravit Dominus*, ſed à Capitulo fit de ſequenti Die Octava S. Joannis, ut in primis Veſperis Feſti: & in fine pro commemoratione Apoſtolorum dicitur Antiphona *Petrus Apoſtolus*, Verſiculus *Conſtitues eos*, Reſponſorium *Memores erunt*,

erunt, Oratio verò utrique communis, *Deus, qui hodiernam diem*: & ſi die ultimâ Junii ſit Dominica, fit de ea commemoratio poſt illam Apoſtolorum. At ſi Dominica venerit die prima Julii, in Veſperis à Capitulo de ſequenti. Die Octava S. Joannis fit priùs commemoratio Apoſtolorum, quia eſt de Feſto duplici, non verò ſimplex commemoratio de Die infra Octavam, alioquin Veſperæ non dividerentur à Capitulo: idcircò commemoratio Dominicæ fit poſt Apoſtolos; ut docet Gavantus *tom. 2. ſect. 7. capitul. 8. in fine*, ubi corrigit quemdam ſui temporis recentiorem, qui in prædicta concurrentia notavit & docuit, priùs faciendam eſſe commemorationem Dominicæ, deinde Apoſtolorum. In Eccleſia verò S. Pauli, recitatis ſecundis Veſperis de ſuo Titulari, fit priùs commemoratio S. Petri, deinde de ſequenti Die Octava S. Joannis, & poſtmodum de Dominica itidem ſequenti, ſi occurrat. Quod ſi ultima Junii veniat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, in ſecundis Veſperis de illa Octava privilegiata fit commemoratio de ſequenti Die Octava S. Joannis, & Apoſtolorum: ſed in Eccleſia S. Paulo dicata, poſt Veſperas de Titulari fit priùs commemoratio S. Petri, poſteà de Die Octava SS. Corporis Chriſti, & ultimò loco de ſequenti Die Octava S. Joannis. At ſi dicta Dies Octava SS. Corporis Chriſti incidat in diem primam Julii (& caſus fuit anno 1734. cum Tabula trigeſima quinta) in primis Veſperis de Die Octava privilegiata fit commemoratio de Die Octava S. Joannis, deinde de Apoſtolis: attamen in Eccleſia S. Pauli in ſecundis Veſperis fit priùs commemoratio S. Petri, & poſtmodum de duabus Diebus Octavis, incipiendo à privilegiata.

Dari autem poteſt & alias Dies Octava alicubi occurrens vel die vigeſima Junii, vel prima Julii, & eſt Dies Octava Dedicationis Eccleſiæ: quæ ſi incidat in diem trigeſimam, translata Commemoratione S. Pauli, fit ibi de illa Die Octa- 811

Octava; & in ſecundis ejus Veſperis fit à Capitulo de ſequenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, cum commemoratione de dicta præcedenti Die Octava Dedicationis, & poſtmodum de Apoſtolis ſimul ſumptis. Si verò in eadem trigeſima die Junii veniat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, tunc in ſecundis integris ejus Veſperis, fit priùs commemoratio de Die Octava S. Joannis, deinde de Die Octava Dedicationis, & ultimo loco de Apoſtolis. At ſi dicta Dies Octava Dedicationis occurrat die prima Julii, in ſecundis Veſperis de SS. Apoſtolis fit à Capitulo de ſequenti Die Octava S. Joannis, deinde de Die Octava Dedicationis ex ſuperiùs dictis *tom.* 1. *capitul.* 5. §. 7. *ſub numer.* 532. *pagin.* 442. & ſuppoſito, quòd Feſtum principale translatum ſit infra Octavam; & poſt dictam commemorationem dictæ Diei Octavæ Dedicationis, fit ibidem commemoratio de Apoſtolis. Quòd ſi eadem die prima Julii veniat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, in primis ejus Veſperis locum habet ſtatim commemoratio de Die Octava S. Joannis, cui ſuccedit illa de Die Octava Dedicationis, & poſtmodùm de Apoſtolis.

Quòd autem ſic agendum ſit, ita ut Dies Octava S. Joannis locum habeat in occurrentia à Die Octava Dedicationis, præter ea, quæ diximus *dicto tom.* 1. *capitul.* 5. §. 7. *ſub numer.* 532. hoc idem antea decreverat in noſtris terminis Sacra Rituum Congregatio *in Aquilejen. anno* 1688. *ſub die* 21. *Auguſti*, in qua dixit, quòd *Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ præferri debet Feſto Dedicationis Eccleſiæ, & habere integras ſecundas Veſperas, cum commemoratione tantùm ſequentis Dedicationis*; ut refert Reverendiſſimus P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub numer.* 156. *pagin.* 668. Quòd autem dicitur de principali, intelligitur de acceſſorio, nam acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, & ideò Dies Octava S. Joannis locum habet à Die Octava Dedicationis: Caſus autem hujuſmodi occurrentiæ habetur quo- 512

vis

vis anno Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata SS. Trinitatis, ubi conſequenter ſic quovis anno erit agendum.

At ſi in Die Octava S. Joannis Baptiſtæ occurrat alicubi Feſtum duplex primæ claſſis, ut occurrit ſemper Venetiis Feſtum S. Martialis Epiſcopi & Confeſſoris in ejus Eccleſia Parochiali & Collegiata: itidemque in Eccleſia Abbatiali Vangaditienſi in Agro Patavino, ubi eadem die fit quovis anno de S. Theobaldo Confeſſore Badiæ Patrono ſub eodem ritu duplici primæ claſſis: Veſperæ utrobique ſunt de Feſto ſequenti, cum commemoratione de Die Octavâ itidem ſequenti S. Joannis; non verò de Apoſtolis, ſed neque de Dominica, ſi præcedat; non tamen ſi ſubſequatur. Quòd ſi Feſtum illud in Die Octava S. Joannis occurrens, fuerit duplex ſecundæ claſſis, ut Segniæ in Dalmatia apud Eccleſias Regularium eſt Feſtum Dedicationis Cathedralis, quando dicta die prima Julii veniat Dominica quarta poſt Pentecoſten; ut in Tabula vigeſima quinta ordinis perpetui: tunc in dictis Eccleſiis Regularium Segnienſibus die trigeſima Junii, in primis Veſperis de ſequenti Dedicatione fit prius commemoratio de Die Octava itidem ſequenti S. Joannis, deinde de Apoſtolis tanquàm de duplici, & tertio loco de Dominica. 811

Quoad verò Officium in hac Die Octavâ S. Joannis recitandum, omnia dicuntur, ſicut in Die, ſub ritu duplici in colore albo. In primo tamen Nocturno Lectiones ſunt de Scriptura occurrente, niſi die vigeſima nona vel trigeſima Junii occurrat Dominica quinta poſt Pentecoſten, ut in Tabula decima ſexta vel decima ſeptima ordinis perpetui, quia in primo ejus Nocturno *Incipit Liber ſecundus Regum*, & cùm hoc *Initium* in caſu propoſito ſit dictis duobus diebus Junii impeditum, ponendum erit hodie in hac Die Octava: & majori ratione dicetur hac die, ſi dicta Dominica quinta hodie incidat, ut in Tabula decima octava: idem dicendum, ſi in aliqua ex 812

dictis tribus diebus occurrat Dominica ſeptima, in qua *Incipit Liber tertius Regum*, ut in Tabula ſecunda, vel tertia, aut quarta. Lectiones tamen ſecundi Nocturni ſunt propriæ *de ſermone S. Maximi Epiſcopi*. Sed in tertio Nocturno recurrendum eſt ad Feſtum, repetendo Homiliam S. Ambroſii Epiſcopi quæ incipit *Peperit Filium Eliſabeth*, ut habet Rubrica hodierna Breviarii. Circa verò Lectiones dicti tertii Nocturni, Gavantus *tom. 2. ſect. 7. capitul. 9. die 1. Julii*, hortatur, ſed non cogit, ut ſi contingat non legi de Homilia S. Ambroſii, quæ habetur in ſecunda vel quarta die infra Octavam S. Joannis ob Dominicam occurrentem infra eandem Octavam, legatur, ſi placet, quòd omiſſum eſt, in hac Die Octava ad varietatem & ad libitum: ſi verò Dominica occurrat extra illas duos dies vigeſimam quintam & vigeſimam ſeptimam, ſervanda eſt neceſſariò Rubrica hujus Diei Octavæ, præcipiens, ut in tertio Nocturno dicantur Lectiones ut in Feſto. Ad Laudes autem fit commemoratio Apoſtolorum, & alterius Diei infra Octavam ſpecialem, ſi alicubi occurrat, ut Tridenti in Comitatu Tyrolenſi fit etiam commemoratio de ſexta Die infra Octavam S. Vigilii Patroni: ſic Regii in Ducatu Mutinenſi, & Auguſtæ Taurinorum fit commemoratio de ſeptima Die infra Octavam illic S. Proſperi, iſtic S. Maximi, Patronorum, imò & idem dicendum, ubi hodie occurrit Dies Octava Dedicationis, ita tamen, ut de ea fiat commemoratio ante Apoſtolos.

Quòd ſi in dictam Diem Octavam S. Joannis Baptiſtæ incidat Dominica, ad Matutinum dicitur nona Lectio de ea, cum ejus commemoratione in Laudibus, ſed Tridenti, Regii, & Taurini additur etiam commemoratio de ſuo reſpectivè Patrono. At ſi hodie occurrat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, Officium erit de ea, & ad Laudes fit priùs commemoratio de Die Octava S. Joannis, deinde Apoſtolorum. Quia tamen poteſt hac die occurrere alicubi Feſtum duplex primæ 815

claſſis,

claſſis, ut de S. Martiale, & de S. Teobaldo ſupra vidimus in primis Veſperis, ibi ad Laudes de uno & altero Feſto fit commemoratio de Die Octava S. Joannis, non verò Apoſtolorum, ſed benè Dominicæ, ſi occurrat, cum ejus nona Lectione ad Matutinum. Idem dicendum, ubi hodie incidat Feſtum duplex ſecundæ claſſis, quod occurrit Segniæ in Dalmatia à parte Imperii, quotieſcunque recurrat Tabula vigeſima quinta ordinis perpetui, in qua hodie venit Dominica quarta poſt Pentecoſten, Sedes Dedicationis illius Cathedralis: Regulares autem Segniæ commemorantes tenentur ad hoc Feſtum ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, licèt ſive Octava, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis *de Anno* 1662. *ſub die prima Aprilis*: & ſub eodem ritu duplici ſecundæ claſſis celebrandam eſſe Dedicationem Cathedralis etiam à Monialibus Ordinario Loci ſubjectis, reſpondit eadem Sacra Congregatio *in Tarviſina* 1702. *ſub die* 11. *Februarii*, *ad ſecundum Dubium*, ut videre eſt in mea Collectione de Sacris Ritibus edita anno 1730. *ſub nu. margin.* 809. *pagin.* 251. *& ſub numer.* 1204. *pagin.* 397. & refert etiam P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub numer.* 224.

816 Sed ſatis arbitramur locutos nos fuiſſe de Officio in Die Octava S. Joannis celebrando: Accedamus ad Miſſam. Hæc igitur dicitur ut in ejus Feſto, in colore albo, cum *Gloria*, & cum ſecunda Oratione de Apoſtolis, quorum ratione dicitur etiam *Credo*, eorumque Præfatio. Tranſlato verò Feſto SS. Petri & Pauli ratione Dedicationis Eccleſiæ ea die alicubi occurrentis, ut videbimus in Capite ſequenti, cùm de eorum Octava differemus, hæc Miſſa S. Joannis hodie amittit *Credo*, quia ceſſante ratione, propter quam dicitur, debet etiam ceſſare effectus rationis. Fiunt tamen in hac Miſſa aliæ commemorationes in aliquo Loco vel Eccleſia occurrentes, de quibus locuti ſumus ſuperiùs in Laudibus. Quòd ſi hodie occurrat Dominica, reviviſcit alia

ratio dicendi Symbolum in Miſſa de S. Joanne, in qua ſecunda Oratio erit de eadem Dominica, & tertia de Apoſtolis, cum Evangelio ipſius Dominicæ in fine. At ſi hodie veniat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, celebrabitur Miſſa de illa Die Octava cum *Gloria* & etiam *Credo*, & quoad Orationes, ſecunda erit de Die Octava S. Joannis, & tertia Apoſtolorum, ſed Præfatio *Quia per incarnati Verbi Myſterium*. Occurrente verò alicubi Die Octava Dedicationis Eccleſiæ, in Miſſa de Die Octava S. Joannis, cum Hymno Angelico & Symbolo, fiet commemoratio de eadem Die Octava Dedicationis, & de Apoſtolis, de quibus etiam dicetur Præfatio. At ſi ſimul incident omnes & tres dictæ Dies Octavæ, in Miſſa de SS. Corpore Chriſti fiet priùs commemoratio de Die Octava S. Joannis, deinde de Die Octavâ Dedicationis, & poſtmodum de Apoſtolis, cum Præfatione de Octavâ privilegiata, de qua dicitur Miſſa. Ubi tamen fit hodie de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, fit quidem in Miſſa commemoratio S. Joannis, ſed non Apoſtolorum, licèt dicenda ſit eorum Præfatio.

Secundæ autem Veſperæ, que finis ſunt hujus Diei Octavæ S. Joannis, ſunt ſemper impeditæ à Feſto ſequenti altioris ritus & majoris dignitatis. debent enim eſſe de ſequenti Feſto duplici majori Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, cum commemoratione de præcedenti Die Octava S. Joannis, & deinde de Apoſtolis, & ultimo loco de Feſto ſimplici Sanctorum martyrum Proceſſi & Martiniani. Si verò hodie occurrat Dominica, vel cras ſubſequatur, in primis Veſperis de ſequenti ſit commemoratio præcedentis, & Dominicæ, ac Apoſtolorum, deinde Feſti ſimplicis. Ubi tamen die ſecunda Julii occurrit Dies Octava ſive Patroni Loci, ſive Titularis Eccleſiæ, ſive Dedicationis, quia ibi tranſlata Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, agendum eſt de illa Die Octava (ut habet Gavantus *tom. 2. ſect. 3. capitul. 8.* 817

de

de Octav. ſub numer. 13. & docet non ſemel Octavarium Romanum & ſignanter die quinta Auguſti, ubi expreſſa translatione Feſti S. Mariæ ad Nives, quòd eſt duplex majus, ponit Officium de Die Octava S. Marthæ Virginis in Ecclesia propria.) mutatur ordo Veſperarum, ſiquidem in ſecundis Veſperis de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ fit à Capitulo de Die Octava ſequenti, cum commemoratione de Die Octava præcedenti, & de Apoſtolis, ac de Feſto ſimplici, niſi etiam occurrat vel ſubſequatur Dominica; quia tunc fit commemoratio de ea ante Apoſtolos. At ſi in Die Octava S. Joannis occurrat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula memorata trigeſima quinta ordinis perpetui, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio priùs de ſequenti Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, deinde de præcedenti Die Octava S. Joannis, ac poſtmodum de Apoſtolis, nec non de Feſto ſimplici. Quòd ſi ſimul alicubi occurrat etiam Dies Octava Dedicationis, in ſecundis Veſperis de Die Octava privilegiata fit com. priùs de Viſitatione ſequenti, deinde de Die Octava S. Joannis, & poſtea de Die Octava Dedicationis, ac de Apoſtolis, & de Feſto ſimplici. Si tamen in hac die prima Julii actum ſit alicubi de Feſto duplici ſecundæ claſſis, in ſecundis Veſperis de eo fit commemoratio ſequentis Viſitationis, & Diei Octavæ S. Joannis, ac Feſti ſimplicis, non verò Apoſtolorum; & ſi Officium fuit de Feſto duplici primæ claſſis, in ſecundis ejus Veſperis non fit commemoratio de Apoſtolis, neque de Feſto ſimplici.

In Urbe tamen Regii de Ducatu Mutinenſi, quam pro caſu ſequenti citat Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 12. *ſub numer.* 20. quia Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis eſt ibi Feſtum de præcepto, fit die ſecunda Julii Officium de eodem Feſto ſub ritu univerſali duplici majori, cum commemoratione de Die Octava S. Proſperi Patroni, & ideò ibidem Veſperæ in die præcedenti ſunt 818

de

de Viſitatione, cum commemoratione de dicta Die Octava S. Proſperi, & de præcedenti Die Octava S. Joannis, ac Apoſtolorum, & Feſti ſimplicis. Sed hæc eſt gratioſa conceſſio Clero illi Regienſi facta à Sacra Rituum Congregatione: & ideò caſus eſt ſpecialis non tradendus in exemplum: quòd enim conceditur per Privilegium, ſine illo fieri non poteſt, *l. jus ſingulare*, 15. *ff. de leg.* Baldus *conſil.* 281. *ſub num.* 7, *lib.* 5. Quapropter, attenta ea particulari conceſſione Regio facta in Ducatu Mutinenſi, proſequitur benè Gavantus *loco ſupra citato*, intelligens, quòd ubi non haberetur talis conceſſio celebrandi Feſtum Viſitationis ſub ritu tantùm duplici majori, & faciendi ſolam commemorationem de Die Octava; proſequitur inquam, dicens: *aliàs transferretur Feſtum*, juxta ea, quæ ſupra dixerat *dicto tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 8. *ſub numer.* 12. Itaque qua ratione Auguſtæ Taurinorum fiat de Viſitatione ſub ritu dumtaxat duplici majori, cum commemoratione de Die Octava S. Maximi (ut in Directorio illius Civitatis & Diœceſis de Anno 1700. modò lego) neſcio profectò, ſed tenendum eſt, quòd & ibi habeatur ſimilis conceſſio ſpecialis: Unde Guyetus *in Heortolog. libr.* 4. *ſect.* 1. *capitul.* 6. *quæſt.* 7. *circa fin.* tractans de dicta conceſſione ſpeciali Clero Regienſi facta, cui ibi ſtandum eſſe confirmat, licèt Feſtum Viſitationis non ſit ibidem primæ vel ſecundæ claſſis, ſtatim ſubdit: *Stent & ii, qui ſimiles habent Declarationes*: *Cæteris in hoc caſu ſervanda eſt Rubrica* 10. *de translat. Feſtor. ſub num.* 2. & ideò Sacra Rituum Congregatio *in Aquilejen. anno* 1688. 21. *Auguſti* reſpondit, quòd occurrente Octava Dedicationis in Feſto Viſitationis B. M. V. fiat de Die Octava, translata Viſitatione: ita P. Merati *tom* 2. *par.* 1. *in Indice ſub numer.* 244.

Certiſſimum autem eſt, quòd ubi Feſtum Viſitationis eſt duplex ſecundæ claſſis, ut eſt Recineti in Marchia Anconitana, Senogalliæ in 819

Ducatu Urbinatenſi, Piſis in Tractu Piſano Thuſciæ, & Aſturiæ in Hiſpania: ſi in aliqua Eccleſia illarum Civitatum occurrat ſimul Dies Octava vel Titularis ejuſdem Eccleſiæ vel propriæ Dedicationis, ibi die prima Julii veſperæ ſunt de ſequenti Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, cum commemoratione prius de Die Octava S. Joannis, deinde de Die Octava illius Eccleſię particularis; non verò de Apoſtolis, ſed neque de Feſto ſimplici. Aſt ubi dictum Feſtum Viſitationis eſt duplex primæ claſſis, ut eſt Laureti in Provincia Picena, Auguſtæ Vindelicorum in Rhetia, Pragæ in Bohemia, Zamoræ in Hiſpania: ibi die prima Julii Veſperæ ſunt de ſequenti Feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, ſed Dies Octava S. Joannis Baptiſtæ ſuam amittit commemorationem, vigore Rubricæ poſitæ in Tabella Breviarii *de Concurrentia Officiorum*, ubi concurrente Die Octava communi cum duplici primæ claſſis, reſpondetur ſub numero primo: *Totum de ſequenti, nihil de præcedenti*: & in tali concurrentia, ſi nihil fit de Die Octava communi, quæ eſt duplex, multo minus fiet de Apoſtolis, & decreſcente ratione, nulla fiet commemoratio de Feſto ſimplici, quod die ſequenti nihil habet de ſuo.

DE

DE OCTAVA COMMUNI SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

CAPUT TERTIUM.

TErtia ex Communibus, ſeu non Privi- 120
legiatis Octavis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, eſt illa ſatis conſpicua de Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo. Amborum enim celebratur ſimul Feſtivitas, ut qui uno die, uno anno, in una Urbe, & ſub uno perſecutore martyrium ſubjere, una etiam Solemnitate honorificentur, & etiam per unam celebritatem verificetur, quòd *quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati.* Antequàm autem deveniamus ad Rubricarum explicationem infra hanc Octavam ſervandarum, opportunum duximus, aliquid de utroque dieere, ut recitatis eorum actibus, dignoſcatur hujuſce Octavæ excellentia. Petrus igitur, qui primus fuit ex vocatis ad converſionem unà cum Andrea ejus Fratre, habeat etiam in laudatione primatum. Dum etenim rete mittebant in mare Galileæ, ſeu Tiberiadis, vel ſtagnum Geneſareth, eos Jeſus ſalutari doctrina imbuit, & ſubinde dixit: *Venite poſt me: faciam vos fieri Piſcatores hominum:* Unde S. Cyprianus *de Cæna Domini*, converſus ad Dominum admiratus ait: *Sic tu, Domine, Piſcatores facis Doctores:* facti namque

ſunt

ſunt revera Magiſtri, nam *ipſi nos docuerunt legem tuam, Domine.*

Et benè Petrus fuit ex primis ad converſionis 321
vocationem: ſiquidem primus poſt Chriſtum debebat ſummi Pontificatus adminiſtrationem capeſcere. Qui autem ex vocatis fuit primus, fuit etiam primus in confeſſione Deitatis: nam interrogatis à Chriſto omnibus ſimul Diſcipulis, quid præter Vulgus opinionem, ipſi de eo ſentirent: ſurgens primus Petrus, à Deo illuſtratus reſpondit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: hoc eſt: Non teneo ſententiam Pythagoricam, quæ hiſce temporibus viget, credendo, ut credit Vulgus, quòd in te tranſmigrata ſit aliqua Anima ex defunctis Prophetis, veluti illa Eliæ, vel Jeremiæ, aut Joannis Baptiſtæ; ſed agnoſco in te, & firmiſſimè teneo, cum me agnoſcit & tenet totum hoc Collegium Apoſtolicum, te eſſe verum Meſſiam, per tot ſæcula à Prophetis promiſſum, à Patriarchis expectatum & deſideratum: Te eſſe, inquam, Filium Dei vivi per naturam & Deitatem Tibi à Deo Patre per generationem æternam communicatam: Qui ita formaliter vivis vitam æternam, increatam, & beatam, ut cauſaliter omnibus rebus à te creatis ſuam vim & vigorem, ac viventibus animam & vitam inſpires. Sic intellexit dicere Petrus, reſpondendo: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: Et ideò S. Leo ſerm. de transfigur. Dom. ſic habet: *Divus Petrus per revelationem ſummi Patris, corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, & confeſſus eſt gloriam Dei.* Primus igitur omnium Petrus hunc fecit grandem confeſſionis actum, ad quem eliciendum tota concurrit Trinitas; Concurrit etenim Pater, quia *caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt.* Concurrit Filius, quia dum dixit Chriſtus; *vos autem quem me eſſe dicitis*, ſuam revelavit Petro Divinitatem humanitati unitam, & verba dedit in ore ejus: Concurrit denique Spiritus Sanctus, quia, ut ait S. Hieronymus in cap. 16. Matth.

Matth. *Quod caro, & ſanguis revelare non potuit, Spiritus Sancti gratia revelatum eſt.* Actus fuit quidem unicus Petri, & nihilominus multiplex, attenta obſervatione Chryſoſtomi dicentis: *Petrus tanquam os Apoſtolorum & caput, pro omnibus reſpondit:* ergo in uno actu Patris, duodecim actus continentur, cum fide & charitate duodecim Apoſtolis æquipolliente: ergo fuit actus duodecies diviſus ab humanitate, & duodecies unitus Divinitati.

Hinc eſt, quòd Chriſtus, audita Petri de ſe firmiſſima Deitatis confeſſione, appellavit eum & 824
Beatum & Filium Spiritus Sancti: dixit enim: *Beatus es Simon Bar-Jona*, hoc eſt, Filius Columbæ, Filius Spiritus Sancti. Quia igitur video in te tantam de me cognitionem à Patre meo revelatam, *dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, quæ à ſucceſſivis Petris ſeu ſucceſſoribus Pontificibus extenſa, erit ſemper fortior, & majeſtate nobilior. Ego itaque, qui ſum verus Dei Filius, ut profeſſus es, tanquam Filius Dei tibi dico & certò aſſevero, ac dicendo facio & conſtituo te Petrum, ut ſcilicet poſt me ſis Petra Eccleſiæ. Unde S. Leo *ſerm. 3. in Anniverſ. Aſſumpt. ſua* ſic egregiè de more ſuo explicat: *Et ego dico tibi, hoc eſt, ſicut meus Pater manifeſtavit Divinitatem meam, & ego notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id eſt, cùm ego ſim inviolabilis Petra, tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.* Tu, inquam, es Petrus, quia ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, incipiendo à me ipſo, qui Petra ſum, 1. *Corinth. cap.* 10. *verſ.* 4. ut poſt mortem meam, recepto in Pentecoſte Spiritu Sancto, ſolidatus, & roboratus, ſis fundamentum Eccleſiæ, quam ſuper te ædificabo, & quam ſuper ſucceſſivas Petras ſeu Succeſſores reddam validiorem, & illuſtriorem.

Ut autem ſcias, Petre, quid ſit ædificare ſuper 825
te Eccleſiam meam, *Portæ inferi non prævalebunt*

adver-

adverſùs eam, quia fundata eſt in te Petro &
Succeſſoribus tuis, quaſi in Petra firmiſſima, adeò
ut Civitas inferorum, totus ſcilicet infernus cum
omni ſuo dæmonum exercitu nunquàm prævale-
bit: unde S. Auguſtinus in ſuo Libro de Civita
te Dei, duas in principio conſtituit Civitates ſibi
óppoſitas, unam Dei, quæ eſt Eccleſia: alteram
diaboli, id eſt, dæmonum & impiorum: maximè
autem per portas inferi intelligit hæreſes & hæ-
reſiarchas: hi enim fidem Petri & Eccleſiæ ex
profeſſo oppugnant, prodeuntque ex inferno, &
ſuſcitantur à diabolo: nec iſti poterunt unquam
prævalere, ut benè notat Cornelius à Lapide *in*
Matth. cap. 16. verſ. 18. Sed in ædificatione Ec-
cleſiæ ſuper Petri petram venit & conſignatio
Clavium: idcircò proſequitur Chriſtus: *Et tibi*
dabo Claves regni Cœlorum: Tibi, qui es Filius
Bar-Jonæ, Filius Columbæ, Filius Spiritus San-
cti. Ex hoc patet, Chriſtum promittere Claves
Petro ut futuro Pontifici, & conſequenter reli
quis Romanis Pontificibus Petri ſucceſſoribus:
Chriſtus enim proſpexit Eccleſiæ ſuæ perpetuò
duraturæ de re maximè neceſſaria & ſummi mo-
menti, ſcilicet de Capite perpetuo, & ideò opti-
mum ac perpetuum in ea regimen inſtituit, ſci-
licet, Monarchicum, ut ſub uno Romano Pon-
tifice una Chriſti regatur Eccleſia uſque ad finem
Mundi, ſicuti adeſſe promiſit, dicens: *Et ecce*
ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſum-
mationem ſæculi, *Matth.* 28. 824

Quid verò importet Clavium conſignatio, ipſe
Chriſtus explicavit, ſtatim ſubjungens, *Quodcun-*
que ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cæ-
lis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum
& in Cœlis. Dedit ergo Petro ſummam poteſta-
tem regendi univerſalem Eccleſiam toto Orbe
diffuſam, ut Clavibus, id eſt, poteſtate ſua ape-
riendi vel claudendi hominibus Eccleſiam, eiſdem
pariter aperiat vel claudat Cœlum: Et ideò S.
Auguſtinus *ſerm.* 28. *de Sanctis*, ſic in Petri lau-
825 dationem prorumpit: *Solus Petrus inter Apoſtolos*

meruit

meruit audire: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei Populis, Lapis eſſet ad fundamentum, Columna ad ſuſtentaculum, Clavis ad regnum. Hinc Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, Præſes Concilii Nicæni, Conſtantio Imperatori Ariano claves Eccleſiæ poſtulanti, reſpondit, ſibi deberi claves Urbium, claves verò Eccleſiæ deberi ſoli Pontifici: *Tibi Deus imperium commiſit: nobis, quæ Eccleſiæ ſua ſunt, credidit.* Imò & Ambroſius, Arianis petentibus claves Eccleſiæ Mediolani, reſpondit: *Scriptum eſt: Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo*; ut videre eſt apud ipſum *lib. 2. epiſt.* 13. Gaudeat tamen Peccator, quia per Petrum invitatur ad veniam: cùm enim neſciat Petrus quoties ignoſcere debeat Peccatoribus, inſtat & interrogat Chriſtum, an *uſque ſepties* offenſa ſit remittenda: Sed vide quàm ſalutaris ſit iſta Petri interrogatio, nam cùm audiſſet à Chriſto: *Si peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum*, Petrus, dubius de vicibus, ſatis putabat *uſque ſepties*, ſed interrogando audivit à Chriſto ampliationem ſuæ reſtrictionis; ſcilicet: *Non dico tibi ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*: hoc eſt, toties quoties Peccator agit verè pœnitentiam, & contritus eſt corde: & ideò innumerabiliter, & innumerabilibus vicibus offenſa dimittitur, ſi Frater, qui peccavit, ſeriò pœniteat. Ex quo ponderanda Dei miſericordia, & Petri auctoritas ad omnes Petri Succeſſores extenſa.

825 Attamen Petrus poſt tam commendatam Deitatis confeſſionem, & promiſſionem ſibi factam de futuro poſt Chriſti mortem ſummo Pontificatu cum magna poteſtate: imò & poſt atteſtationem firmiſſimæ fidei, & amoris ſui vehementis erga Chriſtum, quando intrepidè dixit: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: in trinam incidit apertiſſimam ipſius Chriſti negationem: ſed videte locum, in quo negavit, nam ad ignem ſedebat cum Miniſtris: Unde S. Ambroſius *in Luc.*

cap.

cap. 22. ſic ad rem habet: *Ubi verò negavit Jeſum Petrus? In Prætorio Judæorum, in ſocietate impiorum*: nam cum perverſo perverteris. Gallus poſt primam negationem cantavit; ſed Petrus non audivit. Ad tertiam verò negationem Gallus cantavit ſecundò, & Petrus audivit, quia *converſus Dominus reſpexit Petrum*. Si quæras, ubi erat Chriſtus, quando Petrum reſpexit: reſpondeo, quòd eo momento, quo Petrus incurrit in tertiam negationem, diſcedente Concilio ad ſomnum capiendum, Chriſtus jam examinatus, & traditus cuſtodibus, tranſibat per Prætorium ſeu Atrium, ubi erat Petrus.

Audiſtis quidem Petrum negantem: audite quæſo Petrum pœnitentem. Qui primum Galli cantum non adverterat, ex reſpectu Chriſti audivit ſecundum: *& tunc recordatus eſt verbi Domini, ſicut dixerat*: Sed quid creditis tunc feciſſe? *Egreſſus foras, flevit amarè*. Quia non potuit pœnitere in Prætorio, pœnituit extra Prætorium: 826
nec enim poterat (ait S. Hieronymus) *in Atrio Caiphæ ſedens agere pœnitentiam: egreditur foras de impiorum Concilio, ut pavida negationis ſordes amoris fletibus lavet*. Chriſtus igitur reſpiciendo Petrum, erexit illum, nam rogavit Patrem, ne deficeret ejus fides, quæ revera ad horam tantùm defecit, ut teſtatur Lucas Evangeliſta de trina Petri negatione: *& intervallo facto quaſi horæ unius*. Quapropter dictus S. Hieronymus: *Fieri non poterat, ut in negatione permaneret, quem Lux reſpexerat Mundi*. Defecit Petrus in fide, & in lacrimis invenit fidem: & ideò S. Ambroſius: *Petrus doluit & flevit, quia erravit ut homo: commune quod labitur: fidei quod pœnitet*. In illis tamen lacrymis, in quibus lavit maculas criminis, non ſtat tota ejus pœnitentia. Per totum ejus vitæ curſum, quotieſcunque audiebat Galli cantum, lacrymas effundebat, & in genua procumbens, peccati jam remiſſi iterum veniam à Deo & Chriſto flagitabat, ut ait S. Clemens S. Petri Diſcipulus & Succeſſor. Hinc etiam oculi ejus

ex aſſiduo ploratu apparebant quaſi ſanguine reſperſi, teſte Nicephoro *lib. 2. cap.* 37. & ex eo Cornelius à Lapide *in Matth. cap.* 26. *verſ.* 74. Illud tamen in Petro conſiderandum eſt, quòd comprehenſo Chriſto, cæteriſque Apoſtolis fugientibus, ſolus ipſe remanſit, ſecutus eſt licet à longè, ſtetit in Prætorio, & quamvis Chriſtum ad horam negaverit, & charitatem amiſerit, ejus tamen fidem corde retinuit.

Surrexit Chriſtus, & Angelus annuncians ſanctis Mulieribus Reſurrectionem, ſubinde dixit eis: *Ite, dicite Diſcipulis ejus, & Petro.* Cur hæc quæſo Petri diſtinctio? Nonne erat ſufficiens, ut diceretur ab Angelo: *Dicite Diſcipulis ejus?* nam Petrus erat certè unus ex illis. Angelus igitur juſſus fuit à Chriſto, ut hoc diceret cum diſtinctione, ad hoc ut Maria Magdalena in annunciando recognoſceret in Petro Vicarium Chriſti: & cæteri Apoſtoli de hoc admoniti, ſcirent Petrum eſſe Caput Eccleſiæ, & itidem Chriſti Vicarium jam deſignatum, ne contentio eſſet ampliùs inter eos, *quis eorum videretur eſſe major*: ſiquidem Chriſtus per Angelum declaravit, Petrum eſſe majorem in diſtincta Reſurrectionis annunciatione ei ſeparatim facienda. Hanc autem majoritatem promptè recognoſcens Joannes, dum unà cum Petro vadit ad Monumentum, præcucurrit quidem citiùs Petro, nec tamen introivit, ſed expectavit, ut Petrus intraret primus. Ne autem Petrus deſperet ex negatione, ab Angelo vocatur ex nomine, ut ſciat ſibi culpam fuiſſe remiſſam, & in gratiam reſtitutum. Nec tamen Chriſtus per annunciationem ſuæ Reſurrectionis, Mariæ Magdalenæ diſtinctè ab Angelo intimatam, & à Magdalena fideliter executam, voluit Petro ſatis fuiſſe: nam ſe manifeſtavit ei ad Mare Tiberiadis, ſeu Mare Galileæ, ſive Stagnum Geneſareth: & dum inutiliter tota nocte laborantes in exercitio Piſcationis, nihil cœperant, dicente tamen Chriſto: *Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis*, fidelis Petrus, nihil 827

hil

hil hæſitans, promptè reſpondit : *In Nomine tuo laxabo rete* : Unde ejus fides grande vidit Miraculum in captione Piſcium, tum propter eorum multitudinem & magnitudinem, tùm etiam propter retis ſubſiſtentiam licet nimio pondere gravatæ.

Sed poſtmodum ipſe Chriſtus trinæ Petri ne- 828
gationi voluit oppoſitam trinam amoris confeſſionem: & ideò ter ei dixit : *Petre, amas me?* ut accepto trino reſponſo : *Tu ſcis, quia amo te*, conſignaret Oves: *Paſce Oves meas*; & Petrus ſumeret illam poteſtatem Pontificiam, quam ei promiſerat, quando dixit : *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Et revera, abeunte in Cœlum Chriſto, ipſo Die adventus Spiritus Sancti, cæpit Petrus adminiſtrationem Summi Pontificatus, primumque ejus mandatum fuit Baptiſmatis collatio, nam *juſſit eos baptizari in Nomine Domini Jeſu Chriſti*. Primùm etiam convocavit Concilium, ad quod intervenit turba hominum ſimul ferè centum viginti. Exurgens ergo Petrus tanquam Caput, gravi oratione expoſuit Fratribus cauſam illius Convocationis, & eruditè firmavit orationem ſenſibus ſcripturalibus: oſtendens neceſſitatem implendi numerum duodenarium Apoſtolorum à Chriſto inſtitutum. Deinde ſtatuentes duos, Barſabam & Mathiam, priùſque invocato Dei auxilio in re tanti momenti, devenerunt per miſſionem ſortium ad electionem novi Apoſtoli : *& ſors cecidit ſuper Mathiam : & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.*

Hoc quoque in Petro notandum eſt, quod qui 829
timidus defecit à fide in Atrio Caiphæ, animoſus extitit in fide coram Populo : ſiquidem ſanato ad ſpecioſam portam Templi illo cognito Claudo, turbæ accurrenti & ſtupenti ſine timore reſpondit : *Quid miramini in hoc? Deus glorificavit Filium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati : Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis*. Nec in hoc tantùm ſtat animus Petri, nam deinde repletus Spiritu Sancto, ſtans

in medio totius Concilii, & interrogatus, in qua virtute, aut in quo nomine ſanatus fuit dictus Claudus, imperterritus dixit: *Principes Populi, & Seniores, audite: In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte ſtat coram vobis ſanus.* Unde Petrus, qui ante adventum Spiritus Sancti pavidus erat, poſt adventum illius Spiritus fuit animoſus: Et ideo S. Gregorius *homil.* 30. *in Evang.* ſic ad rem habet: *Quales namque Doctores Sancta Eccleſia ante adventum hujus Spiritus fuerint, ſcimus: & poſt adventum illius, cujus fortitudinis facti ſint conſpicimus.*

Attamen, Petre, poſt tot tantaſque operationes ad favorem Eccleſiæ à te inceſſanter patratas, tempus venit, venit tempus retributionis à te confidenter requiſitæ, & tibi à Chriſto conſtanter promiſſæ, quando ei dixiſti: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis?* Sed antequàm martyrium ſubeas, expecta parumper, donec videas novum Miraculum: nam Herodes, *qui occidit Jacobum Fratrem Joannis gladio*, vult etiam per necem tuam placere Judæis: Te igitur ad hoc comprehendit, & mittit in carcerem, volens poſt Paſcha producere te Populo. Et Petrus quidem ſervatur in carcere: ſed vide, Lector, quàm proſit oratio multorum, nam *dum oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo*, Angelus Domini aſtat, & Petrum excitat dormientem inter duos milites, vinctum catenis duabus, quæ ſtatim cadunt de manibus ejus: tranſeunt primam & ſecundam cuſtodiam, porta ferrea ultrò eis aperitur, diſcedit Angelus, & Petrus liber fatetur Miraculum. Vadit ad Diſcipulos ſtupore correptos, eiſque narrato modo miraculoſæ liberationis, ſecretè ſe confert ad alium locum: Herode interim deluſo, & fruſtra à militibus & cuſtodibus quomodo res ſe habeat requirente, imò paulò poſt ſui ſceleris luente pœnam, occiſo ab Angelo. 830

Deus autem eripuit Petrum de manu Herodis, & de 831

& de omni expectatione Plebis Judæorum, quis adhuc eſt neceſſarius Eccleſiæ ſuæ, ut iterum converſus confirmet Fratres. Confirma igitur, Petre, confirma viva voce, confirma exemplo, confirma ſcriptis. Explica Viſionem, quam vidiſti in Monte ſancto Galileæ, quem valde excelſum aſcendiſti cum Jacobo & Joanne: excelſum, inquam, jure ab Evangeliſta vocatum, altitudinis ſcilicet triginta ſtadiorum, ſeu quatuor ferè milliarium Italicorum, teſte Joſepho *lib. 4. de Bello, cap. 2.* Explica Viſionem illam, quam non potuiſti ante Chriſti Reſurrectionem revelare ex præcepto Magiſtri tui. Dic ergo, quia vidiſti gloriam, quæ videri poteſt oculis corporeis: ingentem ſcilicet ſplendorem, quo facies Chriſti reſplenduit ſicut ſól, licèt in illa transfiguratione tibi non oſtenderit ſuam Divinitatem, ſicuti eam oſtendit Sanctis in Cœlo. Dic etiam, quia non cognoviſti naturaliter illos duos Prophetas, in quorum medio erat Chriſtus, ſed ſupernaturaliter vocaſti eos nomine proprio Moyſis & Eliæ. Dic denique, quòd deſiderium illud tuum, ut ibi fierent tria tabernacula, non reſpiciebat te, nec duós Socios tuos, ſed tantùm permanentiam in Viſione, ut diù perſiſteret gloria, in quam tamen intrare non poteras, niſi per vincula & carceres, per paſſionem & crucem: & ideò adhuc te loquente, ecce nubes lucida obumbravit vos: & ſic Petrus vix dixit; quòd nubes contradixit.

Diſcedit ergo Jeroſolyma Petrus, pluresque perluſtrat Regiones, ubique prædicans regnum 832
Dei. Romam ſe confert, ibique approbat Evangelium à Marco conſcriptum, illudque ſua auctoritate tradit Eccleſiæ legendum. Inde Roma egreſſus, contendit Antiochiam, fundat ibi ſuam primam Sedem, & poſt multum temporis redit iterum Romam, ubi Nero ab Idolorum Sacerdotibus, Civibuſque Romanis impulſus, juſſit carceri tradendos Petrum & Paulum. Facilè tamen fuit Neroni inſcium Paulum invenire: non ita

facile reperire Petrum, qui à Diſcipulis admonitus, & rogatus ut fugeret, fugiit quidem, ſed non libenter, dicens ſibi eripi occaſionem martyrii. Fugiit tamen, forſan, quia audiverat à Magiſtro ſuo Chriſto: *Cùm perſequentur vos in una Civitate, fugite in aliam:* quia & ipſe Chriſtus fecit quod docuit, nam non ſemel ſe abſcondit, & inſidias declinavit: Et hoc poſtmodum fecere plures ſancti homines, nolentes ſe ſtatim tradere inſidiantibus, ſed in ſolitudinibus errantes, & in ſpeluncis, & in cavernis terræ latentes, expectarunt, donec definitum mortis tempus adveniret, ut obſervat S. Athanaſius, qui & ipſe quæſitus ab Arianis ad necem, in ſicca ciſterna quinque annis ſe abdidit, deinde per quatuor menſes in Paterno Sepulchro delituit.

Egreſſus tamen Roma fugiebat Petrus, ſed cùm ad portam Urbis perveniſſet, in Chriſtum clara apparitione ſibi occurrentem incidit: illum verò quonam tenderet, interrogans, reſpondentem audiit: *Vado Romam iterum crucifigi*: ita Ambroſius *ſerm.* 69. Origenes *G. L. in Joan. tom.* 2. *pag.* 198. & 298. Gregorius Magnus *ſerm.* 8. *in Pſalm.* 101. Horum verborum ſenſum illicò aſſequutus Petrus, mortem ſibi pro Deo citiſſimè obeundam intellexit. Redivit itaque obedientiſſimus, viſitatiſque Diſcipulis & in fide confirmatis, ſcripſit ſecundam Epiſtolam, in qua dictæ Viſioni ſibi factæ ad januam Urbis alludens, dicit: *Juſtum autem arbitror, quamdiù ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione: certus, quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus Noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.* Mox ab Ethnicis comprehenſus, poſt toleratum novem menſibus carcerem à Nerone morte condemnatur, ut habet Calmet *in Sacr. Script. tom.* 2. *Prolegom. in* 2. *Petri, pag. mihi* 310. *juxta edit. Venet.* 833

Vade ergo nunc, Petre, vade ad Montem Aureum, ibique ſubi Martyrium, quo Nero vult imperium complere & terminare, iſte etenim eſt annus decimuſtertius imperii ſui & ultimus. Vade, 834

de, inquam, & in via reperies Paulum vinctum, prius flagellis cæſum, & modò gladio feriendum ante Portam Oſtienſem Urbis, accipe ejus amplexus, ac oſculum pacis, eique ſimiliter redde, & invicem vos ſalutationibus honorate, deinde vos dividite. Vos igitur eſtis duæ Victimæ in prima Neronis perſecutione mactandæ, & Chriſto Magiſtro veſtro offerendæ. Fuit Neronis ſententia, ut Petrus Cruci affigeretur, ſed fuit Petri humilitas, ut capite ad terram verſo Crucis tormentum ſubiret. Credibile tamen eſt, ut viſa Cruce, dixerit cum Andrea Fratre tuo: *O bona Crux, accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Cum Paulo tamen hanc fecit Nero humanitatem, ut tanquàm Civis Romanus gladio feriretur: quod mortis genus prædixiſſe creditur, quando in ſua Epiſtola ad Romanos dixit: *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? An Perſecutio, an Gladius.* Dum autem Carnifex erat Paulo caput obtruncaturus, ipſe ſumma devotione illud Nomen Jeſus invocavit, quod portavit coram Gentibus, & Regibus, & Filiis Iſrael: & quod quinquies centies nominat in ſuis Epiſtolis. Aliqui etiam affirmant commendaſſe etiam animam ſuam illis verbis: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.*

Obiit Petrus anno ſalutis ſexageſimo nono, ætatis vero ſuæ. .. Pontificatus autem vigeſimo quinto. 835
Paulus tamen obiit anno à ſui converſione trigeſimo quarto, ætatis ſuæ ſexageſimo octavo: Ille, inquam, Paulus, qui dum pergebat Damaſcum tanquàm Saulus, gaudens de acceptis Litteris cum plena poteſtate ſæviendi in Chriſtianos, ei apparuit Jeſus in loco Civitati proximo, ut ibi deponeret ſævitiam, ubi anhelabat cædem. Cadit in terram, ut cum eo cadat voluntas crudeliter agendi. Audit Jeſum ſibi dicentem: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Incipit Saulus cognoſcere malum quod fecit, & erat in proximo factus: interrogat tamen: *Quis es, Domine?* Sed in illa in-

terrogatione audit priùs interiùs quàm exteriùs, *Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris.* Et ideo cum promptitudine ſui liberi arbitrii vult ſcire: *Quid me vis facere?* Iniquitatem enim ſuam cognoſcebat, & tremor proveniebat ex cognitione erroris ſui. Ingreditur Damaſcum, inſtruendus, non ampliùs litteras executurus. Sed Saulus intrat cæcus Civitatem, quia non videt quid facere debeat. Inſtruitur tamen ab Anania, viſum recipit, ſurgens baptizatur, ac Spiritu Sancto repletur. Ecce itaque vas electionis, ut portet Nomen Jeſu coram Gentibus, & Regibus, & Filiis Iſrael. Ecce Doctor Gentium, ut continuo in Synagogis prædicet Jeſum, *quoniam hic eſt Filius Dei.*

Gratus Deo, charus Petro, dilectus Epiſcopis, 836
nam dum à Mileto mittebat Epheſum, ab Epiſcopis, quos ad hoc Paulus vocavit, *magnus fletus factus eſt omnium, & procumbentes ſuper collum ejus, oſculabantur eum, dolentes maximè in verbo quod dixerat, quoniam ampliùs faciem ejus non eſſent viſuri.* Quas autem obtinuit litteras perſecutionis, convertit in Epiſtolas Catholicas Spiritu Sancto refertas, quibus & egregiè docet, & optimè confirmat in fide. Quanta autem bona attulerit Eccleſiæ Dei, declarat Lucas in Actibus Apoſtolorum. Quantæ verò fuerint ejus peregrinationes, quantas habuerit perſecutiones, quantas ſuſtinuerit ærumnas, & ipſe deſcribit in ſuis Epiſtolis, & Sancti Patres enarrant. Ut autem ſciamus, quia tentationes proveniunt etiam ab hominibus à Diabolo tamen tentatis ut tentent, convocatis Majoribus natu Eccleſiæ, id eſt, Epiſcopis, inter aliâ eis dixit, quod ipſe fuit *ſerviens Domino, cum humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Judæorum.* Inſtruxit quoque eodem tempore in utraque vita: contemplativa ſcilicet & activa: ſiquidem quoad contemplativam, poſitis genibus ſuis, oravit cum omnibus illis, utraque oratione, vocali & mentali: & quoad activam, dixit eis: *Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſi-*

cut

eut ipſi ſcitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ: & ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos. Hic autem Pauli textus adeò placuit Sanctis Patribus, ut eo utantur ad inſtruendum in vita activa, & præſertim Venerabilis Beda *lib.* 4. *cap.* 54. *in Luc.* 12. ubi ad rem integrum adducit dictum Pauli textum: ſed & *in* 1. *ad Theſſalonicen. cap.* 4. iterum inſtruit in vita activa, dicens. *Rogamus autem vos Fratres, ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis.*

Fuit autem Paulus fortis animi in ſui defenſione, & Legis, nam accuſatus coram Felice Præſide, tanquam homo concitans ſeditionem omnibus Judæis in univerſo Orbe, & tanquàm Auctor inventus ſeditionis Sectæ Nazaræorum, reſpondit intrepidè, quòd neque in Templo invenerunt eum cum aliquò diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neque in Synagogis, neque in Civitate, neque probare poterant Præſidi, de quibus eum accuſabant. Addidit etiam, quòd ſic deſerviebat Patri & Deo ſuo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt: ſpem habens in Deum, quam & ipſi accuſatores expectabant, reſurrectionem futuram juſtorum & iniquorum, de qua eo die judicabatur ab illis. His optimè & conſtanter dictis, Felix Præſes interim quidem juſſit Centurioni cuſtodire eum, ſed tamen voluit habere requiem, nec quemquam de ſuis prohiberi miniſtrare ei. Poſt aliquot autem dies vocavit Felix Paulum, & audivit eum diſputantem de Juſtitia, & caſtitate, & de judicio futuro: quibus auditis, dimiſit eum, tempore opportuno eum accerſurus. Sed accepto poſtmodum ſucceſſore Felix Portio Feſto, volens gratiam præſtare Judæis, reliquit Paulum vinctum. Sedens autem Feſtus pro tribunali, juſſit Paulum adduci, qui objicientibus Judæis multas & graves cauſas non tamen probatas, ut ſolent malevoli dicere & non probare, rationem Paulus reddidit, quòd neque in Legem Judæorum, ne- 837

que

que in Templum, neque in Cæſarem aliquid peccavit.

Feſtus verè tunc interogavit Paulum, an vellet ex Cæſarea, ubi erat, deſcendere Jeroſolymam, & ibi de illis judicari apud ſe. Paulus autem animosè reſpondit: *Ad Tribunal Cæſaris ſto: ibi me oportet judicari, Cæſarem appello.* Tunc Feſtus cum Concilio locutus, dixit: *Cæſarem appellaſti: ad Cæſarem ibis.* Sed neſciens Præſes quid eſſet ſcripturus Cæſari cum Paulo vincto, rem narrat Agrippæ Regi, qui & ipſe, audito Paulo, dixit Feſto: *Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.* Paulus itaque à Centurione ducitur Romam versùs, ſed dum navi in Italiam navigaret, contrarius ventus duxit eam in Inſulam Melitam, ubi Paulus à vipera invaſus in manu, excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt, propter fidem in verba Chriſti dicentis: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones*: quem Evangelii textum ad litteram rectiſſimè accipiendum explanat Beda *in Luc.* 10. *capitul.* 42. ubi exemplificat in hac miraculoſa Pauli ſanatione à morſu viperæ, dicens: *Siquidem & Paulus à vipera invaſus, nihil adverſi patitur.* In hac Inſula Melita & Publicum ſanavit febribus vexatum, & multos ibi infirmos ad eum accedentes curavit Sed & dilectus fuit Paulus ipſis Barbaris: ſiquidem ex imminente & quaſi ſecuto naufragio dictam Inſulam Melitam appulſus, illi ad eum acceſſerunt, affabiliter ſunt cum eo locuti, & quæ neceſſaria erant, libenter ſubminiſtrarunt, ac viſo miraculo ſubitæ ſanationis a morſu viperæ, eum prædicarunt ſanctum. 838

Longo tamen completo itinere, Romam tandem pervenit Paulus, cui permiſſum fuit ſibimet manere cum cuſtodiente eum milite. Manſit autem biennio toto in ſuo conducto: & in hoſpitio tanquàm in carcere ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto, cum 839

omni

omni fiducia, & ſine prohibitione. Completis verò illis duobus annis, liberatus fuit ab illo carcere, ut Aliqui aſſerunt, ab Ænnæo Seneca Neronis Magiſtro, & amiciſſimo Pauli. Nec mirum eſt ſi hoc verè tali medio ſucceſſit: ſiquidem vir eruditiſſimus Seneca poterat eſſe in amicitiam conjunctiſſimus cum Paulo viro doctiſſimo, qui Præceptorem habuit Gamalielem omnibus numeris in omni ſcientia abſolutiſſimum. Erat etiam Paulus affabilis, candidus facie, oculis gratioſus, ut habet Nicephorus *libr.* 2. *capitul.* 37. ſublimis ingenio, & Spiritus Sanctus erat in illo, & ſicuti benè loquebatur, ſic audiebatur libenter, & loquendo placebat. Egreſſus autem ab illo hoſpitio ſeu carcere, liber fuit per octo annos; ſed quid egerit toto illo tempore, profectò neſcitur. Non eſt tamen veriſimile, quòd qui ſemper benè tempus expendit, vixerit tot annis otioſus, ut S. Hieronymus ſuper Prophetiam Amos, commendando dicit, quòd Paulus Apoſtolus adinſtar nubis aqua repletæ, totam volebat irrigare Eccleſiam Dei. Multi tamen Sancti Patres affirmant tunc contendiſſe in Hiſpaniam: & Simeon Metaphraſtes aliqua narrat, quæ fecit Paulus in Hiſpania.

Redivit tandem Romam Paulus noſter anno ultimo, nempè decimotertio imperii Neronis, 849
ubi tunc adhuc liber morabatur S. Petrus, qui cùm nonnullos ad fidem ſuis efficacibus & Spiritu Sancto plenis Concionibus convertiſſet, Sacerdotes & Miniſtri Templorum Gentilium (ut ſupra diximus) conqueſti ſunt apud Imperatorem, quòd niſi punirentur præcipui Chriſtianorum, Petrus ſcilicèt & Paulus, totum imperium erat quamprimùm labefacturum. Sed & Cives Romani lamentati ſunt, dicentes, quòd eorum Uxores, accepto ab illis duobus regenerationis lavacro, volebant ampliùs eorum commercium. Unde Nerò his facilè permotus eſt, tamquam ille, cui ſemper cupido effuſionis ſanguinis facilis erat ſuaſio carcerationis. Juſſit ergo ſtatim, Petrum

& Pau-

& Paulum in carcerem detrudi, ſecutis deinde, quæ jam ſuperiùs narravimus. Carcer verò, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli vinculis conſecratus, fuit Mamertinus, apud nonnullos Auctores ſacros famoſus, ex quo erumpente mirabiliter aqua ex petra (& adhuc durat) baptizati fuerunt à S. Petro Proceſſus & Martinianus, cum aliis quadraginta ſeptem, qui omnes Neroniano gladio conſumpti ſunt, de quibus Martyrologium Romanum ſub die decimaquarta Martii, & ſecunda Julii.

Tu igitur, PETRE, Cœli Claviger, aperi 841
mihi intellectum: & tu, PAULE, Doctor Gentium, talem præbe mentis dilucidationem, ut & veſtram Solemnitatem, totamque veſtram Octavam per Orbem Catholicum jam diffuſam valeam ea, qua par eſt, diligentia, pertractare, inhærendo ſemper Rubricis Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ. Hac igitur facta Apoſtolicæ aſſiſtentiæ invocatione, auxilioque glorioſorum Principum Terræ humillimè implorato, fiducialiter incipiamus.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.

FEſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli po- 842
nitur à Piſcara inter duplicia quidem primæ claſſis, ſed de tertio ordine, juxta ſuam diviſionem in Cæremoniali propriæ Religionis *lib. 3. capitul. 27. ſub numer. 13. pagin. mihi 212.*

bi 212. Ego autem plurimi facio hanc Solemnitatem totamque ejus Octavam: ſiquidem iſti duo in tota Eccleſia nuncupantur *glorioſi Principes Terræ*: unde & de eis canitur: *O Roma felix, quæ duorum Principum es conſecrata glorioſo ſanguine*: Unus quidem Princeps per auctoritatem, alter verò per doctrinam: Ille Summus Sacerdos, iſte Doctor Gentium: & ambo *docuerunt nos Legem tuam, Domine*. Defenſores totius Orbis Catholici, præſertim verò Metropolis Eccleſiaſticæ, quorum Patrocinium pluries Roma ſenſit: ac de viſibili eorum aſſiſtentia adhuc recordatur Mincius, ubi in Padum influit: ſiquidem anno quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, quinto à Partu Virginis ſæculo, dum Attila iniquiſſimus Hunnorum Rex, & Flagellum Dei nuncupatus, fluvium erat trajecturus cum potenti exercitu, Romam perditurus cum toto ejus imperio: Leo hujus nominis Primus, malorum Italiæ impendentium miſericordia permotus, Attilæ occurrit Pontificaliter indutus cum exercitu Cleri, divina eloquentia ſuadens ut regrederetur. Et quia exempla ſunt valde excitativa ad optimi finis conſecutionem, oſtendit eruditiſſimus Pontifex Alaricum tanquàm præſentem, qui capta Roma, ſtatim divino judicio mortuus eſt. Obedivit Attila, ſed interrogatus a ſuis, quid eſſet, quòd præter conſuetudinem tam humiliter Romani Pontificis imperata fecerat, reſpondit, quòd Leone loquente, duos vidit aſtantes viros, nudos enſes in manibus geſtantes, & mortem illicò ſecuturam minitantes, niſi Pontifici obtemperaret. Hos autem duos fuiſſe Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum ſuæ Urbis defenſores, judicatum eſt, ut plures referunt, & inter eos Platina in *Vita hujus Pontificis*, ac egomet dixi in Vita Attilæ Italicè tertio ætatis luſtro à me conſcripta. Quia verò ſimili modo Attila ceſſit etiam antea eloquentiæ S. Lupi in Gallia, Emmanuel Theſaurus in ſuo Italico Libro, cui titulus *il Regno d' Italia ſotto i Barbari*, ſic pulchrè ait: *Qui antea*

timuit

timuit ululatum Lupi, formidavit poſtmodùm rugitum Leonis: pluſque ad cohibendum Attilam valuerunt nomina Ferarum, quàm hoſtium armata manus. Sic operatur Deus in gratiam ſuæ Eccleſiæ Dum autem Attila evertebat à fundamentis nobiliores Italiæ Urbes, ex earum cinere ſurrexit miraculum Orbis pulcherrima Civitas Venetiarum. Extat ſermo ejuſdem S. Leonis Papæ, quo demonſtrat hac Octavarum die anniverſaria repetita, Populum convenire conſueviſſe ad perſolvendas gratias pro liberata Urbe à furore Attilæ: quod ibi S. Leo non obſcurè ſignificare videtur, ut habet *Baronius in notation. ad Martyrolog. Roman. ſub die 6. Julii*.

Hoc tamen Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli habet præcedentem Vigiliam, & quidem cum Jejunio. Illam verò noctem Vigiliarum Apoſtolorum *venerabilem* appellat Valentinianus Imperator in Epiſtola ad Theodoſium Auguſtum, juxta citatum Baronium *in dd. notation. ſub die* 28. *Junii*. Ex eo autem, quòd hodie in Martyrologio ponitur primo loco hæc Vigilia, & poſtmodum Feſtum Univerſale S. Leonis Papæ hujus nominis Secundi, infert Guyetus *in Heortologia libr.* 2. *ſect.* 1. *capitul.* 5. *quæſt.* 4. *verſ. Primò, pagin.* 126. *juxta edit. Venet.* quòd ſi alicubi hodie occurrat quodvis aliud Feſtum utcunque ſolemne, priùs pronuncianda ſit Vigilia, deinde illud Feſtum ſpeciale: quòd ſicuti mihi ſatis probatur, ſic non eſſe omninò ab hac opinione recedendum cenſeo, quia priùs debemus annunciare pœnitentiam, ut per ipſam deveniamus contriti ad celebrandum Feſtum etiam ſecundò loco pronunciandum in ipſo Martyrologio. Unum tamen proculdubio eſt verum, quòd quemadmodum ſi transferatur Feſtum, non poſtponitur Vigilia, ita ſi anticipetur in Sabbato ratione Dominicæ occurrentis, ipſa Vigilia non anticipatur in Lectione Martyrologica, ſed in utroque caſu annunciatur ea die, qua occurrit. Eo autem anno, quo in diem vigeſimam octavam Junii incidit Dominica, 843

trans-

tranſlato poſt totam Octavam Apoſtolorum Feſto ſemiduplici S. Leonis, fit Officium de Dominica, ut in Pſalterio, & in proprio illius Dominicæ, cum commemoratione in Laudibus de quinta Die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, cujus ratione color erit albus: & ad Primam dicetur Pſalmus *Confitemini*, & Symbolum *Quicunque*, omiſſis tamen Precibus Dominicalibus.

Cæterum hæc Vigilia nunquam poteſt celebrari in Officio feriali: ſiquidem eâ die, qua occurrit, fit de S. Leone ſub ritu ſemiduplici: & eo anno, quo transfertur in Sabbatum præcedens, fit de quarta Die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ in Eccleſia Univerſali: & ideò integrum Vigiliæ Officium eſt in utroque caſu impeditum. Ea tamen die, in qua revera venit eadem Vigilia, ad Matutinum de S. Leone dicitur nona Lectio de ea, & fit quidem ejus commemoratio in Laudibus, ſed priùs de S. Joanne Baptiſta. Idem ſervetur in anticipatione ejuſdem Vigiliæ ad Matutinum de Octava S. Joannis, ſed in Laudibus nulla alia fiet commemoratio, niſi de ipſa Vigilia, dummodo ſimul non occurrat vel aliqua Dies infra Octavam digniorem, aut alicubi minùs dignam: nam ſi fiat de Octava SS. Corporis Chriſti, ſicuti Officium principaliter erit de ea, ſic recitata ad Matutinum nona Lectione Vigiliæ, in Laudibus fiet priùs commemoratio de S. Joanne, deinde de ipſa Vigilia. At ſi alicubi in diem vigeſimam octavam incidat Dies infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ, in Feſto S. Leonis fit priùs in Laudibus commemoratio de S. Joanne, deinde de Dedicatione, & tertio loco de Vigilia & multo magis ſi occurrat alia Octava, ut Tridenti de S. Vigilio, Regii in Ducatu Mutinenſi de S. Proſpero, Auguſtæ Taurinorum de S. Maximo, poſt orationem S. Joannis Baptiſtæ fit commemoratio alterius Octavæ, deinde Vigiliæ. Quòd ſi eo die, quo fit de Vigilia ſive occurrente ſive anticipata, veniat vel Dies infra Octavam SS. Corporis Chriſti, vel ipſa Dies Octava, 844

ad

ad Matutinum de ea videtur decere; ut de octava & nona Lectione illius Officii fiat una, ne omittatur, ſi fieri poteſt, aliqua Lectio illius Octavæ privilegiatæ, nam ad hoc omittitur nona Lectio de Feſto Simplici, quando occurrit infra eandem Octavam, ut diximus *tom.* 1. *capit.* 5. *de Dieb. infra d. Oct.*

543 Attamen ſive occurrat Vigilia in propria die vigeſima octava Junii, ſive anticipatè celebretur die præcedenti in Sabbato ratione Dominicæ, ſi in uno vel altero reſpectivè die alicubi fiat de Feſto dupliči primæ claſſis, ſervato ea die Jejunio, nihil fit de Vigilia vigore Rubricæ Generalis Breviarii *de Vigil. titul.* 6. *ſub numer.* 2. nec anticipatur Jejunium ratione Solemnitatis, niſi habeatur ſpeciale Indultum Apoſtolicum: nam hoc privilegium eſt ſolius Feſti SS. Corporis Chriſti, quando incidit in Vigiliam S. Joannis Baptiſtæ, ut extenſa Conſtitutione Urbana ad hoc emanata, ſatis ſuperque dictum fuit *tomo primo, capitul.* 5. Illud tamen eſt ad rem adnotandum quòd licèt de Vigilia nihil ſit agendum in Feſto duplici primæ claſſis, ſed eſt prorsùs omittenda: ſi tamen dictum Feſtum occurrat in Dominica, intrat alia Rubrica Breviarii præcipiens anticipationem Vigiliæ in Sabbato præcedenti; & ſic ipſa Vigilia, quæ vigore unius Rubricæ in caſu propoſito deperditur, vigore alterius Rubricæ anticipatur, licèt aliquibus annis nihil fiat de ea. Ad Primam die vigeſima Octava Junii, ſive Officium ſit de S. Leone, ſive de Octava SS. Corporis Chriſti, ſive alicubi de aliquo Feſto duplici, in Lectione Martyrologica dicitur primo loco Elogium SS. Apoſtolorum, ſed ſi in aliqua Eccleſia occurrat in eodem Feſto propria Dedicatio, ut ejus occurrentiam inferiùs oſtendemus, erit primo loco annuncianda ipſa Dedicatio dicendo, *Dedicatio Eccleſiæ*, *N.* expreſſo nomine Loci, ſi fuerit Cathedralis: vel *Dedicatio hujus Eccleſiæ*, ſi ſit particularis, deinde ſecundo loco *Romæ natalis SS. Apoſtolorum Petri & Pauli*, licèt

eorum

eorum Feſtum transferatur, juxta regulam quartam Martyrologii, quæ primo loco tradit Elogium Feſti eo die celebrandi, occurrentis tamen, non verò tranſlati.

§. II.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Miſſa de Vigilia Apoſtolorum die vigeſima 846
octava Junii, non dicitur privatim tanquam Miſſa de Die, ſed dicitur de S. Leone Papa hujus nominis Secundo. In hac Miſſa de Feſto occurrente *poſt Gloria in excelſis*, dicitur ſecunda Oratio de Octava S. Joannis Baptiſtæ, & tertia de Vigilia, niſi alicubi occurrat alia Dies infra Octavam ſpecialem, quæ idcircò erit commemoranda in hac Miſſa poſt commemorationem S. Joannis, ut ſupra diximus in Laudibus. Non erit tamen dicendum *Credo*, quia Octava S. Joannis illud non admittit: dicetur tamen ubi occurrit alia Octava licèt minùs digna Octavâ S. Joannis, Præfatio verò erit Communis, niſi alicubi occurreret Octava quæ propriam haberet Præfationem, & in fine Miſſæ legitur Evangelium Vigiliæ. In Cathedralibus autem & Collegiatis Eccleſiis cantantur hodie duæ Miſſæ: una de Feſto S. Leonis poſt Tertiam in colore albo, in qua dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione S. Joannis, & tertia *Concede*, vel alicubi de alia Octavâ, ſine tamen *Credo*, vel cum eo, ubi alia Octava illud requirat. Altera verò Miſ-

ſa erit de Vigilia poſt Nonam in colore violaceo, ſine *Gloria*, cum ſecunda Oratione *Concede*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*: in neutra tamen earum, ut ſupra vidimus, fit commemoratio alterius, cum Præfatione tamen communi, & in utriuſque fine legitur Evangelium S. Joannis. De dicta verò duarum Miſſarum decantatione, duæ habentur Rubricæ, una quidem generalis *de Fer. & Vigil. titul. 3. ſub numer. 1.* altera autem ſpecialis *ante Feſtum S. Leonis*. Quotieſcunque tamen cantandæ ſunt duæ Miſſæ vigore Rubricæ, ambæ ſunt à Celebrantibus applicandæ, quacunque contraria conſuetudine non obſtante, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in una Burgi S. Donnini, ad 6. Dub. ſub die 16. Maii de anno 1716.* apud Braſchium *in Promptuario Synodali, capitul. 80. ſub numer. 9.* ubi addit, quòd hæc Reſolutio, unà cum aliis ad hanc rem antea emanatis, legitur *in Synodo Fulginaten. de Anno 1722. cap. 3. ſub num. 12.*

Quòd ſi die vigeſima octava Junii veniat Dominica, Miſſa dicitur de ea, prout recurrerit quoad numerum poſt Pentecoſten, & quidem in colore albo ratione Octavæ S. Joannis Baptiſtæ, cum *Gloria*, & cum ſecunda Oratione tantùm de dicta Octava S. Joannis, juxta Rubricam *de Oration. titul. 9. ſub numer. 10.* quæ tamen Rubrica, ſicuti non ſupponit aliam commemorationem faciendam, ſic admittit, ſi alicubi occurrat, veluti de alia Octava, ut Tridenti de S. Vigilio, Regii de S. Proſpero, Auguſtæ Taurinorum de S. Maximo, ut ſupra diximus in Laudibus. In dicto verò caſu Dominicæ die vigeſima octava occurrentis, quemadmodum Vigilia transferenda eſt in Sabbatum immediatè præcedens, vigore Rubricæ generalis *de Fer. & Vigil. titul. 3. ſub numer. 3.* in quo Sabbato fit Officium de quarta Die infra Octavam S. Joannis, ita Miſſa tam ſolemnis quàm privata erit de Vigilia, *ex ead. Rubric. ſub numer. 2.* Dictam autem Rubricam intelligendam eſſe de omnibus & ſingulis Miſſis, 847

ſole-

ſolemnibus & privatis, apertè tenent Piſcara in Cæremoniali ſuç Religionis *lib.* 3. *cap.* 27. *ſub nu.* 12. *in fine pag.* 211. Quartus *in Commentar. ad Rubr. Miſſal. par.* 1. *titul.* 18. *Dub.* 3. *pag.* 116. & Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *capitul.* 5. *quæſt.* 3. *pagin.* 250. Ratio autem dicendi omnes Miſſas de Vigilia in Officio de Die infra Octavam, eſt, quia infra Octavam ſæpè repetitur eadem Miſſa de illo Feſto Octavam habente, & ideò convenit, ut cedat Miſſæ propriæ de Vigilia, quæ ſemel tantùm dicitur: & licèt non ſit conformis Officio, ſed diſcordet ab eo, quia tamen per Rubricam eſt tali diei aſſignata, vocatur Miſſa de Die. Populus etiam, qui frequentiùs ad Miſſam convenire ſolet, quàm ad Officium, monetur & movetur magis ad Jejunium per Miſſam de Vigilia, ut obſervat Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *titul.* 3. *ſub numer.* 2. *lit. l.* Quamvis autem Miſſa de Vigilia in caſu propoſitò dicatur Miſſa de Die, non ideò prohibentur Miſſæ de Octava, ſed ritu Votivo. Fallit verò regula primò in Die Octava cujuſvis Feſti Octavam habentis, nam eo caſu ſi Vigilia celebretur anticipatè in Sabbato, Omnes Miſſæ privatæ dicuntur de Die Octava cum commemoratione S. Joannis Baptiſtæ, & deinde Vigiliæ, de qua legitur Evangelium in fine Miſſæ: ſed in Cathedrali & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ: & hoc clarè docet Rubrica Generalis Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub nu.* 1. Fallit regula ſecundò in Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſi occurrat in hac Vigilia, nam ex Lege ſpeciali Miſſæ privatæ dicuntur de Die infra Octavam cum commemoratione Vigiliæ, ejuſque Evangelio in fine, ſed in Cathedralibus & Collegiatis cantantur itidem duæ Miſſæ, ut habet *eadem Rubrica, ſub num.* 2.

Cæterùm in Miſſa ſive ſolemni ſive privata de Vigilia, tranſlata in Sabbatum ratione Dominicæ, in quo Sabbato Officium eſt de quarta Die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, adhibetur color Violaceus, nec ideò dicitur *Gloria*, ſed ſe- 848

cunda Oratio erit de S. Joanne, & tertia de S. Paulino, niſi alicubi occurrat alia Dies infra Octavam, nam tunc tertia Oratio dicetur de Octava ſpeciali, & quarta de ſimplici, nec ratione alterius Octavę erit dicendum *Credo*. Præfatio verò erit communis, quacunque occurrente alia Octava propriam forſan habente Præfationem, ut in terminis hujus Vigiliæ SS. Apoſtolorum occurrentis infra Octavam SS. Corporis Chriſti adnotat Gavantus *tom. 1. par. 1. titul. 12. ſub numer. 2. lit. e.* Attamen priſcis Eccleſiæ temporibus recitabatur in Miſſa hujus Vigiliæ Præfatio propria, quę deſumpta ex Libro Sacramentorum S. Gregorii *Oper. tom. 3. pagin. 111.* erat ſequens, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Apud quem tùm Beatorum Apoſtolorum continuata Feſtivitas, triumphique cœleſtis perpetua & æterna ſit Celebritas, nobis tamen eorum Feſta annuis recurſibus tribuis frequentare: Ut & illorum paſſioni ſit veneratio ex noſtra devotione, & nobis auxilium proveniat de eorum ſanctiſſima interceſſione, Per &c.* Ambroſiani autem recitant etiam noſtris temporibus in hodierna Miſſa de occurrente Vigilia quandam Præfationem, quæ partim convenit cum Gregoriana ſuperiùs extenſa, partim verò differt ab illa. Itaque ad eruditionem Eccleſiaſtici Lectoris, de cujus ſacra curioſitate nihil prorsùs diffidimus in materia diverſorum Rituum, volumus & hanc Præfationem ex integro ponere, prout revera jacet in eorum Miſſali Mediolani impreſſo: & eſt ſequentibus verbis concepta, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Apud quem licèt beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli continuata Feſtivitas, & æterna Celebritas, atque triumphi cœleſtis perpetuus ſit Natalis: nobis tamen beata confeſſionis initia recolentibus, celebriori tribuis devotione gaudere. Ut annuus honor ſacratiſſimæ paſſionis repenſus, majorem nobis retributio-*

nis

nis gratiam largiatur, per Chriſtum Dominum noſtrum, Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.

Quòd ſi die vigeſima octava Junii occurrat alicubi Feſtum duplex primæ claſſis, Miſſa dicitur de eo, non ſolùm ſine commemoratione de Octava S. Joannis Baptiſtæ, ſed neque de ipſa Vigilia SS. Apoſtolorum, & conſequenter abſque ejuſdem Vigiliæ Evangelio in fine, juxta Rubricam Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 3. *in fine*. At ſi in dictam diem vigeſimam octavam, in qua forſan ſit de Feſto duplici primæ claſſis occurrente, incidat Dominica, Miſſa quidem dicitur de Feſto, cum ſola commemoratione Dominicæ, & cum ejus Evangelio in fine, ſed Vigilia transfertur in Sabbatum immediatè præcedens, nam quòd excludit & deperdere facit Feſtum duplex primę claſſis, non facit omittere Dominica, ſed anticipare, quia in hujuſmodi caſu non eſt duplex primæ claſſis, quod faciat transferri Vigiliam, ſed ipſa Dominica, & licèt hoc nullam patiatur difficultatem, ex eadem Rubrica *de Fer. & Vigil. ſub numer.* 3. placuit tamen & hoc adnotare, & ideò in Sabbato Miſſa erit de Vigilia, quia Officium ſupponitur de quarta Die infra Octavam S. Joannis, prout eſt in Eccleſia Univerſali. Si verò in Sabbato, in quo ratione Dominicæ anticipatur Vigilia, adhuc occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, adhuc ceſſat Vigilia omninò, ſed non transfertur ulteriùs: & ideò Miſsa erit de illo Feſto, non ſolùm ſine commemoratione Vigiliæ, quæ in hujuſmodi Miſſa nihil prorsùs habet de ſuo, ſed etiam abſque commemoratione S. Joannis. At ſi in propria die Vigiliæ, vel in die anticipationis fiat de Feſto duplici ſecundæ claſſis, in Miſſa privata de Feſto, omiſsa commemoratione S. Joannis, fit commemoratio Vigiliæ, ejuſque Evangelium legitur in fine: ſed in Cathedrali & Collegiatis Eccleſiis cantantur duæ Miſsæ. Commemoratio verò de Vigilia, vel reſpectivè ſecunda Miſsa ſolemnis de ea, dicitur &

celebratur; licèt transferatur Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ratione Feſti dignioris in eo alicubi occurrentis. nam translatio Feſti non facit transferri Vigiliam quæ poteſt quidem anticipari ſi occurrat in Dominica, non autem poſtponi ſi Feſtum ſit transferendum: unde Segniæ in Dalmatia à parte Imperii, quando Dominica quarta poſt Pentecoſten occurrit die vigeſima nona Junii, & conſequenter in eodem Feſto SS. Apoſtolorum, ut in Tabula vigeſima tertia ordinis perpetui, ibi eo die fit de Dedicatione Eccleſię Cathedralis illi Dominicæ affixa: Feſtum verò SS. Apoſtolorum transfertur ad diem tertiam Julii in Feria quinta, quæ eſt Dies quinta infra Octavam eorundem Apoſtolorum, ut ego bis transtuli in Directorio impreſſo illius Civitatis, nempè Anno 1721. ſub Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. D. Nicolao Pohmajevich cui requiem æternam Deus donet piiſſimus: & Anno 1732. ſub Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. D. Joanne Antonio de Benzonis, quem Deus incolumem longævo tempore ſervet: ſed licèt dictum Feſtum habeat translationem quatuor dierum à ſua propria ſede, Vigilia tamen remanet in ſuo loco, nempè die vigeſima octava, & ideò ibi die vigeſima octava in Miſſa de S. Leone facta fuit commemoratio S. Joannis, & Vigiliæ, & in fine lectum Evangelium de eadem Vigilia: ſed in Cathedrali cantatæ fuerunt duæ Miſsæ.

§ III.

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad Veſperas in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Veſperæ in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri 850
& Pauli ſunt integræ de ſequenti, nempè primæ de Feſto eorundem Apoſtolorum, & in eis omnia dicuntur; ut notatur in Breviario, in quo & Hymnus proprius habetur. Inter varios tamen proprios Hymnos, qui in aliquot Galliæ Eccleſiis & Monaſteriis vel recitabantur, vel adhuc hodie recitantur, adeſt ſequens, quem, ſicut alios, ad inſtar Communium auctoritate Urbani Octavi in Breviario Romano recognitorum emendatum, ſic ibi concinendum (obtenta tamen priùs approbatione) deſiderare videtur Guyetus in fine ſuæ Heortologiæ *pagin.* 372. *juxta edit. Venet. de Anno* 1729. poſt Pariſien. de Anno 1657. Itaque.

In Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ad Veſperas.

Fœlix per omnes fulget Orbis cardines
Apoſtolorum clara lux ſolemniis:
Hic Petrus, alter ille Paulus inclytus,
Quos ſtabilivit maximos præ cæteris
Eccleſiarum Chriſtus ipſe Principes.
Hi ſunt Olivæ ſurculi ſtantes duo
Coram potentis ſede celſa Numinis.

Hi ſunt Lucernæ duplici ardentes face:
Hi Solis inſtar, duplicisve Sideris,
Indeſinenti luce colluſtrant Polum.
His eſt poteſtas nubibus ſtrictis viam
Sedes ad altas prorsùs intercludere;
Fas & revulſis poſtium ſeris palàm
Cunctos in arce collocare Cælitum:
Utrique nempè lingua Cæli clavis eſt.
Patri perennis ſit per ævum gloria,
Tibique laudes concinamus inclytas
Æterne Nate: ſit ſuperne Spiritus
Honor tibi, decuſque: Sancta jugiter
Laudetur omne Trinitas per ſæculum. Amen.

Dictæ verò primæ Veſperæ non admittunt commemorationem de præcedenti Feſto ſemiduplici S. Leonis hujus nominis Secundi, neque de Dominica itidem præcedenti ſi occurrat, neque de Octava S. Joannis Baptiſtæ, neque de quavis alia Octava ſpeciali alicubi occurrente, imò neque de Die Octava, ſi in diem vigeſimam octavam Junii forſan incidat, niſi fuerit Dies Octava Sacratiſſimi Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima ſecunda ordinis perpetui. Fit tamen in iiſdem primis Veſperis commemoratio de Die infra Octavam privilegiatam ejuſdem SS. Corporis Chriſti, ſi ſimus infra eam: itidem de Dominica ſimul occurrente in Feſto SS. Apoſtolorum: nec non de Die Octava quacunque ſequenti & ideò incidente in primis ſuis Veſperis in idipſum Feſtum: ſed & de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, de quo factum ſit Officium die vigeſima octava, ſeu in Vigilia. Attamen ſi Feſtum duplex primæ claſſis celebratum dicta die vigeſima octava Junii fuit de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, Veſperæ in una eademque Civitate duplici modo regulari poſſunt & debent, nam apud Clerum Sæcularem in ſecundis Veſperis de Dedicatione fit commemoratio ſequentis Feſti SS. Apoſtolorum, quia Dedicatio eſt duplex primæ claſſis: apud Clerum verò Regularem ejuſdem 851

Urbis

Urbis Veſperę ſunt de ſequenti Feſto SS. Apoſtolorum, cum commemoratione precedentis, quia Dedicatio Cathedralis apud Regulares eſt duplex ſecundę claſſis. At ſi alicubi Feſtum SS. Apoſtolorum ſit transferendum, eo quod in eo occurrat Dedicatio Eccleſię Cathedralis, cujus occurrentiam oſtendimus ſupra in Miſſa, Veſperę in Vigilia erunt primę de eadem Dedicatione, omiſſis vel admiſſis commemorationibus ſuperius enumeratis, ita tamen, ut apud Clerum Regularem fiant primę Veſperę de SS. Apoſtolis, translata ibi Dedicatione Cathedralis, tanquam inferioris ritus: nempè ſecundę claſſis.

In Cathedrali verò Eccleſia Veſperæ ſunt Pontificales, licet SS. Apoſtoli non ſint Civitatis Patroni, neque Eccleſiæ Titulares, nam Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 1. §. 2. pag. mihi* 184. ubi revera ſic habetur expreſsè: *Si Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam die ſequenti celebraturus, Veſperæ ſolemnius peraguntur, quàm ſi non eſſet celebraturus: quod præcipuè in his Vigiliis obſervari ſolet, videlicet, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, &c.* ubi præſcindit à Patronatu & Titulo. Majori autem ratione Veſperæ cantandæ erunt Pontificaliter in Cathedrali Eccleſia, ſi Feſtum SS. Apoſtolorum fuerit Patronale Loci, vel Titulare ipſius Cathedralis, nam in fine illiuſmet paragraphi dictum Cæremoniale loquens de primis Veſperis præcipuorum Feſtorum ab Epiſcopo in ſua Cathedrali ſolemniter peragendis, ita proſequitur: *Sancti Titularis Eccleſiæ, & Patroni Civitatis*. Itaque ubi Sancti Apoſtoli ſunt Titulares Cathedralis, ornanda erit foris & intùs Eccleſia, juxta inferiùs adnotata in ipſo Feſto. Canonici tamen omnes in eorum Canonicali habitu, appropinquante hora, debent ad Epiſcopum accedere, & ex ea Aula, ſeu Cubiculo, quod ad hoc deſtinaverit, ad Eccleſiam progredientem comitari & deducere. Licet autem dictum Cæremoniale Epiſcoporum nominet tantùm Canonicos, etiam Dignitates tenentur aſſociare Epiſcopum ex de-

bito,

bito, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1609. *ſub die* 10. *Januarii*, apud Gavantum à me relatum in Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 319. *pag.* 97. *juxta edit. Patern. de Anno* 1730. & antea dixeram in alia mea Collectione de Canonicis utriuſque Eccleſiæ, *ſub num. margin.* 400. *pag.* 123. *in ſecunda edit.* ac etiam ex me refert Claudius la Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 96. & itidem tradit P. Merati *tom.* 2. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 94.

853 In hiſce tamen primis Veſperis ſolemnibus de SS. Apoſtolis Petro & Paulo, Epiſcopo in craſtinum Pontificaliter celebraturo, Pſalmi decantari debent à Choro, & ab ipſiſmet Canonicis, & Beneficiatis, aliiſque de Capitulo, in tono & cantu Gregoriano, cum gravitate & decore, ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur, ſic præſcribente eodem Cæremoniali: *dicto cap.* 1. §. 8. *pag.* 187. Prædicta omnia ſervanda ſunt etiam in illa Cathedrali, in qua, translato Feſto SS. Apoſtolorum, celebranda ſit Dedicatio ipſius Eccleſiæ: ſiquidem ſæpe memoratum Cæremoniale inter Veſperas ſolemniores ab Epiſcopo celebrandas, includit primas Veſperas de Dedicatione Cathedralis, ut videre eſt *loco ſupra citato*, §. 2. ubi idcircò dicit: *Dedicationis Eccleſiæ*. Et hæc quidem Dedicatio Cathedralis poteſt duplici modo occurrere in dicto Feſto SS. Apoſtolorum, vel tanquam in die vigeſima nona Junii, vel tanquam aliqua Dominica poſt Pentecoſten, ut quando Dominica quarta illius temporis incidit in dictum Feſtum, Segniæ in Dalmatia à parte Imperii occurrit Dedicatio illius Cathedralis, quam bis ſic occurriſſe meis temporibus dixi ſupra circa Miſſam de Vigilia, in fine.

854 Romæ verò, SS. Apoſtoli Petrus & Paulus ſunt præcipui Patroni; & non ſolùm ſunt Protectores illius conſpicuæ Metropolis, & totius Status Eccleſiaſtici, ſed etiam totius Orbis Catholici, in quo idcirco hoc Feſtum ſolemniter celebratur,

bratur, ut obſervat Piſcara *in Prax. Cæremoniar. ſect. 12. cap. 3. ſub num. 9. pag.* 451. Veſperæ igitur in illa Alma Urbe decantantur cum magna ſolemnitate; dante ſigna lætitiæ Caſtello S. Angeli. Itaque Sanctiſſimus Dominus noſter Papa, ſi in craſtinum eſt Pontificaliter celebraturus, ut cæteroquin ſolet celebrare, in hac Vigilia ipſe ſolemnes peragit Veſperas ea ſacra pompa, quæ convenit majeſtati Summi Sacerdotis, qui Vicarius eſt Chriſti, & Caput Univerſalis Eccleſiæ. Hic, acceptis in loco conſueto pretioſioribus paramentis rubri coloris, deſcendit ad Baſilicam S. Petri, comitatus à D. D. Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Protonotariis, aliiſque ſimul plurimis, qui de more ſolent Pontificiis intereſſe Functionibus. Servantur autem exactiſſime in hiſce primis Veſperis omnes illæ cæremoniæ, quæ in ſpeciali Papæ Cæremoniali deſcribuntur: & quæ etiam habentur in quodam Libro Coloniæ Agrippinæ impreſſo anno 1557. cui titulus: *Rituum Eccleſiaſticorum, ſeu Sacrarum Cæremoniarum SS. Romanæ Eccleſiæ Libri tres*: ubi ad noſtram rem agitur *lib. 2. cap.* 18. *pag. mihi* 247.

855 Quòd ſi alicui Eccleſiæ conceſſa reperiatur Indulgentia Plenaria, quæ ab his primis Veſperis incipiat, & ibi forſan occurrat Dedicatio propria, ac conſequenter transferendum ſit Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli: Indulgentia tamen remanere debet fixa in ſua die vigeſima nona Junii: ſiquidem translato Feſto, in cujus Die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, prout ad inſtantiam P. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum, ad ſeptimum Dubium ſic declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1679. *ſub die* 30. *Septembris*, apud Marcum Antonium Fagioli in Kalendario perpetuo rationali Italicè conſcripto, *pag. mihi* 53. *juxta edit. Bononien. de Anno* 1705. Et denuò dictum fuit, quòd translata aliqua Feſtivitate, non dicuntur translatæ Indulgentiæ pro

die

die ejuſdem Feſtivitatis conceſſæ, ut ex nova declaratione ejuſdem Sacræ Congregationis *de anno* 1690. *ſub die* 10. *Junii*, refert Dominicus Urſaya eruditiſſimus Almæ Urbis Advocatus, *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom.* 3. *par.* 2. *diſcept.* 24. *ſub num.* 24. & tradit etiam Monacellius *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 16. *formul.* 6. *ſub num.* 9. *pag.* 332. nec non & Matthæuccius *in Offic. Curiæ Eccleſ. cap.* 26. *ſub num.* 25. ac denique P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 106. Dictæ autem Declarationes ſunt inviolabiliter ſervandæ, niſi adſit ſpecialis conceſſio in contrarium, ut habent Minimi pro Feſto translato S. Franciſci de Paula, vigore Conſtitutionis Gregorii XIII. emanatæ *anno* 1580. *ſub die* 20. *Auguſti*, quæ incipit *Aliàs omnibus*, & per extenſum refertur à Laurentio de Peyrinis *de Privileg. Regular. tom.* 2. *circa Conſtitut.* 4. *ejuſd. Gregor. ſub num.* 8. *pag.* 223. Eodem Privilegio gaudent Benedictini pro Feſto S. Benedicti eorum Fundatoris, ut ex gratia ſpeciali conceſſit Innocentius XI. *anno* 1679. *ſub die* 26. *Septembris*, ut clarè patet ex Brevi Apoſtolico per extenſum relato in Libro de Officiis propriis Monaſtici Ordinis S. Benedicti impreſſo Patavii *anno* 1715. *ex Typographia Joannis Baptiſtæ Conzatti*; & meminit etiam Urſaya *loco ſupra citato*, *ſub num.* 26. ex Biſſo *in Hierurg. tom.* 1. *litt. I. verb. Indulgentia*, *ſub numer.* 3. *in fine*.

Concludamus tamen hunc Diem cum illa certa ſatiſque clara, ac evidentiſſima notitia, quòd ſcilicet ſi in aliqua Eccleſia conceſſa ſit Indulgentia Plenaria, quæ à primis hiſce Veſperis incipiens, duret uſque ad occaſum Solis in Feſto ſequenti: illa nullatenus intelligitur extenſa ad totam Octavam: quia licet apud Rubriciſtas tota Octava habeatur pro una Die, fallit tamen regula apud Moraliſtas, qui unam Diem Indulgentiæ non extendunt ad totam Octavam, quia verba Brevium Apoſtolicorum tantùm valent, quantum ſonant, niſi ſpecialiter id appareat conceſſum. Verum quidem eſt, quòd ſicuti Dies infra Octa- 856

vam

vam non ſunt ejuſdem ritus cum Feſto, ſic ſi conceduntur Indulgentiæ Plenariæ in Feſto, concedi ſolent non Plenariæ per Octavam, ut ad petitionem Monialium S. Joſephi Ordinis Carmelitarum reſponderi juſſit Sacra Rituum Congregatio *in Hiſpalen. anno* 1606. *ſub die* 4. *Maii*, apud Auguſtinum Barboſam *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Indulgentiæ, Collect.* 419. *ſub num.* 6.

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

HOc Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli cum magna pompa in Eccleſia Dei eſt celebrandum: imò & cum devota lætitia, de qua idcircò pluribus in Civitatibus ſigna dantur per ignium feſtivorum accenſionem, & Sacræ Turres ſonum edunt hilarem: ac de iſtis tanquàm totius Orbis Patronis ait S. Leo ſerm. 1. in Nat. hor. Apoſt. *Unius Fidei pietas exigit, ut quidquid pro ſalute univerſorum geſtum recolitur, communibus ubique gaudiis celebretur*; ſunt enim illi duo, per quos eadem Eccleſia Religionis ſumpſit exordium: & de jugi eorum protectione, qua Roma fulciri conſuevit, pulchrè Venantius Fortunatus his verſibus docet: 857

A facie hoſtili duo Propugnacula præſunt,
Quos Fidei Turres Urbs caput Orbis habet.

Antiquitùs ad hanc ſolemnem Feſtivitatem ex diverſis Orbis Regionibus innumerabilis hominum multitudo, Religionis ergo, Romam confluere con-

conſuevit, teſte Baronio *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub hac die vigeſima nona Junij*: ubi etiam ait, quòd cùm in hac peragenda Celebritate aliquantulum tepuiſſent, Feſtus Senator Romanus, cùm Legatum ageret apud Anaſtaſium Imperatorem, indigno id ferens animo, totis viribus operatus eſt, ut frequentiſſimo Populo, ac ſplendidiſſimo cultu eadem Solemnitas ageretur: Et hoc obtinuiſſe, refert etiam Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 27. *ſub numer.* 13. *pag. mihi* 212. de quo mentionem itidem facit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 8. *ſub die* 29. *Junii*: imò & celebris Auctor, Antiquitatum Eccleſiaſticarum indagator diligentiſſimus, Ludovicus Thomaſſinus id ipſum aſſerit *de Dier. Feſtor. celebrat. lib.* 2. *cap.* 23. *ſub num.* 8. *pag.* 99. ubi ſub numero præcedenti dixerat de antiquitate hujus Feſtivitatis, ex ſequenti Prudentii Hymno duodecimo, nempè:

Plus ſolito coeunt ad gaudia: dic amice quid ſit?
Romam per omnem curſitant ovantque.
Feſtus Apoſtolici nobis redit hic dies triumphi
Pauli atque Petri nobilis cruore.

Quanta autem Baſilicarum SS. Petri & Pauli extiterit ſanctitas atque religio, audacter dicam 858
cum Moyſe: *& inimici noſtri ſunt judices*; nam licet extra murorum ambitum ſitæ eſſent, eas tamen, ut cœleſte quoddam aſylum divinitus præſcriptum, hoſtes Fidei, ſcilicet Gothi, cùm in Urbem graſſarentur, ſunt reveriti, nullum illis vel earum Miniſtris negotium facientes: imò & ad illas confugientibus parcere, inviolabile fuit, ut ſcribit S. Auguſtinus *de Civit. Dei lib.* 1. *cap.* 1. & etiam Procopius *de Bello Gothico lib.* 2. Accipe quid furens hæretica Theodora Auguſta dederit in mandatis Anthemio Scriboni, cùm de capiendo Vigilio Papa ad ipſum ſcribens, hæc ait: *Exceptis omnibus, in Baſilica S. Petri parce; nam ſi in Lateranis, aut in Palatio, aut in quali-*

bet

bet Eccleſia inveneris Vigilium, mox impoſitum navi perduc eum uſque ad nos, ut refert Baronius *in dd. Notation. ad diem* 18. *Novembris*. Decet itaque, ut in hac ubique terrarum reverita Solemnitate ſplendidior appareat in Eccleſiis præſertim majoribus ornatus, & ſignanter ubi hoc Feſtum eſt Titulare. Ut autem modus ornandi diſtinctè pateat, videatur Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 12. *pag. mihi* 72. ubi licet loquatur de Eccleſia Cathedrali, omnia tamen intelligenda etiam veniunt reſpectivè, & quoad fieri poteſt, de qualibet Eccleſia quæ ſuum celebrare debet Titularem etiam omni poſſibili externo apparatu, ut Populus accurrens excitetur ad majorem devotionem etiam ex majori ſacra pompa & ornatu.

Ut autem ad rem noſtram ſpecificè deveniamus: hoc Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli eſt præceptivum cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus: Celebratur verò ſub ritu duplici primæ claſſis in colore rubeo. Non cedit, niſi alicubi occurrenti Dedicationi Eccleſiæ: unde Segniæ in Dalmatia à parte Imperii, quando in hanc diem vigeſimam nonam Junii incidit Dominica quarta poſt Pentecoſten (ut in Tabula vigeſimatertia ordinis perpetui) fit ibi de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, translato ad diem tertiam Julii in Feria quinta Feſto SS. Apoſtolorum, ut me ſic bis tranſtuliſſe, anno ſcilicet 1721. & 1732. dixi ſupra in primis Veſperis. De dicta verò SS. Apoſtolorum translatione in occurrentia Dedicationis, nemo eſt qui ambigat: nam legitima eſt illatio ex Rubrica *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub num.* 1. ac etiam clarius ex Notando primo *poſt Tabellam Occurrentiæ in Breviario*, ubi Dedicatio transfertur, ſi occurrat in quibuſdam Diebus Ferialibus & Feſtivis ibidem expreſſis; ſed inter eos non reperitur hoc Feſtum SS. Apoſtolorum: ergo Dedicatio in eo occurrens non transfertur: ergo in hujuſmodi occurrentia Feſtum eorundem SS. Apoſtolorum eſt transferendum: caſus enim non 159

ex-

expreſſus non intelligitur incluſus, ſed verè exceptio firmat regulam in non exceptis. Hoc autem non ſolùm verum eſt in Eccleſia in qua tantùm Dedicatio occurrit, & per Civitatem ubi Dedicatio eſt Eccleſiæ Cathedralis, ſed etiam per totam Diœceſim in Eccleſiis Foraneis, ſi in eis ſit conſuetudo celebrandi Dedicationem Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, licèt ſine Octava, quamvis hoc non appareat verùm apud Jo: Baptiſtam Halden Germanum (à me cæteroquin pluribus in locis ſecutum, & paulò inferiùs ſequendum) tenentem per Diœceſim in Eccleſia Foranea transferendam eſſe Dedicationem Cathedralis, quamvis ibi agatur de ea ſub eodem ritu, ſub quo celebratur in Civitate à Clero Sæculari: ut videre eſt *in Ephemerolog. par. 3. tit. 3. verſ. Quæritur, pag.* 60.

Dubium tamen inſurgere poteſt, an Feſtum Patroni Loci vel Titularis Eccleſiæ cedere debeat huic Feſto SS. Apoſtolorum, vel potius Feſtum SS. Apoſtolorum cedere debeat Patrono Loci vel Titulari Eccleſiæ, ſi utrumque ſimul occurrat. Guyetus enim *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 2. *cap.* 8. *quæſt.* 9. *verſ. Secundo, pag. mihi* 262. *juxta edit. Venet.* ſupponit, quòd hoc Feſtum SS. Apoſtolorum poſſit quidem transferri, non ſolùm ratione Dedicationis alicubi ſimul occurrentis, ſed etiam ob occurrens Feſtum Patroni principalis ſeu Tituli; & ibi tradit exemplum Argentonii, ſeu in Argentomacho Caſtro Diœceſis Bituricenſis, ubi translato Feſto eorundem Apoſtolorum, fit ea die de S. Marcello Martyre in Eccleſia ſui nominis, de quo revera agit Martyrologium Romanum ſub hac die 29. Junii, & ideo eſt Feſtum ſimul occurrens. At mihi quæſo parcat tantus Auctor, ego diverſimodè teneo: & dum ibi nullam tradit rationem, dicendum eſt, quòd ubi ex alio loco non apparet major dignitas Feſti, eam deſumendam ex Litaniis Sanctorum, docent nonnulli: ſed in Litaniis Sanctorum primarium locum tenent SS. Petrus & Paulus ſtatim 86

tim poſt S. Joannem Baptiſtam, & ideò ante omnes alios Sanctos: ergo omnes alii Sancti cedere debent in occurrentia huic Feſto SS. Apoſtolorum: nec ſolemnitas Patroni vel Titularis tollit vel minuit majorem dignitatem, quam habent SS. Apoſtoli Petrus & Paulus.

Nec facit unicum exemplum unius ut ita di- 861
cam privatæ Eccleſiæ in Caſtro ſupra expreſſo, nam ego exempla refero duarum Civitatum & Diœceſum, in quarum omnibus Eccleſiis Patronus cedit SS. Apoſtolis: ſic Auguſtæ Vindelicorum in Rhætia die quarta Julii fit de S. Uldarico Confeſſore, Patriarcha, &, ut ibi vocatur, magno Patrono Civitatis ſub ritu duplici primæ claſſis, & die ſequenti agitur de Die infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, cum commemoratione de Patrono tam in Eccleſiis Civi-
860 tatis, quàm in aliis totius Diœceſis. Sic Pragæ in Bohemia dicta die quarta Julii celebratur Feſtum primæ claſſis de S. Procopio Abbate Patrono Civitatis & Regni, & die ſequenti fit de S. Eliſabetha Vidua, de qua nos die 7. hujus, deinde fit commemoratio de ſecunda Die infra Octavam Viſitationis Beatæ Mariȩ Virginis, cujus Feſtum eſt ibi duplex primȩ claſſis, deinde SS. Apoſtolorum, poſtmodum S. Patroni: ex quo infero, quòd ſi illi Sancti Patroni cedunt vel integrum Officium, vel reſpectivè commemorationem Officio infra Octavam vel commemorationi SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, proculdubio cederent eorum Feſto, ſi ſimul occurrerent. Nec deſunt Auctores huic noſtræ opinioni faventes, ſiquidem ita tenet, & ſpecificè in noſtris terminis loquitur Claudius Arnaud *in Epithome Sacror. Rit. tract.* 2. *par.* 1. *tit.* 12. *ſub num.* 10. *pag.* 298. & clariùs Joannes Baptiſta Halden *in Ephemerolog. par.* 2. *tit.* 6. *die* 28. *Junii*, *circa fin.* & permanet in opinione *par.* 5. *tit.* 1. *verſ. Dico* 8. *pag.* 16. *columnn.* 2.

Quoad Officium in Feſto SS. Apoſtolorum Pe- 862
tri & Pauli recitandum, ad Matutinum omnia

dicuntur, ut in Breviario: Hymnus autem non eſt proprius, ſed ſumitur ex Communi Apoſtolorum, nempè, *Æterna Chriſti munera*; Guyetus tamen tradit quemdam Hymnum, cujus duæ primæ ſtrophæ deſumptæ ſunt ex primis Veſperis & Matutino in Feſto S. Petri ad Vincula, ſcilicet, *Miris modis repentè liber*, &c. ſecunda verò ſtropha, *Quodcunque in Orbe nexibus revinxeris*: tertia tamen ſtropha eſt antiqui Breviarii Nivernenſis, & plurium Monaſticorum, accommodata ad normam emendationis Urbanæ: quem Hymnum ipſe extendit in fine ſuæ Heortologiæ, *pag.* 372. *juxta edit. Venet.* & ideò videtur deſiderare, quòd in dictis Locis, approbatione prius obtenta, decantetur hodie ad Matutinum: tertia autem ſtropha eſt ſequens, videlicet.

Paulus nec impar Doctor ille Gentium,
Electionis vas ubique profluum;
In morte conſors, in corona particeps:
Unus per enſem victor, alter per Crucem,
Ambo triumphum poſſident Cælo parem.

Ad Laudes autem ſtandum eſt itidem Breviario, nec fit in eis commemoratio S. Pauli, quia Oratio eſt utrique communis: ſed neque de Octava S. Joannis Baptiſtæ ratione ritus duplicis primæ claſſis commemorationem hujuſmodi non admittentis, neque de alia quacunque Die occurrente infra Octavam ſpecialem; ut Tridenti in Comitatu Tyrolenſi de quarta Die infra Octavam S. Vigilii Patroni, Auguſtæ Taurinorum de quinta Die infra Octavam S. Maximi. Fit tamen commemoratio de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſi occurrat, quia cùm ſit privilegiata, nullum habet Officium, in quo non habeat commemorationem. Idem, & multo magis dicendum de Die Octava ejuſdem SS. Corporis Chriſti, ſi incidat in hanc diem, ut in Tabula trigeſima tertia ordinis perpetui: imò fit commemoratio de quacunque alia Die Octava alicubi forſan occurrente, quæ cùm nunquàm ſit transferenda, locum ha- 863

bet

bet quoad commemorationem etiam in Feſto duplici primæ claſſis. Quòd ſi hodie occurrat Dominica, recitata ad Matutinum ejus nona Lectione, fit de ea commemoratió in Laudibus: & ſi illa Dominica fuerit quinta vel ſeptima poſt Pentecoſten, ut in Tabula ſecunda vel decima ſexta ordinis perpetui, *Initium Libri ſecundi* vel *tertii Regum* transferendum erit ad diem primam Julii in Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, quia Dies trigeſima Junii eſt impedita à Feſto Commemorationis S. Pauli proprias in primo Nocturno Lectiones habente. Ad alias verò Horas omnia ſunt propria in Breviario. Ubi tamen incidit in hanc Diem Dedicatio Eccleſiæ, fit Officium de ea; Feſtum verò SS. Apoſtolorum transfertur in primam diem non impeditam infra eorum Octavam: ut ſi hodie occurrat Dominica quarta poſt Pentecoſten, Segniæ in Dalmatia à parte Imperii, ut aliàs diximus, incidit Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, & ideo in Eccleſiis Sæcularibus illius Civitatis fit Officium de Dedicatione, cum nona Lectione ad Matutinum, & commemoratione Dominicæ in Laudibus, translato ad diem tertiam Julii in Feria quinta Feſto SS. Apoſtolorum: ſed in Eccleſiis Regularibus ejuſdem Urbis fit Officium de SS. Apoſtolis, translata Dedicatione Cathedralis, quia apud Clerum Regularem eſt tantùm duplex ſecundæ claſſis.

§. V.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Miſſa in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, cum unica Oratione, quæ cùm ſit utrique communis, non fit idcircò commemoratio S. Pauli; neque S. Joannis Baptiſtæ, neque de alia Octava alicubi occurrente, ut Regii in Ducatu Mutinenſi nihil fit de quinta Die infra Octavam S. Proſperi Patroni. Fit autem commemoratio de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſi ſimul occurrat, & multo magis de ejus Die Octava, imò de quacunque Die Octava, ſi in aliqua Eccleſia, Diœceſi, vel Religione eo die veniat. Dicitur etiam *Credo*, cum Præfatione Apoſtolorum, ſcilicet, *Te, Domine, ſuppliciter exorare*, licet eſſemus infra dictam Octavam SS. Corporis Chriſti, quia illa Octava eſt quidem privilegiata quoad ejus commemorationem in quolibet Feſto duplici occurrente, vel 1. aut 2. claſſis translato; non autem quoad ejus Præfationem, prout eſt Octava Nativitatis Domini, quæ in Feſto S. Joannis non admittit Præfationem Apoſtolorum, ut vidimus *tom.* 1. *in eod. Feſto S. Joan.* Hæc autem Apoſtolorum Præfatio eſt eadem cum illa, quam extendit S. Gregorius in Libro Sacramentorum *Oper. tom.* 3. *pagin.* 112. At quia tunc temporis Epiſcopus Populo benedicebat in illa parte Miſſæ, de qua jam ſatis diximus *dict. tom.* 864

1. *in*

2. in Miſſa de Vigil. Nativit. Dom. ideo benè cenſemus facere, ſi illam Benedictionem, quam hodie Epiſcopus impertiebatur, integram ponamus ex eodem Sacramentario Gregoriano depromptam *loco ſupra citato*; ideoque erat ea, quæ ſequitur, videlicet: *Benedicat vobis omnipotens Deus, qui vos Beati Petri ſaluberrima confeſſione in Eccleſiaſtica Fidei fundavit ſoliditate*. Amen. *Et quos Beati Pauli ſanctiſſima inſtruxit prædicatione, ſua tueatur gratiſſima defenſione*. Amen. *Quatenus Petrus clave, Paulus ſermone, utriuſque intereceſſione ad illam nos certent Patriam introducere, ad quam illi, alter Cruce, alter Gladio hodierna die pervenere*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum, & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum*. Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum*.

Præfatio verò Gregoriana, quæ concordat cum hodierna in Miſſali Romano, erat antiquitùs diverſa in Miſſali Gallicano, ex quo illam eruit eruditiſſimus Gallicanarum Antiquitatum indagator Joannes Mabillonius *in Liturg. Gallic. lib. 3. pagin.* 273. ſed quia paucis verbis mutatis eſt eadem cum ſequenti Ambroſiana, ideò eam prætermittimus. Itaque Ambroſiani noſtris etiam temporibus recitant hodie in hac Miſſa SS. Apoſtolorum Petri & Pauli longam Præfationem, quam fideliter ex eorum Miſſali Mediolani impreſſo tranſcripſimus, & hoc proprio loco extendimus, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper hic, & ubique in honore Apoſtolorum Petri & Pauli gratias agere. Quos ita electione tua conſecrare dignatus es, ut Beati Petri ſæcularem piſcandi artem in divinum dogma converteres. Quatenus humanum genus de profundo inferni, præceptorum tuorum retibus liberares: & Coapoſtoli ejus Pauli mentem cum nomine mutares. Ut quem priùs perſecutorem metuebat Eccleſia, nunc cæleſtium mandatorum lætetur ſe habere Doctorem. Paulus cæcatus eſt, ut videret: Petrus negavit, ut crederet. Huic claves cæleſtis imperii tradidiſti: Illi ad evocandas* 865

dus Gentes, Divinæ Legis ſcientiam contuliſti. Ille introducit, hic aperit: & ambo virtutis æternæ præmia ſunt adepti. Hunc Dextera tua gradientem in elemento liquido, dum mergeretur, erexit: Illum autem tertiò naufragantem profunda pelagi fecit vitare diſcrimina. Hic portas inferni, Ille mortis vicit aculeum. Et Paulus capite plectitur, quia Gentium caput Fidei probatur: Petrus autem ſursùm verſis veſtigiis, caput omnium noſtrum ſecutus eſt Chriſtum. Quem unà tecum laudant Angeli, &c.

Quotieſcunque tamen in hanc diem vigeſimam nonam Junii incidat Dominica, in Miſſa de Feſto SS. Apoſtolorum fit de ea commemoratio, & in fine legitur ejus Evangelium. Quòd ſi Dominica illa fuerit quinta poſt Pentecoſten, ut in Tabula decima ſexta ordinis perpetui, non erit varianda ejuſdem Dominicæ Poſtcommunio, eo quòd in ſuo initio conveniat in aliquo verbo cum illa Feſti; nam in reliquis ita diſcordat, ut ideo habeatur ſufficiens varietas ad excluſionem commutationis. Ante Miſſam verò ſolemnem in dicta Dominica canendam, fit aſperſio Aquæ benedictæ, ubi fieri ſolet in qualibet Dominica, illa dumtaxat excepta Eccleſia, in qua Epiſcopus Pontificaliter celebrat, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. *&* 4. *pag.* 397. Antiquiſſimi autem eſt inſtituti in Eccleſia Dei tum Benedictio Aquæ, tum etiam ejus aſperſio in Dominicis: ſiquidem, ut ab inſtitutione incipiamus, Auctorem fuiſſe S. Matthæum Apoſtolum & Evangeliſtam, pluribus citatis graviſſimorum virorum auctoritatibus, probat Marcus Antonius Marſilius Columna in ſua Hydragiologia, ſive de Aqua benedicta *ſect.* 2. *cap.* 3. *ſub num.* 49 *& ſeqq. pag. mihi* 172. *juxta edit. Roman. de Anno* 1586. ubi refert Conſtitutionem ejuſdem S. Matthæi ex S. Clemente Romano *lib.* 8. *Apoſtolicar. Conſtitut. cap.* 35. Certè ab Apoſtolis ortum habuiſſe, conſtat ex Epiſtola S. Alexandri Papæ hujus nominis Primi (qui creatus eſt anno Domini 110.) ſcripta ad omnes Orthodoxos, & relata à Gratiano 866

in

in cap. Aquam ſale, de conſecrat. diſt. 3. ubi revera ſic habetur: *Aquam ſale conſperſam Populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur & purificentur*; ubi notandum eſt, quòd ly, *Benedicimus*, non importat inſtitutionem, ſed uſum jam diu in Eccleſia Romana receptum Aquam benedicendi & ſanctificandi.

Quoad verò aſperſionem Aquæ benedictæ in ſingulis Dominicis, ejus antiquitatem inferimus 862
ex Micrologo, qui vixit circa Annum 1080. nam in ſuo Libro *de Eccleſiaſt. Obſervat. cap.* 46. ibi relato ſenſus ſupra memoratæ Conſtitutionis Alexandrinæ, ſic habet: *Alexander Papa, Quintus à Beato Petro, conſtituit, ut Sal & Aqua benedicerentur ad conſpergendum Populum: quod & nos in omni Dominica juxta Canones ſequimur*: Dum autem dicit, *ſequimur*, facit inferri: ergo aſperſio Aquæ benedictæ in Dominicis erat in viridi obſervantia multo tempore ante eum. Sed & de praxi vetuſta Eccleſiæ intelligitur Rubertus Abbas, qui floruit circa Annum 1110. ſiquidem in ſuo laudabili Opuſculo *de Divin. Offic. lib.* 7. *cap.* 20. *pag. mihi* 451. dum rationem tradit, propter quam fit in omnibus Anni Dominicis hæc aſperſio Aquæ benedictæ, inſtruit conſequenter de priſca ejus conſuetudine in Eccleſia Dei: ait enim; *Idcircò ſingulis aſpergimur Dominicis, quia in ſacroſancta prima Dominica* (ſcilicet Paſchæ) *Veſpera, Baptiſmum univerſaliter celebrat Eccleſia*. Hæc tamen Aquæ benedictæ aſperſio in Dominicis fieri debet per ipſum Celebrantem, etiam quòd ſit prima vel alia Dignitas, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potiùs corruptela, quàm conſuetudo dici debet, cùm ſit contra Rubricas Miſſalis Romani, & diſpoſitionem Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31. ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Peruſina, anno* 1632. *ſub die* 29. *Novembris*, apud Michaelem Bauldryum in Manuali Sacrar. Cæremoniar. *par.* 2. *cap.* 8. *ſub num.* 12. *pag.* 78. & refert etiam P. Merati in doctiſſimis Additionibus ad Gavantum *tom.* 1.

par. 2. in Indice, ſub num. 268. Ratio autem dubitandi forſan fuit, quia in dicto loco Cæremonialis deſtinatur ad hujuſmodi aſperſionem *Canonicus, vel alius celebraturus*, & ideò dubitatum fuit de Dignitate: unde eadem Sacra Rituum Congregatio declaravit, quod ly *alius celebraturus* ſignificet quemvis Celebrantem, licèt ſit Dignitas.

Quòd ſi die vigeſima nona Junii alicubi occurrat Dedicatio propriæ Eccleſiæ, Miſſa dicitur de ea tanquàm de digniori, cum Præfatione communi, niſi ſimul veniat Octava SS. Corporis Chriſti, quia tunc & fit ejus commemoratio, & ejus Præfatio eſt recitanda, translato juxta Rubricas Feſto SS. Apoſtolorum. At ſi fuerit Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, Miſſa erit de Dedicatione, tam in Civitate, quàm per Diœceſim in Eccleſiis Foraneis, dummodò in eis eadem Dedicatio celebretur ſub eodem ritu duplici primæ claſſis: nam debere eſſe hujuſmodi ritus in Diœceſi, probat Gavantus *tom. 2. ſect. 8. cap. 5. ſub num.* 5. cujus opinioni ſubſcribit Bernardus Biſſus *in Hierurg. tom. 1. verb. Dedicatio Eccleſiæ, ſub num.* 51. §. 5. *pag. mihi* 278. Celebrandam tamen eſſe per totam Diœceſim juxta ſolitum quoad ritum, ſcilicet, vel ſub ritu duplici primæ claſſis, vel ſub ritu duplici minori, reſpondit ad primum Dubium Sacra Rituum Congregatio *in Curien. anno* 1700. *ſub die* 19. *Junii*: quam declarationem ego Domi retineo, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii. In noſtro autem caſu ſupponimus, Dedicationem Cathedralis etiam in Diœceſi eſſe primæ claſſis, ſicuti eſt in Eccleſiis Civitatis apud Clerum Sæcularem. In Eccleſiis verò Cleri Regularis in eadem Urbe exiſtentibus, Miſſa erit de Feſto SS. Apoſtolorum, cum translatione Dedicationis Cathedralis tanquàm inferioris ritus, nempè ſecundæ claſſis, prout revera apud Regulares eſt hujuſmodi Dedicatio, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis *de anno* 868

ro 1662. *ſub die* 1. *Aprilis*, *approbante Alexandro VII. ſub die* 8. *ejuſd. Menſis & Anni*, ut refert Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Adnotat. ad Februar. lit. M. ſub numer.* 4. *pagin.* 112. & habetur etiam inter Rubricas Breviarii Ordinis Minorum, *titul.* 7. *de Octavis*, *ſub numer.* 81. ac Ordinis Carmelitarum, *Rubr.* 9. *ſub numer.* 18. Quod autem dicitur de Regularibus intelligitur
868 quoque de Monialibus etiam Ordinario Loci ſubjectis, ita ut & ipſæ celebrare quidem debent Dedicationem Cathedralis, ſed ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & ſine Octava, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Tarviſina ad ſecundum Dubium, anno* 1702. *ſub die* 11. *Februarii*, humillimè ſupplicante Reverendiſſimo Clemente Bartolùccio, Parocho S. Laurentii de Tarviſio, Patrono meo, dum viveret, ſingulariſſimo, & de Sacris Ritibus optimè merito, cui Deus requiem æternam donet piiſſimus. In Eccleſia tandem Cathedrali, in qua occurrit Dedicatio, cantandæ ſunt duæ Miſsæ, una de Dedicatione cum Præfatione communi, niſi incidat Octava SS. Corporis Chriſti, quia & ejus commemoratio erit canenda, & ejus quoque Præfatio cantanda: altera verò de Feſto transferendo SS. Apoſtolorum, cum eorum Præfatione, etiamſi ſimus infra dictam Octavam SS. Corporis Chriſti.

Cæterùm Miſſa propria hujus Diei, ſeu, quæ 869
dicitur in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, non poteſt dici infra Annum ut Votiva, quia habet Introitum ita hodiernæ Solemnitati adæquatum, & Collectas ſimul adeò Feſtivitati convenientes, ut adaptari non poſſint Miſſis Votivis. Dubium autem oriri poteſt, an dicta Miſſa propria de Feſto dici valeat infra hanc Octavam. Certè Sacra Rituum Congregatio in ſua Declaratione de ordine Pauli Quinti, expreſſis quibuſdam Feſtis, & aliis ejuſmodi omnia propria habentibus Celebritati tantùm accommodata, concludit: *Has Miſſas vel Collectas extra proprios Dies vel Octavas, abſurdum eſſet dicere*: ut ex eadem

Sacra

Sacra Congregatione refert Angelus à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſæ Ritus, ſub numer. 2. pag. mihi* 332. ex quo inferendum eſt, dictam Miſſam propriam poſſe dici infra Octavam Apoſtolorum, nam ſi abſurdum eſt eam celebrare extra Octavam; ergo infra Octavam eſt celebranda. Attamen Sacra Rituum Congregatio loquitur de Miſsa propria, quæ unica ſolet inſervire pro tota Octava. In noſtro autem caſu habemus aliam Miſsam, quæ dicenda eſt infra Octavam, diſtinctam à Miſsa propria de Feſto: unde mens Sacræ Congregationis non extenditur ad hunc caſum: & conſequenter Miſsa Feſti locum non habet infra Octavam; ſalva ſemper meliori opinione.

Quòd ſi hodie alicubi occurrat expoſitio SS. 870
Sacramenti ratione Orationis quadraginta Horarum, Miſſa dicenda eſt de Feſto SS. Apoſtolorum, cum Collecta tamen de eodem SS. Sacramento ſub unica concluſione, juxta inſtructionem Clementis Undecimi ad hoc emanatam *anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*, §. 10. in qua ordinatur quidem Miſſa de Expoſitione, ſed excipiuntur inter alios Dies omnia & ſingula Feſta duplicia primæ claſſis, de qua inſtructione ſatis ſuperque diximus aliis locis, cum citatione Bullarii illam per extenſum referentis. Dicta tamen Collecta SS. Sacramenti dici non debet in hodiernis Miſſis privatis, tum quia Pontifex intelligit de Miſſa ſolemni, ut clarè patet legenti: tum quia hoc expreſsè prohibuit Sacra Rituum Congregatio, cujus Declarationem ſupra citavimus *in Miſſa de Feſto S. Joan. Bapt.* Cùm autem dici poſſit dicta Collecta de SS. Sacramento, cantari etiam poterit ſecunda Oratio de quacunque Votiva pro re gravi itidem ſub unica concluſione; ſed ſicuti ex dictis non poteſt in Miſſis privatis dici Collecta SS. Sacramenti quod eſt majus, neque poterit dici de alia Votiva pro re gravi quod eſt minus: imò neque pro Die Anniverſaria Electionis ſeu Conſecrationis Epiſcopi, licèt citatam viderim in a-

liquo

iquo Diœceſano Directorio, cùm cæteroquin Cæremoniale Epiſcoporum ſatis clarè loquatur de Miſſa ſolemni, & non privata.

Verùm quidem eſt, quòd ſi Epiſcopus ſit dua- 871
rum Eccleſiarum æquè & principaliter unitarum, & ipſe non celebret in hac ſuppoſita occurrentia Diei Anniverſariæ; Dignitas vel Canonicus Celebrans debet, in Collecta Epiſcopi cantandâ, utramque Eccleſiam expreſsè nominare, dicendo, exempli gratia: *quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ Recanatenſis & Lauretanæ*, quæ ſunt in Marchia Anconitana: vel *Eccleſiæ tuæ Segnienſis & Modruſienſis*, quæ reperiuntur in Dalmatia à parte Imperii. Si verò Pontificaliter celebret Epiſcopus, nam hodie debet ſolemniter celebrare, ſive con-
870 ſideretur Feſtum Univerſale, ſive ſpecialiter Titulare Cathedralis, & occurrat dicta Dies Anniverſaria, in Collecta à ſeipſo cantanda, debet dicere: *Me indignum famulum tuum, quem huic Eccleſiæ N. præeſſe voluiſti, &c.* ut habetur in dicto Cæremoniali *libr.* 2. *capitul.* 35. §. 2. *pagin.* 419. Diaconus verò debet opportunè ſuggerere Epiſcopo dicta verba, ne deſit memoria in canendo: ſed & cuilibet Dignitati in locum Epiſcopi ſuffectæ, ſi Epiſcopus abſit. Hoc verò loco notandum etiam eſt, quòd pro Epiſcopo deputato Adminiſtratore Eccleſiæ vacantis fieri non debet Anniverſarium ſuæ Conſecrationis, cùm Miſſa cantatur per Capitulum & Clerum: ejuſque Nomen non debet in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes, ut reſolvit Sacra Rituum Congregatio ad quintum Dubium *in Sarſinaten. Functionum Epiſcopalium ſub die* 22. *Auguſti* 1722. apud Dominicum Urſayam *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom.* 5. *par.* 1. *diſceptat.* 2. *in Argumento, ſub num. V.* ubi Dubium, *& in fine*, ubi Reſolutio: & ex eo dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 1407. *pag.* 485.

In hoc tamen Feſto S.S. Apoſtolorum Petri & 872
Pauli celebrari non poteſt in Oratoriis privatis, quia hæc eſt una ex Diebus exceptis in Decreto

à Sa-

à Sacra Rituum Congregatione emanato *anno* 1607. *ſub die* 17. *Novembris*, & à pluribus relato Auctoribus, præſertim à Gavanto *tom.* 1. *par.* 1. *capit.* 20. *lit. f. verſ. Sciendum*, à Biſſo *in Hierurg. tom.* 1. *verb. Altare*, *ſub num.* 245. à Tonellio *in Enchirid. lib.* 1. *capitul.* 2. §. 2. *ſub numer.* 4. *pagin.* 52. à Clericato *de Sacrific. Miſſ. initio Operis*, *Decreto* 8. & egomet retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 293. *pagin.* 88. *juxta noviſſ. edit. Patern. de Anno* 1730. ac ex me tradit etiam Claudius La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 128. Unum tamen debet eſſe Oratorium privatum in uno Palatio, & unica ibi Miſſa eſt celebranda. Quòd ſi Regulares celebraverint in Oratoriis privatis Domicellorum diebus exceptis, vel poſtquàm eadem die fuerit ibidem jam celebrata unica Miſſa in Apoſtolico Indulto conceſſa, poteſt Epiſcopus in eos animadvertere, ſervata forma Concilii, ut reſpondit Sacra Congregatio Concilii *in Neapolitana anno* 1699. *ſub die* 30. *Maii*, ut dixi in mea Collectione de Regularibus cujuſcunque Ordinis, *tom.* 3. *ſub numer. margin.* 4092. *pag.* 469. ex Monacellio *in Formular. Pract. Leg. par.* 1. *titul.* 6. *formular.* 20. *ſub numer.* 21. *pag.* 235. Itaque quivis Sacerdos, ſive Sæcularis ſive Regularis, in dictis privatis Oratoriis celebraturus, tenetur diligenter ſuper hoc inquirere, & de eo ſe optimè informare: nam neque in caſibus permiſſis celebrari poterit dicta unica Miſſa poſt meridiem, prout declaravit Clemens XI. in ejus particulari Bullario, *par.* 3. *Conſtitut.* 11 *qua incipit* Quoniam Sancta ſanctè, *edita anno* 1703. *ſub die* 15. *Decembris*, & habetur etiam in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis, de Anno 1727. *tom.* 8. *par.* 2. *Decreto* 1. *pagin.* 417. Illud denique notandum eſt, quòd in hoc Feſto SS. Apoſtolorum cantari non poteſt Miſſa Defunctorum in Die Obitus, non obſtante præſentia Corporis in Eccleſia ex rationibus ſuperiùs allatis *in Miſſa de Feſto S. Joan. Bapt.*

Cùm

Cùm autem nihil aliud reſtet dicendum de Miſ- 873
ſa in hoc Feſto SS. Apoſtolorum quomodolibet celebranda, nunc ergo complenda eſt Solemnitas cum ſecundis ejus Veſperis. Itaque in hiſce vel legendis vel decantandis omnia dicuntur, ut hodie in Breviario, abſque commemoratione S. Pauli, quia Oratio eſt utrique communis: Sed & omittitur commemoratio de Octava S. Joannis Baptiſtæ, & de alia quavis Octava: Attamen in his ſecundis Veſperis fiunt aliquæ commemorationes, nempè de Dominica, ſive hodie veniat, ſive cras: itidèm de Die infra Octavam privilegiatam SS. Corporis Chriſti, ſi ſimus infra eam, ac etiam de quavis Die Octava, ſive occurrat ſive ſubſequatur: nec non de aliquo Feſto altioris ritus vel majoris dignitatis, ſi illud S. Pauli ſit alicubi transferendum. Ubi verò cras occurrit Feſtum Titulare S. Pauli, Veſperæ in Eccleſia propria ſunt de ſequenti, ut in Breviario, cum commemoratione S. Petri non autem Dominicæ ſi præcedat: & occurrente Die Octava SS. Corporis Chriſti in Feſto S. Pauli, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, in dicta Eccleſia S. Paulo dicata in primis Veſperis de S. Paulo fit priùs commemoratio S. Petri, deinde de dicta Die Octava licèt digniori, juxta Rubricam poſitam in Breviario *ſub die decima Octava Januarii in Officio de Cathedra Romana S. Petri*, ubi ordinatur commemoratio S. Pauli ante quamcunque aliam etiam Feſti duplicis, & ſic agendum præſcribit in Feſtis S. Pauli, ita ut immediatè ſequatur commemoratio S. Petri.

At ſi hac die vigeſima nona Junii occurrat De- 874
dicatio Eccleſiæ Cathedralis, & in ea Civitate exiſtat Eccleſia S. Paulo dicata, tunc etiam ibi in ſecundis Veſperis dignioribus licèt non ſolemnioribus de dicta Dedicatione fit priùs commemoratio de S. Paulo Titulari, deinde de S. Petro, quia Veſperæ deberent meo judicio eſſe ſecundæ de eadem Dedicatione Cathedralis: nam in paritate ritus non attenditur (ut reor) major Solemnitas,

tas, ſed major dignitas: ſed major dignitas eſt Dedicationis, quia eſt Feſtum Domini; Feſtum verò Titularis eſt Feſtum Servi Domini ergo etiam in eadem Eccleſia S. Pauli die vigeſima nona ſecundæ Veſperæ erunt & de Dedicatione Cathedralis cum commemoratione de ſequenti Titulari, & de S. Petro. Extra caſum verò Eccleſiæ S. Paulo dicatæ, ſi in Feſto SS. Apoſtolorum occurrat Dedicatio, adhuc in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio de ſequenti Feſto S. Pauli, & S. Petri, ut in Eccleſia propria: nam ſicuti celebrantes Feſtum SS. Apoſtolorum, ex dictis nihil facimus de ſequenti, ſic tranſlato eorum Feſto, in ſecundis Veſperis alterius Feſti dignioris ſubintrat prædictus ordo commemorationum. At ſi Dedicatio veniat die ultima Junii, in primis Veſperis de Dedicatione fit commemoratio de præcedenti Feſto SS. Apoſtolorum, ut in ſecundis Veſperis, omiſſa ſemper commemoratione S. Joannis Baptiſtæ in quibuſvis hujuſmodi caſibus concurrentiæ.

Quæ autem dicta ſunt de Dedicatione Cathedralis in Civitate, intelligenda veniunt de Eccleſia Foranea in Diœceſi, ſi dicta Dedicatio celebretur ſub eodem ritu duplici primæ claſſis etiam in eadem Eccleſia Foranea, quæ ſit dicata S. Paulo, quia quando ritus eſt æqualis in Civitate & in Diœceſi, major dignitas Feſti quæ attenditur in Urbe, attendenda eſt etiam in Eccleſia Diœceſis S. Paulo dicata, & ideò etiam ibi in ſecundis Veſperis in Dedicatione Cathedralis fit commemoratio Titularis, & S. Petri non utriuſque ſimul ſub unica Oratione, ut in Eccleſia Univerſali, in qua, quia fit de SS. Apoſtolis ſimul, nihil reſtat de Feſto ſequenti: licèt non deſint qui diverſimodè ſentiant, nimis faventes Titulari. Neque valet dicere, quòd ſecundæ Veſperæ de Dedicatione ſunt minùs nobiles quàm primæ: & conſequenter nobiliores primæ de S. Paulo in Eccleſia propria, quàm ſecundæ de eadem Dedicatione; nam hoc verum 575

esset,

eſſet, ubi ageretur de duobus Feſtis eandem dignitatem habentibus: ut ſi hodie occurreret Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, & cras Dedicatio alterius Eccleſiæ in eodem Loco, Veſperæ hodie eſſent de Dedicatione particulari, cum commemoratione de præcedenti Dedicatione univerſæ Civitatis & Diœceſis, ut in his præciſis terminis ſic agendum dixit *Rota in Cæſarauguſtana Dedicationis* 14. *Decembris* 1624. coram Manzanedo, *deciſ.* 801, *à num.* 2. *uſq. ad* 5. & mentionem facit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 8. *capitul.* 5. *ſub num.* 6. non autem meo judicio ita dicendum, ubi in paritate ritus eſt diſparitas dignitatis. In Eccleſiis verò Regularium exiſtentibus in ea Civitate, in qua die vigeſima nona Junii occurrit Dedicatio Cathedralis, agitur de Feſto SS. Apoſtolorum in ſecundis Veſperis, tranſlata ibi ad primam diem non impeditam Dedicatione, quæ apud Clerum Regularem ejuſdem Civitatis non eſt in paritate ritus, & ideò ceſſat major dignitas, ubi intervenit ritus altioris majoritas: quapropter in dictis Eccleſiis Regularium integræ dicuntur ſecundæ Veſperæ de SS. Apoſtolis, abſque alia commemoratione, ut in Eccleſia Univerſali. At ſi eadem Dedicatio Cathedralis occurrat ultima Die Junii, ſicuti tenentur Regulares eam ipſo die celebrare, tanquam apud ipſos Feſtum duplex ſecundæ claſſis, & ideò excluſivum Commemorationis S. Pauli, ſic in ſecundis Veſperis SS. Apoſtolorum faciunt de ſequenti Dedicatione commemorationem.

§. VI.

§. VI.

De iis, quæ ſpectant ad primum triduum infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Dies infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli bifariam dividuntur: in primo enim triduo ſunt omnes impediti à Feſtis duplicibus occurrentibus; in ſecundo verò triduo ſunt omnes liberi, niſi occurrat Dominica. Ut autem ordinatim procedamus, hic ſermo erit de primo triduo: & ideò ſecunda Die infra Octavam ſeu trigeſima & ultima Junii fit Officium de Commemoratione S. Pauli, cujus ritus dicitur unicæ claſſis à Gavanto *tom. 2. ſect. 7. capit. 8. ſub hac die 30. Junii*: Sed potiùs videtur habere ritum duplicem minorem, licèt nuncupetur Commemoratio, & non Feſtum, ex rationibus inferiùs dicendis. Quia verò heri celebravimus utriuſque Apoſtoli Solemnitatem, debemus modò aliquid dicere de ratione Inſtitutionis hodiernæ, ut clarè pateat quid tenendum de hac Commemoratione, quando occurrat ejus translatio, vel etiam Feſtivitatis heſternæ. Itaque licèt pridie hujus diei tam Petri quàm Pauli agatur ſolemnis Celebritas; tamen hac potiſſimùm die ſolius Pauli Commemorationem fieri debere, & Sancti Gregorii Papæ inſtitutione docet Micrologus *de Eccleſiaſt. Obſervat. capitul.* 42. apud Cæſarem Cardinalem Baronium *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub hac die* 30. *Junii*: ubi etiam ait, quòd hujus rei gerendæ illa magis probatur cauſa, conſue- 876

ſueviſſe Romanum Pontificem una eademque die Pontificias Functiones in utraque Baſilica exercere: ſed cùm hoc propter nimiam locorum inter ſe diſtantiam non ſine nimio ac intollerabili ferè labore perfici poſſe videretur, conſultiùs viſum eſt, prima die in Baſilica Vaticana utriuſque celebrare Solemnitatem, ſequenti autem die in Baſilica Pauli Sacra peragere, uberiuſque perſolvere, quod pridie ea de cauſa ibidem loci videretur omiſſum. Hinc eſt, quòd Ludovicus Thomaſſinus *de Dier. Feſtor. celebrat. capitul.* 23. *ſub num.* 7. *&* 8. *pag.* 99. *juxta edit. Venet. de Anno* 1729. re taliter admiſſa, ſubſcribit opinioni Baronii; dicens, quòd bis rem Divinam faciebant Pontifices Maximi in Ædibus nempè utriuſque Principis Apoſtolorum, juxta Hymnum duodecimum Prudentii: ibi:

876

Tranſtiberina priùs ſolvit ſacra pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Non eſt igitur levis conjectura (ut ipſe proſequitur) Pontifces, cùm nimis defatigati Sacrum eadem die facerent in utroque Templo, conſtituiſſe; ut Feſto Die SS. Petri & Pauli in Æde Vaticana Sacrificium perageretur, ſequenti verò ad Sancti Pauli. Sed & hoc ipſum refert Andreas Piſcara Caſtaldus in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *capitul.* 27. *ſub numer.* 14. *pagin.* 212. ubi etiam addit: *& quod initio in ſola Romana Eccleſia, id poſtmodum ubique lato Decreto celebrari ſancivit*, intellige, *Divus Gregorius Papa.*

Præmiſſa hujuſmodi inſtitutionis ratione, quoad Officium in hac Commemoratione S. Pauli recitandum, omnia ſunt hodie propria in Breviario: ſed ad Laudes fit priùs commemoratio S. Petri, deinde S. Joannis Baptiſtæ, ac etiam alterius Diei alicubi occurrentis infra Octavam ſpecialem. Quòd ſi ſimus infra Octavam SS. Corporis Chriſti, adhuc commemoratio S. Petri facienda eſt ante dictam Octavam licèt privilegia- 877

tam. Attamen ſi hodie incidat Dies Octava ejuſdem SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, ad Laudes ſit priùs commemoratio S. Joannis Baptiſtæ, deinde SS. Apoſtolorum: quia cùm non ſimus in caſu Commemorationis S. Pauli cæteroquin transferendæ, ſubintrat præcedentia S. Joannis ante Apoſtolos cum Oratione ambobus communi, quia tunc agitur de commemoratione digniori ante minùs dignam: caſus enim diverſus non regulatur à caſu. Idem prorsùs dicendum, ſi hac die alicubi veniat alia quævis particularis Dies Octava: ex quo videtur inferendum, quòd hæc commemoratio S. Pauli non ſit ritus duplicis ſecundę claſſis, quia cedit cuique Diei Octavæ: ſed hoc ex ejus Veſperis ſuo loco inferiùs ordinandis clariùs patebit. Quòd ſi hæc Commemoratio S. Pauli venerit in Dominica, ad Matutinum dicitur nona Lectio de ea, & ſit ejus commemoratio in Laudibus poſt illam S. Petri, & ultimo loco S. Joannis. Si tamen illa Dominica fuerit quinta vel ſeptima poſt Pentecoſten, ut in Tabula tertia vel decima ſexta, *Initium Libri ſecundi* vel *tertii Regum* ponetur cras in primo Nocturno de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, niſi eo die occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ut infra videbimus, nam dictum *Initium* erit ponendum die tertia Julii, quæ eſt quinta infra Octavam Apoſtolorum in Feria quarta. In Eccleſia verò S. Paulo dicata ſit commemoratio S. Petri, & Dominicæ ſi occurrat, non autem S. Joannis Baptiſtæ: & ſi incidat Dies Octava SS. Corporis, non obſtante illius ritu duplici majori, in dicta Eccleſia S. Pauli ſit priùs commemoratio S. Petri, deinde dictæ Diei Octavæ, vigore Rubricæ Breviarii poſitæ ſub die decima Octava Januarii jam ſuperiùs citatæ.

Quia tamen ſatis ſuperque dixiſſe credimus de dicta Commemoratione S. Pauli circa illius Officii celebrationem propria die faciendam: reſtat modò dicendum, quomodo ſit transferenda, quan- 878

do eſt

do eſt impedita, nam variæ ſunt in caſu translationis opiniones. Gavantus enim *tom. 2. ſect. 7. capitul. 8. ſub die* 30. *Junii*, illam transfert ad diem quartam Julii in Feria ſecunda non impedita, quæ eſt Dies ſexta infra Octavam SS. Apoſtolorum, ſi die trigeſima Junii occurrat Dies Octava SS. Corporis Chriſti: & ſupponit, quòd Feſtum SS. Apoſtolorum jam liberè ſit celebratum proprio die: unde ſequitur: *Neque dicas fieri de Octava S. Pauli ante Feſtum illius per quatuor dies, ſcilicet, trigeſima Junii, & prima, ſecunda, ac tertia Julii, quia Feſtum ejuſdem celebrari captum eſt cum S. Petro.* Huic reſponſioni ſubſcribit, & propoſitam difficultatem eodem modo ſolvit Guyetus *in Heortolog. libr. 4. ſect. 1. capit. 8. quæſt. 9. verſ. Tertio, pag. 262. juxta edit. Venet. de Anno* 1729. *poſt Pariſien. de Anno* 1657. & certè in caſu propoſito transferendi ſolam hanc Commemorationem S. Pauli, ritè & rectè fit modo ſupradicto translatio, nullo ſuppoſito impedimento alicubi occurrente, de quo infra. Quidam verò Rubriciſta, non tamen Auctor, putabat, dictam Commemorationem S. Pauli translatam neceſſariò celebrandam eſſe infra hanc Octavam, protrahendo ulteriùs aliud Feſtum duplex translatum ibi primò repoſitum ſeu reponendum: Ejus fundamentum erat, quia Rubrica Breviarii, quæ habetur in fine Officii de Feſto SS. Apoſtolorum, ſic ait: *Si Commemoratio S. Pauli venerit in Die Octava Corporis Chriſti, extra propriam Eccleſiam transfertur in primam Diem infra Octavam, Dominica vel Feſto non impeditam*: Halden tamen peritus in arte, qui dicti Rubriciſtæ opinionem audivit, variis & validis rationibus eam refellit *in Ephemerolog. par. 2. titul. 6. die* 30. *Junii verſ. Secundum Dubium, pag.* 201. *& ſeq.* quibus rationibus & meam addo, quia Rubrica illa intelligenda omninò eſt de Die infra Octavam non impedita, non ſolùm à Feſto occurrente, ſed etiam à duplici translato anteriori: & hæc mihi videtur non interpretatio, ſed verus ſenſus Rubricæ.

Non ſolùm autem Commemoratio S. Pauli tranſ- 879
lata cedere debet in repoſitione cuivis Feſto du-
plici translato prioritatem temporis habenti, &
infra hanc Octavam celebrando juxta Rubricam
de Octavis, *titul.* 7. *ſub numer.* 4. & alteram *de
translat. Feſtor. titul.* 10. *ſub numer.* 3. & 7. Sed
etiam debet locum concedere Feſto ſemiduplici,
ex Dominica infra Octavam, in qua occurrebat,
deſumpto, & in Feria ſecunda immediatè ſequen-
ti & non impedita reponendo, vigore Declara-
tionis à Sacra Rituum Congregatione emanatæ
anno 1702. *ſub die* 16. *Septembris*, ubi revera ſic
habetur: = *Ordinis Cœleſtinorum.* = *Cùm de An-
no* 1704. *Dies Feſtus Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu
Chriſti incidat in alterum SS. Apoſtolorum Philippi &
Jacobi: cumque propter alios dies feſtos, nempè S.
Athanaſii, Inventionis Sanctiſſimæ Crucis, & Domi-
nicæ infra Octavam Aſcenſionis, Officium eorundem
Sanctorum ultra prædictam Dominicam infra Octavam
Aſcenſionis veniat transferendum; P. Abbas Æctor
Gironda Ordinis Cœleſtinorum, cùm in dictam diem
Dominicam infra Octavam, quæ erit quarta Menſis
Maii, occurrat etiam dies feſtus* (tunc ſemiduplex)
*S. Monicæ Viduæ, demiſſimè Sacræ Rituum Congrega-
tioni ſupplicavit declarari*: = *An in Feria ſecunda
immediatè ſequenti Dominicam infra Octavam Aſcen-
ſionis ſit recitandum Officium SS. Apoſtolorum Philippi
& Jacobi, vel potiùs alterum* tunc ſemiduplex *S.
Monicæ prædictæ?* = *Et Sacra eadem Rituum Congre-
gatio, auditis Cæremoniarum Magiſtris, juxta aliàs
Decreta ſub die* 22. *Decembris* 1696. *edita, Officium
in Feria ſecunda prædicta de S. Monica recitandum eſſe
cenſuit, & ita declaravit. Die* 16. *Septembris* 1702.
Quòd ergo prædicatur de uno, prædicatur de
cæteris paribus: & ideò Commemoratio S. Pauli
translata, non eſt reponenda in Feria ſecunda
infra hanc Octavam, ſi alicubi habeatur repo-
nendum Feſtum ſemiduplex, quod fuit heri in
Dominica infra eandem Octavam.

Nec tamen video caſum adeò metaphyſicum, 880
quem valde talem ſupponit Guyetus *in Heortolog.*

lib. 4.

lib. 4. ſect. 1. capitul. 8. quaſt. 9. verſ. Tertiò, pagin. 262. ſed neque dicere poſſum cum Joanne Baptiſta Halden *in Ephemerolog. par. 2. titul. 6. die 30. Junii, verſ. Secundum Dubium, pagin.* 201. quòd ſcilicèt vix dari poſſit hujuſmodi caſus, nempè, ut hæc Commemoratio S. Pauli ſit transferenda ultra totam Octavam SS. Apoſtolorum ob Feſta infra eam occurrentia, vel etiam duplicia anteriùs translata: ſiquidem poteſt eſſe impedita ex integro Octava à ſolis Feſtis occurrentibus: nam, prӕter plura, quӕ adducere poſſem, exempla; ſequens tantùm inserviat pro omnibus. Itaque Pragӕ, & in toto Regno Bohemico, incidente Die Octava SS. Corporis Chriſti in diem trigeſimam Junii, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, ſic ibi regulatur Officium per totam Octavam, videlicet: *Die 30. Junii, Fer. 5. Dies Oct. SS. Corpor. Chr. dupl.* = *Die 1. Julii, Fer. 6. Dies Oct. S. Jo: Bapt. dupl.* = *Die 2. Julii, Sabb. Viſitat. B. M. V. dupl. maj.* = *Die 3. Julii, Domin. infr. Oct. & 2. poſt. Pent. de ea, ſemidupl.* = *Die 4. Julii, Fer. 2. Feſt. dup. 1. claſſ. de S. Procopio Abb. Regniq. Patr.* = *Die 5. Julii, Fer. 3. S. Eliſabeth Vid. Reg. Portugall. ſemidupl.* olim dies ibi fixa, = *Die 6. Julii, Fer. 4. Dies Oct. SS. Apoſtolor. dupl.* = *Die 7. Julii, Fer. 5. Commem. S. Pauli, quӕ poſt. dupl. fuit 30. Junii:* Ecce igitur extra totam Octavam repoſita, juxta Rubricas.

Sed nec mihi videtur omninò metaphyſicus alius caſus transferendi ſimul ipſum Feſtum SS. Apoſtolorum & eandem Commemorationem S. Pauli, ac utrumque Officium celebrandi translatum extra totam Octavam: nam, ut utamur exemplo præcedenti, in aliqua Eccleſia Civitatis, vel in alia illius vaſtiſſimi Regni Bohemici, poteſt die vigeſima nona Junii occurrere Dedicatio propriè illiuſmet Eccleſiӕ, die verò ſequenti, ſcilicèt trigeſima ejuſdem Menſis incidere univerſaliter Dies Octava SS. Corporis Chriſti: Ergo ibi die ſeptima Julii fiet de Feſto utriuſque Apoſtoli die verò ſequenti ibi non impedita, quia jam a-

ctum eſt de S. Eliſabetha die quinta in Feria tertia, ut ſupra vidimus, agetur de altero translato, ſcilicèt de dicta Commemoratione S. Pauli. Imò poſſunt duę ſucceſſivę Dedicationes occurrere in aliqua Civitate, quarum una ſit Eccleſię Cathedralis & occurrat die vigeſima nona Junii, ſive ut tali die, ſive ut tali Dominica in talem diem incidente: & altera Dedicatio poteſt venire die trigeſima ejuſdem Junii in Eccleſia particulari ejuſdem Urbis; & ſic in una & eadem Eccleſia fieret translatio utriuſque Officii, celebrandi forſan infra eandem Octavam: ut quando Segnię in Dalmatia ſit de Dedicatione illius Cathedralis in Dominica quarta poſt Pentecoſten, & occurrit aliquo anno in die Feſto SS. Apoſtolorum: poteſt in aliqua Eccleſia ejuſdem Urbis, vel in Eccleſia Foranea illius Diœceſis (ſi Dedicatio Cathedralis ſit etiam ibidem duplex primę claſſis) facilè incidere in diem trigeſimam Junii Dedicatio particularis; & ideò contingeret ibi translatio & Feſti SS. Apoſtolorum propter Dedicationem ejuſdem Cathedralis Eccleſię, & translatio Commemorationis S. Pauli propter Dedicationem ſpecialem alterius Eccleſię de Civitate vel Diœceſi.

882 Attamen major difficultas videtur in hoc eſſe, nempè, quid agendum, quando ſolum Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli transferri contingat, prout mihi bis contigit in Directorio Segnienſi de Anno 1721. & 1727. ob Dedicationem illius Cathedralis in Dominica quarta à Pentecoſte occurrentem, de qua ſupra mentionem feci. Guyetus ſolus, quod ego ſciam, caſum hunc & proponit & reſolvit *loco proximè citato, verſ. Secundò, dict. pag.* 262. ibi enim non aſſentitur, quòd dictum Feſtum transferatur ſolum, ſed illud repoſitum in die immediatè ſequenti, etiamſi occurrat Dominica, facit ut transferat Commemorationem S. Pauli eo die occurrentem, quę ſic translata reponatur poſtmodum in Die infra Octavam primò libera. Potiſſima ejus ratio ſic agendi

gendi eſt, quia non debet fieri de ſupplemento Feſti ante Feſtum præcipuum: ſed Commemoratio S. Pauli ſtat pro ſupplemento Feſti: ergo ſi Feſtum præcipuum celebraretur translatum die tertia vel quarta Julii; celebraretur poſt ſupplementum Feſti: hoc eſt abſurdum: ergo transferendum eſt in diem Commemorationis S. Pauli, etiam occurrente Dominica, ipſa translata Commemoratione in Diem non impeditam infra Octavam. Sic videtur velle argumentari Guyetus. Attamen, ſi Commemoratio prædicta data eſt pro ſupplemento Feſti, eſt ſupplementum Urbis, non Orbis, ut patet ex ſuperiùs dictis de ejus inſtitutione, ubi quia Papa una eademque die non poterat, niſi magno labore, in utraque Baſilica celebrare, ſupplevit die ſequenti cum hoc Officio Commemorationis: & ſimul voluit, ut Baſilica S. Pauli de Urbe, quæ eſt una ex præcipuis cum magno Populi concurſu, integrum haberet Feſtum de ſuo Titulari cum Officio omninò proprio.

Quod igitur eſt Feſtum in Urbe, nuncupatur Commemoratio in Orbe, nec ejus extenſio facit ſupplementum generale: nam etiam Feſtum præcipuum nonnulla continet utrique Apoſtolo communia, ſcilicet utrumque Hymnum, Lectiones ſecundi Nocturni, Antiphonam in ſecundis Veſperis ad Magnificat, nec non Orationem, quæ omnia faciunt, ut Commemoratio S. Pauli poſſit per ſe ſtare cum ſuis propriis, prout ſi infra hanc Octavam occurreret ejus Converſio. Præterquàm quòd in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, hæc Commemoratio inſcribitur *Natale S. Pauli*, ex quo videtur inferri, quòd Papa intellexit inſtituere alium diem fixum pro ejus Die Natalitio: unde ibi, ſcilicet, *Oper. tom.* 3. *pagin. mihi* 133. ſic revera habetur: *Pridie Kalendas Iulii: Natale S. Pauli*: ubi Hugo Menardus *nota* 429. ad dicta verba Gregoriana, *Natale S. Pauli*, ut oſtendat, quòd hoc ſic ubique invenitur, ait: *ita in editis, & in aliis codicibus manuſcriptis, quem-* 883

Q 4 admo,

admodum & in Ordine Romano: at in Miſſali Romano eſt Commemoratio S. Pauli Apoſtoli. Quod ergo nos dicimus Commemorationem, eſt Natale S. Pauli hodie celebratum & heri occurrens: & conſequenter poteſt per ſe ſtare in caſu translationis Feſti præcipui. Unum tamen libenter ſcire cupio, cui ſcilicet Rubricæ innitatur Guyetus, ut ex ea aliquo modo inferre valeat, quòd Feſtum translatum excludere poſſit Officium duplex occurrens ſine facultate Apoſtolica. Quod autem nullatenus mihi probatur: in Dominica nunquam reponitur Feſtum translatum, quæ ſoli duplici occurrenti locum concedit. Itaque in hujuſmodi caſu, retenta in ſua propria ſede (ut reor) Commemorationem S. Pauli, transferendum eſt ſolum Feſtum SS. Apoſtolorum juxta Rubricas, ſcilicet, vel infra ſuam Octavam ſi adeſt locus, vel extra eam ſi nullus detur dies liber: prout ego tranſtuli ſolum Feſtum præcipuum in duobus Annis Segnienſibus ſupra citatis, nempe ad diem tertiam in Feria quinta, ſeu in diem quintam infra eorum Octavam.

Quotieſcumque verò ſit transferenda dicta Commemoratio S. Pauli, ſive in Eccleſia Univerſali ratione Diei Octavę SS. Corporis Chriſti ſimul incidentis quandoque, ſive in Eccleſia particulari ratione alicujus Feſti ibidem occurrentis ritu gaudentis majori aut dignitate, ſive transferatur ſola, aut etiam cum Feſto pręcipuo, reponenda erit in primam Diem infra Octavam Dominica vel Feſto non impeditam, & totum Officium fit ut in propria Eccleſia: utrumque enim docet Rubrica poſita ante diem trigeſimam Junii in Breviario. Nulla autem eſt major ratio de Commemoratione S. Pauli non transferenda in Dominicam, ac de Feſto pręcipuo SS. Apoſtolorom, ſi ſit transferendum etiam in caſu Guyeti ſupra memorato. Debet verò cedere in translatione non ſolùm cuivis Duplici translato prioritatem temporis habenti, ſed etiam Feſto ſemiduplici, quod alicubi occurrebat in Dominica infra O- 884

ctavam

ctavam, ut ex ſuperiùs dictis vigore Rubricę Generalis *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub num.* 5. eſt transferendum in Feriam ſecundam immediatè ſequentem non impeditam, nam ſi duplex ſecundę claſſis ex declaratione Sacrę Rituum Congregationis ſuper dictam Rubricam facta, cedit hujuſmodi Feſto ſemiduplici, multo magis cedere debet hęc Commemoratio S. Pauli, quę habere videtur ritum duplicem minorem, & conſequenter inferiorem.

Poſt Commemorationem S. Pauli ſequitur immediatè Dies Octava S. Joannis Baptiſtæ, quæ occurrit prima Julii, in cujus Officio ad Laudes fit commemoratio de Die tertia infra Octavam SS. Apoſtolorum. Quòd ſi hodie incidat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quinta ordinis perpetui, fit in ea ad Laudes priùs commemoratio de dicta Die Octava S. Joannis, deinde de SS. Apoſtolis. At quid dicendum, ſi hodie alicubi veniat aliqua Dies infra Octavam de Patrono Loci? Eritne facienda primo loco commemoratio SS. Apoſtolorum, vel potiùs Patroni? Danda erit prima commemoratio SS. Apoſtolis, tum ratione tum etiam exemplis inferiùs referendis contra Guyetum *dicto verſ. Secundo*, *pag.* 262. Non ita tamen dicendum de Die alicubi occurrente infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ, nam priùs facienda eſt commemoratio de ea tanquàm de digniori, deinde de Octava SS. Apoſtolorum tanquàm minùs digna: ſic Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata Divinæ Sapientiæ vulgo *S. Soffia* fit priùs commemoratio de quinta Die infra Octavam Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ, deinde de SS. Apoſtolis. Ubi autem occurrit Dies Octava Dedicationis, & ſimul incidat generaliter Dies Octava SS. Córporis Chriſti (quæ ſimultanea occurrentia raró contingit, licèt contigerit anno 1734. in quo primum Tomum ſcribebam de Octavis Privilegiatis) ad Laudes de Die Octava digniori fit commemoratio priùs de Die Octava S. Joannis,

nis, deinde de Die Octava Dedicationis (ex Decretis alibi relatis *in Aquilejen.* & *in Einſidlen.*) & ultimo loco de Die tertia infra Octavam SS. Apoſtolorum. At ſi hodie alicubi occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, data in Laudibus commemoratione Diei Octavæ S. Joannis, nihil fit de Apoſtolis: ita quando Dominica quarta poſt Pentecoſten incidit in hanc diem primam Julii, ut in Tabula vigeſima quinta, Segniæ in Dalmatia à parte Imperii occurrit Dedicatio illius Eccleſiæ Cathedralis, quæ cùm ſit duplex primæ claſſis apud Clerum Sæcularem, ſecundæ verò claſſis apud Clerum Regularem in eadem Civitate commorantem, omittitur ab utroque commemoratio SS. Apoſtolorum: ita fit Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Martialis Epiſcopi & Confeſſoris, vulgo *San Marcilian*, ubi hodie occurrit Feſtum ejuſdem Titularis, quod ibi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, ut clarè patet: & ſub eodem ritu in Eccleſia Abbatiali Vangaditienſi in Agro Patavino fit hac die de S. Theobaldo Confeſſore, Badiæ Patrono. Prædicta autem omnia ſervanda ſunt die tertia Julii in Feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, addita vel omiſſa commemoratione Feſti ſimplicis, juxta varios caſus particularis occurrentiæ, vel etiam ratione ipſius Viſitationis vario ritu per Orbem celebratæ, de quo infra.

§. VII.

§. VII.

De iis, quæ ſpectant ad ſecundum triduum infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

SEcundum triduum infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli eſt ſemper omninò liberum in Eccleſia Univerſali, ita ut Officium ſit de Diebus infra Octavam, niſi in aliquo ex his tribus Diebus occurrat Dominica, quia tunc duo tantùm Dies non ſunt impediti. In Eccleſiis verò particularibus poteſt eſſe unus dumtaxat Dies, nam Torcelli in Dominio Veneto, & prope Venetias, die tertia Julii, quæ eſt quinta infra Octavam fit de Feſto S. Heliodori Patroni, & ideò quando die quarta ejuſdem Menſis venit Dominica, unus ibi ſolummodò Dies habetur non impeditus, nempe quintus Julii, qui eſt ſeptimus Octavæ: ita Auguſtæ Vindelicorum in Rhætia, ut obſervavi in mea perluſtratione Germaniæ, die quarta ejuſdem Menſis celebratur Feſtum Patronale S. Udalrici Epiſcopi & Confeſſoris, cujus ratione, ſi Dominica incidat in diem tertiam vel quintam Julii, etiam ibi fit uno tantùm die Officium infra Octavam SS. Apoſtolorum. Nullum autem habet Diem infra Octavam non impeditum Praga, totumque Regnum Bohemicum, nam ſi dies tertia ejuſdem Menſis occurrat Dominica, die quarta fit de S. Procopio Patrono, die verò quinta ſeu ſeptima infra Octavam de SS. Apoſtolis Officium eſt de S. Eliſabetha Vidua Regina Portugalliæ, cujus 886

Fe-

Feſtum eſt ibi ea die fixum ſub ritu ſemiduplici.

Officium autem dictorum trium Dierum ſecundi tridui infra hanc Octavam SS. Apoſtolorum, nihil ſumit de Feſto primario., ſed totum de Communi Apoſtolorum. In primo tamen Nocturno dicuntur Lectiones de Scriptura occurrente: ſed in ſecundo ſunt ſemper propriæ: in tertio verò Nocturno citatur quotidie in Breviario diverſa Homilia in Evangelium Matthæi *Ecce nos reliquimus omnia*. Mutatio autem Evangelii, quod eſt aliud à Feſto, non facit, ut impedita aliqua ex dictis tribus Diebus infra Octavam à Feſto novem Lectionum, dicenda ſit in eo ad Matutinum nona Lectio illius Homiliæ, prout priùs generaliter de omnibus Octavis, deinde ſpecialiter in præciſis terminis hujus Octavæ, etiam remiſſivè ad Octavarium Romanum, benè notat Gavantus *tom. 2. ſect. 3. cap. 11. ſub num. 36.* Ad Laudes tamen in dicto Officio infra Octavam poſt Hymnum de Communi Apoſtolorum, nempè, *Exultet Orbis gaudiis*, dicitur Verſiculus *Conſtitues eos Principes, &c.* cum ſuo Reſponſorio *Memores erunt, &c.* Antiphona verò ad Benedictus, *Petrus Apoſtolus, & Paulus Doctor Gentium*, ut in Breviario adnotatur, cum Oratione de Feſto, quæ eſt utrique Apoſtolo communis, ſcilicet, *Deus, qui hodiernam diem, &c.* quæ dicitur unica, niſi alicubi occurrat facienda aliqua commemoratio, prout contingere poteſt commemoratio de Die infra aliam Octavam minùs dignam, de qua ſtatim infra eſt ſermo exemplificatus. 887

Quænam igitur dicenda ſit Octava minùs digna ad effectum ei tribuendi ſolam commemorationem in Officio de Die infra hanc Octavam SS. Apoſtolorum, neſcirem profectò, ſi loquamur de Octava, cujus Feſtum gaudeat ritu duplici primæ claſſis, & ſit Octava alicujus Sancti: nam attenta opinione Guyeti *in Heortolog. lib. 4. ſect. 2. cap. 8. quæſt. 9. verſ. Secundò, pag. 262.* ſi occurrat in noſtro Feſto Patronus principalis 888

Loci

Loci, vel Titularis Eccleſiæ, tranſlato Feſto SS. Apoſtolorum, agendum eſt de Patrono vel Titulari, & conſequenter poſita hac opinione, Feſtum illud eſt dignius Feſto de SS. Apoſtolis: ex quo inferre debeo, quòd infra Octavam agendum ſit de Patrono vel Titulari tanquàm de digniori, cum commemoratione de Octava SS. Apoſtolorum tanquàm minùs digna. Attamen, ſi verum fateri volo, & cum pace tanti Auctoris, hæc opinio mihi non probatur, quam idcirco ſequi non valeo: ſiquidem in paritate ritus quoad Feſtum alicujus Sancti, quis non videt majorem dignitatem competere noſtris SS. Apoſtolis? Ipſi enim in Litaniis precedunt omnibus Sanctis poſt S. Joſephum, & quando alia ratio majoris dignitatis haberi non poteſt, eam deſumendam eſſe à loco Litaniarum; plures firmiter tenent. Dicta autem major dignitas non tollitur meo judicio per qualemcunque ſolemnitatem Patroni vel Titularis: nam ſolemnitas poteſt quidem decorem augere Feſtivitati, non autem majorem dignitatem tribuere. Data itaque præcedentia Feſto SS. Apoſtolorum, acquiritur conſequenter & eis precedentia infra Octavam, cum commemoratione Sancti Patroni vel Titularis. Hę autem rationes mihi videntur valere, preſertim ubi nulla aſſignatur à Guyeto ad tuendum oppoſitum.

Quoniam verò Guyetus *loco ſupracitato* dat exemplum pro ratione, quia ſcilicet Argentonii, ſeu in Argentomacho Caſtro Diœceſis B'turienſis fit de Feſto S. Marcelli Martyris in Eccleſia ſui nominis, tranſlato Feſto SS. Apoſtolorum: & revera de illo Sancto mentionem facit eodem die Martyrologium Romanum: ego revera plura aſſigno in contrarium exempla, quorum multitudine fulcitur mea opinio. Itaque Torcelli prope Venetias, die tertia Julii fit de S. Heliodoro Epiſcopo & Confeſſore Urbiſque Patrono; & die quarta fit de Octava SS. Apoſtolorum, cum commemoratione Patroni: Sic Auguſtæ 889

Vinde-

Vindelicorum in Rhetia die quarta ejuſdem Menſis celebratur. Feſtum S. Udalrici Epiſcopi & Confeſſoris ac Patriarchæ & magni Patroni, ut dicitur in Directoriis illius Civitatis & Diœceſis, & die quinta fit ibi Officium de ſeptima Die infra Octavam SS. Apoſtolorum, cum commemoratione Patriarchæ & magni Patroni: Sic impedita die prima & ſecunda Julii à Feſtis univerſalibus de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, & de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, Tridenti in Comitatu Tyrolenſi fit ad Laudes dictorum duorum Feſtorum priùs commemoratio de SS. Apoſtolis, deinde de S. Vigilio Epiſcopo & Martyre ac Patrono principali. Sic Auguſtæ Taurinorum die prima Julii commemoratio SS. Apoſtolorum habet priorem locum, cui ſubſequitur illa de Die ſeptima infra Octavam S. Maximi Epiſcopi & Confeſſoris ac Patroni. Sic denique Pragiæ & in toto Regno Bohemico, die quarta Julii occurrit Feſtum S. Procopii Abbatis & Patroni, & die ſequenti impedita à Feſto fixo S. Eliſabethæ Viduę fit in Laudibus commemoratio Patroni poſt SS. Apoſtolos. Hęc autem ceſſio loci SS. Patronorum infra Octavam de SS. Apoſtolis fecit etiam legitimè inferre, quòd ſi occurrerent in ipſo Feſto SS. Apoſtolorum, cederent eidem pro indubitato. Si ergo SS. Patroni cedunt occurrentes in Feſto digniori, debent etiam cedere infra Octavam, juxta regulam Juris, *Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis*. Iſta autem ſunt plura exempla integrarum Civitatum & Diœceſum, quę certè prævalere debent unico exemplo unius dumtaxat particularis Eccleſię relato pro ſe à Guyeto.

Illud quoque hoc loco notandum eſt, quòd ubi Feſtum Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis eſt duplex ſecundæ claſſis cum Octava, prout eſt Recineti in Marchia Anconitana, Senogalliæ in Ducatu Urbinatenſi, Piſis in Tractu Piſano Thuſcię, & Aſturiæ in Hiſpania, Officium ibi debet eſſe, & de facto eſt hiſce tribus diebus de Octava SS. 890

Apo-

Apoſtolorum, cum commemoratione Viſitationis: Licèt enim ratione Perſonæ Beata Virgo Maria ſit dignior SS. Apoſtolis, quæ cæteroquin dignior eſt omnibus Choris Angelicis, ratione tamen ritus ipſiſmet Apoſtolis cedit: unde in noſtris præciſis terminis Viſitationis benè ait Guyetus, quòd dignitas Perſonæ non attenditur, niſi in æqualitate ritus, ut videre eſt apud ipſum *in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. capit. 6. quæſt. 5. verſ. Tertiò, pag. mihi 252. juxta edit. Venet. de Anno* 1729. *poſt Pariſien. de Anno* 1657. Verùm quidem eſt, quòd in Reſponſorio brevi ad Primam dici debet Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & in fine Hymnorum ad omnes Horas dicenda eſt clauſula de Beata Maria, nempè, *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*: ſed ſi in aliqua Eccleſia ejuſdem Loci, ubi Viſitatio habet Octavam, fiat Feſtum de Communi plurimorum Martyrum, cum Hymnis de eorum Communi, ad Matutinum non mutatur ſtropha finalis, propter illa verba, *Ut Martyrum conſortio jungas precantes ſervulos*, quæ faciunt clauſulam propriam, & conſequenter retinendam.

At quia dictus Guyetus *ibidem* in præfata occurrentia Octavarum infert & quidem legitimè locum Apoſtolis ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis de Anno 1704. ſub die 16. Octobris, relato etiam à Gavanto *tom. 2. ſect. 8. cap. 5. ſub numer. 4.* in quo revera habetur, quòd *ſi Eccleſiæ Dedicatio occurrat in Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis* (quòd in Eccleſia Univerſali eſt duplex ſecundæ claſſis) *fiat de ea, & infra Octavam fiat de digniori*, nempe de Dedicatione: ne quis forſan dictum eſſe cenſeat, quia Dedicatio eſt Feſtum Domini, & ideò dignius eodem Feſto Nativitatis: præfata Sacra Congregatio declaravit, quòd Feſtum qualecunque duplex primæ claſſis cum Octava, in concurrentia cujuſvis alterius Feſti, etiam de Beata Maria, celebrati ſub ritu duplici ſecundæ claſſis itidem cum Octava, agendum ſit infra Octavam de primo, cum commemora- 894

moratione ſecundi: Declaratio autem eſt illa, quæ ſequitur, videlicèt: *Propoſitis in Sacra Rituum Congregatione, ad humillimas preces Decani, & Capituli Cathedralis Curienſis, ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinale Coloredo infraſcriptis Dubiis, &c.* quorum ſecundum, cæteris omiſſis, eſt tenoris ſequentis, nempè: *Quando duæ Octavæ ſimul occurrunt, ſcilicet, Patroni principalis ſub ritu duplici primæ claſſis, & Beatæ Mariæ Virginis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, de quo infra Octavam eſt dicendum Officium?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio in dicta Curien. ad ſecundum Dubium reſpondit: *Recitandum Officium de Patrono principali, cum commemoratione de Octava Beatæ Mariæ Virginis: Hac die 19. Junii 1700.* Dictam verò Declarationem, unà cum aliis novem eadem die emanatis, ſed modò ad noſtram rem non facientibus, aſſervo Domi in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii.

Ubi verò dictum Feſtum Viſitationis eſt duplex primæ claſſis, prout eſt Laureti in Provincia Picena, Pragæ in Bohemia, Zamoræ in Hiſpania, præter nonnullas Orbis Eccleſias, in quibus Viſitatio eſt Titularis, ut Venetiis in Eccleſia Parochiali Sanctæ Mariæ de Littore, Presbyterorum Sæcularium Congregationis Oratorii, Regularium Dominicanorum Reformatorum vulgò *le Zattere*, & Monialium Ordinis S. Benedicti vulgò l'*Umiltà*: ibi certò certius agendum eſt de Die infra Octavam Viſitationis, cum commemoratione de Octava SS. Apoſtolorum: & in diebus impeditis à Feſto novem Lectionum, commemoratio Viſitationis facienda eſt ante SS. Apoſtolos: ob eam rationem, quia ſicuti data ritus inæqualitate, claſſis ſuperior præferri debet claſſi inferiori, licet aliundè Perſona ſit dignior, ut benè advertit Guyetus *in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. cap. 6. quæſt. 5. verſ. Tertiò, pag. 252.* ita in paritate ritus attendenda eſt dignitas Perſonæ: & conſequenter dignior eſt in Eccleſiis prædictis 892

Dies

Dies infra Octavam Viſitationis Die infra Octavam SS. Apoſtolorum. Sed & eſt alia Octava, quæ locum habet ab hac Octava de SS. Apoſtolis Petro & Paulo, & eſt illa de Dedicatione Eccleſiæ, quæ cùm ſit Feſtum Domini, ritumque habeat æqualem in Eccleſia propria, vel per Civitatem ſi ſit Dedicatio Cathedralis, ratione majoris dignitatis præferri debet Octavæ SS. Apoſtolorum; ſic Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Marinæ Virginis die prima Julii occurrit Dedicatio ejuſdem Eccleſiæ, & ideò ibi diē ſecunda ejuſdem Menſis fit priùs in Laudibus de Viſitatione commemoratio de ſecunda Die infra Octavam ejuſdem Dedicationis, deinde de quarta Die infra Octavam SS. Apoſtolorum: reliquis verò diebus non impeditis fit Officium de Dedicatione, cum commemoratione de SS. Apoſtolis. Patet ex dictis, quòd hæc Octava SS. Apoſtolorum modò præcedit aliis Octavis, modò verò cedit, juxta illarum ritum, vel majorem aut minorem dignitatem Perſonæ.

Quoniam autem ideò aliquid diximus de Feſto 893
Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis pluribus in Locis Octavam habente, ut ex vario ritu, quo in eiſdem ſolet celebrari, inferre poſſemus, quid ejus ratione dandum, quidve tollendum ſit Octavæ SS. Apoſtolorum: non judicamus abs re penitùs fore, ſi quamdam opinionem de eodem Feſto Viſitationis hoc ſuo loco referamus. Itaque Joannes Baptiſta Halden *in Ephemerolog. par. 2. tit. 7. die 2. Julii, pag. 210.* tenet, quòd ubi dicta Viſitatio eſt Titulus Eccleſiæ, & conſequenter Feſtum duplex primæ claſſis, ſi die ſequenti fiat ibi de Feſto Dedicationis ſub eodem ritu, Veſperæ ſecundæ de eadem Viſitatione debeant eſſe integræ, cum commemoratione de ſequenti Dedicatione: & hoc dicit remiſſivè ad *par. 3. ejuſd. Ephemorolog. tit.* 3. ubi hoc infert ex Feſto Aſſumptionis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, in quo revera transfertur Dedicatio, ſi in diem incidat decimamquintam Auguſti, vigore tum Ru-

bricæ Generalis Breviarii *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub numer.* 1. tum etiam ex Rubrica prima ſeu primo Notando, quod legitur *poſt Tabell. Occurren. in eod. Breviar.* unde per dictum Halden ſi Dedicatio Cathedralis occurreret dicta die Viſitationis in Eccleſia propria, ſive ut tali ſecunda die, ſive ut Dominica prima Menſis, ſive ut Dominica determinati numeri poſt Pentecoſten quandoque incidens in dictam diem ſecundam Julii, transferenda foret Dedicatio Cathedralis, & Viſitatio celebranda in Eccleſia ejus Tituli: & quia, ut alibi diximus, Acceſſorium ſequitur naturam ſui Principalis, infra Octavam agendum eſſet de Viſitatione, cum commemoratione Dedicationis.

Attamen, ut verum fatear, mihi videtur illatio à Privilegio ad non privilegium: non enim Aſſumptio Beatæ Mariæ Virginis transferre facit Feſtum Dedicationis, quia eſt duplex primæ claſſis, prout eſt Dedicatio, ſed ratione Privilegii illi unicè conceſſi. Cùm enim eo die illam tota ſanctiſſima Trinitas coronaverit, & ipſa ſola eodem die incæperit & conſtituerit hierarchiam ſub Deo trino & primo hierarcha, ut de ea ſic ait devotiſſimus Joannes Gerſonius: ac propterea gaudeant Angeli, & lætentur Archangeli de eorum Domina ac Regina: conveniens etiam erat in Terris ut nullum Feſtum impediret ejus ſolemnitatem, quam idcircò Durandus appellat Feſtum majus omnibus aliis, quæ fiunt de illa, ut videre eſt apud ipſum *in Ration. Divinor. Officior. lib. 7. cap. 24. ſub num. 9. pag.* 295. ſi ergo eſt Feſtum majus, eſt etiam diſtinguendum ab aliis, eſt ergo privilegiatum: ergo translatio Dedicationis in eo occurrentis eſt quid ſpeciale illius ſolummodò Feſti. Præterquàm quòd facit etiam Gavantus, qui dum notat *tom. 2. ſect. 3. cap. 8. ſub num.* 7. quòd majora beneficia contulit Deus uni Deiparæ in ejus Aſſumptione, quàm contulerit toti militanti Eccleſiæ, & hoc aſſerit in terminis Dedicationis transferendæ: ergo transla- 394

tio ipſius Dedicationis eſt per Privilegium ſoli
Aſſumptioni conceſſum. His igitur poſitis ratio-
nibus, non valet meo judicio illatio: Dedicatio
cedit Aſſumptioni: ergo etiam Viſitationi in pa-
ritate ritus; nam caſus ſpecialis non traditur in
exemplum: tunc enim quod prædicatur de uno,
prædicatur de cæteris paribus, quando omnes
concurrunt qualitates paritatis: & ideo quod con-
ceditur per Privilegium, ſine illo fieri non po-
teſt, *l. jus ſingulare, ff. de leg. Baldus conſil.* 281.
ſub numer. 3. *lib.* 5. Et facit, quod ego dixi in
mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer.*
margin. 1058. *pag.* 346. *juxta edit. Patern. de An-*
no 1730. Cùm enim Sacra Rituum Congregatio
in Decreto Urbis & Orbis, emanato ſub die 14. *Ju-*
894 *nii* 1692. ſpeciali Privilegio Feſtum Annunciatio-
nis Beatæ Mariæ Virginis volens decorare ſta-
tuerit ut ſi ſimul ſit transferendum Feſtum An-
nunciationis cum alio Feſto ejuſdem ritus, priùs
reponatur Annunciatio, deinde aliud Feſtum li-
cet priùs translatum. Itaque vigore hujus Privi-
legii ſpecialis, ſtatim adnotavi, quòd prioritas
temporis, & ritus æqualitas aliorum Feſtorum,
quæ cedunt Annunciationi ob ſpecialem reve-
rentiam Dominicæ Incarnationis, cedere non de-
bent aliis ejuſdem Beatiſſimæ Mariæ Virginis
Feſtivitatibus ſine novo Decreto, nam ante hu-
juſmodi Privilegium reponebatur abſque ſcrupolo
prius Feſtum S. Joſephi, deinde Annunciationis:
& ſic poſtmodum tenet Reverendiſſimus P. Me-
rati Sacræ Rituum Congregationis Conſultor,
in ſuis eruditis Additionibus ad Gavantum *tom.*
2. *par.* 1. *in Indice, ſub num.* 171. *pag.* 671. jux-
ta primam editionem Romanam de Anno 1738.

Quia tamen ſupra diximus, quòd de Patrono 895
Loci vel Titulari Eccleſiæ facienda eſt comme-
moratio poſt SS. Apoſtolos Petrum & Paulum,
non ita tamen intelligimus cedere debere, ut
etiam Dies ejus Octava illis locum concedat, ſi
ſit impedita ab aliquo Feſto duplici primæ vel
ſecundæ claſſis juxta Rubricas, vel altero Officio

ritus quidem inferioris: ſed ex Privilegio Apoſtolico celebratur de præcepto, cum commemoratione Diei Octavæ, & poſtmodum de SS. Apoſtolis: nam Regii in Ducatu Mutinenſi, die ſecunda Julii celebratur Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis ſub ritu duplici majori, ut in Eccleſia Univerſali, & nihilominus ex Privilegio Pontificio in Laudibus ejus Officii fit commemoratio de Die Octava S. Proſperi Patroni, & de SS. Apoſtolis, ac Feſti ſimplicis, ut patet ex Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 12. *ſub num.* 20. & ex eo refert etiam Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 7. *verſ. Standum item Clerò Regienſi*, *pag.* 255. Licet autem Dies Octava habeat locum à Feſto duplici majori ſimul occurrente, ut de facto habet, & probat ipſe Gavantus *dict. tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 13. ac plura dat exempla Octavarium Romanum ibidem videnda; nihilominus Privilegium derogat Legi, in Loco tamen dumtaxat conceſſionis ſpecialis: & ſine hujuſmodi Privilegio duplex majus transfertur, & fit de Die Octava: ut in terminis præciſis de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, Sacra Rituum Congregatio *in Aquilejen. anno* 1688. *ſub die* 21. *Auguſti*, decrevit, quòd occurrente Die Octava Dedicationis in Feſto ejuſdem Viſitationis, faciendum ſit Officium de Die Octava, translato Officio Viſitationis: ut habet P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 244. *pag.* 684.

Quia verò quandoque transfertur Feſtum principale, & interdum etiam Commemoratio S. Pauli, ideò tunc alicubi transferri contingit ipſum Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & infra hanc propriam eorum Octavam translatum collocari, quando in eo occurrit Dedicatio Eccleſiæ, quæ cum ſit dignior SS. Apoſtolis, ejus occurrentia facit transferri prædictum Feſtum. Caſus bis mihi accidit in Kalendario ſeu Directorio Segnienſi, quod ego de mandato illius Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Epiſcopi quotis anno 896

com-

componò, Segniamque transmitto in Dalmatia à parte Imperii. Annis igitur 1727. & 1732. die vigeſima nona Junii occurrebat Dominica quarta poſt Pentecoſten, in quam ut talem numero incidit Segnię Dedicatio Eccleſię: & ideo ibi Feſtum SS. Apoſtolorum translatum fuit ad diem tertiam Julii in Feria quinta, in qua ad Laudes omiſſa fuit commemoratio de Dedicatione Cathedralis, & diebus pręcedentibus nulla facta eſt commemoratio de SS. Apoſtolis, ſed tantùm de eadem Dedicatione. Commemoratio denique S. Pauli Apoſtoli transfertur infra hanc Octavam, quando in ea venit Dies Octavà SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui. In hujuſmodi caſu transfertur in Eccleſia Univerſali ad diem quartam Julii in Feria ſecunda, & omnia dicuntur, ut in Eccleſia propria, in qua cęteroquin non transfertur, ſed celebratur propria die, cum commemoratione priùs de S. Petro; deinde de dicta Die Octava SS. Corporis Chriſti, ut alibi diximus. Quando tamen die trigeſima Junii occurrit Dominica quarta poſt Pentecoſten, ut in Tabula vigeſima quarta, & continget annis 1743. & 1754. tunc Segnię dicta Commemoratio S. Pauli transferetur quidem ad diem tertiam Julii, ſed in Feria quarta, & recitato Officio, ut in Eccleſia propria, fiet quidem in Laudibus commemoratio, de quarta Die infra Octavam Dedicationis Cathedralis, ſed poſt illam de S. Petro.

Ad complementum autem horum Dierum in- 890
fra Octavam SS. Apoſtolorum, illud tantùm reſtat notandum, quòd die quinta Julii, quę eſt ſeptima infra hanc Octavam, ad Primam annuncianda eſt primo loco in Lectione Martyrologica *Octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli*, prout revera ponitur in Martyrologio Romano. Et quidem pronuncianda eſt etiam in Loco, ubi forſan Feſtum dictorum SS. Apoſtolorum non habeat Octavam, prout non habet in Eccleſia Novionenſi, teſte Guyeto *in Heortolog. libr. 2. ſect. 4. capitul.*

ſitul. 14. quaſt. 3. pagin. 125. ubi de ratione, quia ſcilicèt, ſicuti non omittuntur multa Feſta in Martyrologio diſcripta, de quibus juxta uſum Eccleſiarum particularium nihil in Officio fieri non rarò contingit: ita non omittenda annunciatio hujus Diei Octavę, licèt alicubi non fiat forſan Officium: nam ſufficit, quòd ferè ubique Octava celebretur, ut veritas verborum Martyrologii ſit manifeſta. Dixi autem, quòd hęc Dies Octava pronuncianda eſt *primo loco*, quia non ſupponitur, quòd alicubi ſit ab aliquo Feſto digniori vel altioris ritus impedita. Quòd ſi alicubi impediatur ab Octava digniori, prout eſt Dies Octava Dedicationis Eccleſię, vel à Feſto duplici primę vel ſecundę claſſis, ut infra videbimus, ibi *primo loco* annuncianda erit illa Dies Octava dignior, vel illud Feſtum ritus altioris.

Guyetus tamen *loco proximè citato, qu. 4. verſ. Secundò, pagin.* 126. ſentit, quòd annunciatio Feſti proprii non ſit in Martyrologio pręmittenda Diei Octavę: & ut clariùs intelligatur quod tenet, affert exemplum de S. Symphoriano Titulari Eccleſię occurrente in Die Octava Aſſumptionis Beatę Marię, ubi idcircò vult, quòd *primo loco* annuncietur Dies Octava, deinde Feſtum Titularis. Hoc tamen mihi (ut verum fatear) non ſatis probatur: dum enim ait, quòd disertè aſſerit Rubrica quarta Martyrologii, non videtur introducendum Dubium, nec poſtea in negativam reſolvendum: nam Dies Octava certo diei addicta, tunc mihi videtur illum prima omnium afficere, quando prima omnium eſt in Officio: ſed in noſtro caſu primum omnium in Officio eſt Feſtum duplex primę vel ſecundę claſſis, aut prima omnium eſt alia Dies Octava dignior: ergo illud vel illa eſt pronunciandum aut pronuncianda *primo loco*. Et cùm hoc ſit conformius dictę Rubricę quartę Martyrologii pręcipientis in prima annunciatione Feſtum, de quo in Loco principaliter ſit Officium, non video, cur 292

Digitized by Google

tur ſit poſtponendum dictę Diei Octavę. Eſt igitur opinio ſolius Guyeti, quam cum bona ipſius pace ego revera amplecti non valeo. Itaque Feſulis in Thuſcia annunciandum eſt *primo loco* Feſtum S. Romuli Epiſcopi & Martyris, Diſcipuli S. Petri Apoſtoli, & illius Urbis Patroni principalis, ac Titularis Eccleſię Cathedralis, deinde annuncianda ſecundo loco hęc Dies Octava SS. Apoſtolorum. Sic quando die ſexta Julii occurrit Dominica quinta poſt Pentecoſten, ut in Tabula vigeſima tertia ordinis perpetui, Segnię in Dalmatia pronuncianda eſt *primo loco* Dies Octava de Dedicatione Eccleſię Cathedralis, & ſecundo loco Dies Octava minùs digna de SS. Apoſtolis Petro & Paulo. Nec dubitat idem aſſerere Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 5. *capitul.* 21. *ſub numer.* 8. ubi data regula generali, nullam recognoſcit ſpecialitatem: & ideò ubi Lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere, *l. de pretio* 8. *ff. v. de public. in rem. act.* nec à veteri Jure recedendum eſt, niſi quatenus per novum inveniatur expreſſum, *l. Præcipimus* 32. *in fin. capitul. de appell.*

§. VIII.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Diebus infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

SI loquamur de primo triduo poſt Feſtum SS. 899
Apoſtolorum Petri & Pauli, certum eſt, quòd ſicuti ſemper illud eſt impeditum, ſic ſemper Miſſa dicenda eſt de tribus Feſtis duplicibus in Eccleſia Univerſali occurrentibus. Itaque die trigeſima Junii, quę eſt ſecunda infra hanc Octavam, Miſſa debet eſſe de Commemoratione S. Pauli Apoſtoli in colore rubeo, cum commemoratione S. Petri, & S. Joannis Baptiſtę: ac etiam cum aliis commemorationibus, ſi alicubi occurrant: ita Auguſtę Taurinorum fit quarto loco commemoratio de ſexta Die infra Octavam S. Maximi Patroni: & ſimiliter Regii in Ducatu Mutinenſi additur quarta Oratio de Die itidem ſexta infra Octavam S. Proſperi: ac Tridenti in Comitatu Tyrolenſi poſt commemorationem S. Joannis Baptiſtę dicitur Oratio de quinta Die infra Octavam S. Vigilii Patroni, cum Pręfatione ubique de Apoſtolis, ſcilicet, *Te, Domine, ſuppliciter exorare*. In Eccleſia verò S. Paulò dicata fit quidem commemoratio S. Petri, ſed non S. Joannis Baptiſtę. Quòd ſi in hanc diem trigeſimam Junii incidat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, Miſſa erit de illa Die Octava in colore albo,

cum

cum commemoratione priùs de S. Joanne Baptiſta, deinde de SS. Apoſtolis, quorum Oratio de Feſto, quę eſt utrique communis, & cum Pręfatione *Quia per incarnati Verbi myſterium*. In Eccleſia tamen S. Pauli dicitur Miſſa de Titulari, cum commemoratione priùs S. Petri, deinde de Die Octava privilegiata licèt duplicis ritus, & Pręfatio eſt Apoſtolorum. Quęcunque verò alicubi occurrat Dies Octava, Miſſa erit de ea in colore illi Diei conveniente, cum commemoratione priùs S. Joannis Baptiſtę, & poſtmodùm de SS. Apoſtolis. Si tamen in aliqua Eccleſia occurrat hodie Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, Miſſa dicitur de Feſto, omiſſa utraque commemoratione S. Joannis Baptiſtæ & Apoſtolorum, & nihilominùs Præfatio erit de Apoſtolis, niſi
899 forſan Feſtum habeat propriam. Tandem ſi in Commemoratione S. Pauli veniat Dominica, fit in Miſſa commemoratio Dominicæ ac priùs S. Setri, deinde S. Joannis Baptiſtæ cum Evangelio ejuſdem Dominicæ in fine.

Die autem tertia infra Octavam, quæ eſt pri- 900
ma Julii, Miſſa dicitur de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ in colore albo, cum commemoratione SS. Apoſtolorum, quorum ratione & *Credo*, & eorum Præfatio. At ſi occurrat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quinta ordinis perpetui (caſus rariſſimus) Miſſa erit de illa Die Octava digniori & privilegiata in colore albo, cum ſecunda Oratione de Die Octava S. Joannis, & Apoſtolorum, ac cum Præfatione *Quia per incarnati Verbi myſterium*. Quòd ſi alicubi hodie incidat Dies Octava Dedicationis Eccleſiæ Miſſa dicitur de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ in colore albo, & fit in ea commemoratio de Die Octava Dedicationis, cum tertia Oratione de SS. Apoſtolis, & cum eorum Præfatione. Ubi autem occurrit Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ut habet utrumque ritum Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis reſpectivè ad Clerum Sæcularem & Regularem in eadem Urbe, in Miſſa de

Dedi-

Dedicatione, ſeu de alio Feſto memorati ritus, ſecunda Oratio erit quidem de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, ſed tacenda tertia de SS. Apoſtolis, licèt dicenda ſit eorum Præfatio: ſic Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Marinæ Virginis, quia ibi in hanc diem primam Julii incidit Dedicatio ejuſdem Eccleſiæ: Sic itidem Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Martialis Epiſcopi & Confeſſoris, quia ibi occurrit hodie Feſtum ejuſdem Titularis, vulgò *S. Marcilian*: ſic denique in Eccleſia Abbatiali Vangaditienſi in Agro Patavino, quia ibi hac die prima Julii fit de S. Theobaldo Confeſſore Badiæ Patrono: quæ omnia & tria Feſta in ſuis reſpectivè Eccleſiis ſunt duplicia primæ claſſis. Occurrente tamen Dominica in Die Octava S. Joannis, in Miſſa de eadem Die Octava dicitur ſecunda Oratio ejuſdem Dominicæ, & tertia de SS. Apoſtolis, cum Evangelio ipſius Dominicæ in fine.

Die denique ultima primi tridui, quæ eſt 4. infra Octavam SS. Apoſtolorum, & ſecunda Julii, dicitur Miſſa de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis in colore albo, in qua Oratio ſecunda eſt de SS. Apoſtolis, & tertia de Feſto ſimplici SS. martyrum Proceſſi & Martiniani, cum Præfatione de Beata Maria *Et te in Viſitatione*. Ubi verò Viſitatio eſt duplex ſecundæ claſſis, ut ejuſdem ritus eſſe pluribus in Civitatibus & Diœceſibus vidimus ſupra, omiſſa in Miſſa de Feſto Oratione de SS. Apoſtolis, fit quidem in privatis commemoratio de Simplici, ſed non in ſolemni. Aſt ubi dicta Viſitatio celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, ut Laureti, Pragæ, ac in omnibus Eccleſiis eidem dicatis, in ejus Miſſa tam privata quàm ſolemni non fit commemoratio de SS. Apoſtolis, neque de Feſto ſimplici. Quòd ſi alicubi occurrat in hac die ſecunda Julii aliqua Dies Octava, translato Feſto Viſitationis, Miſſa dicenda eſt de illa Die Octava in colore congruente, & in ea fit commemoratio SS. Apoſtolorum, ac Feſti

ſti ſimplicis, cum Præfatione de Apoſtolis, niſi adſit propria, non attento, quòd Feſtum Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis ſit duplex majus, juxta ea, quæ ex Gavanto ſupra diximus, cum pluribus exemplis Octavarii Romani transferentis Feſta duplicia majora S. Michaelis Archangeli, S. Petri ad Vincula, & S. Mariæ ad Nives, pro celebratione occurrentium Dierum Octavarum SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, alterius S. Jacobi Apoſtoli, & S. Marthæ Virginis. Excipitur tamen ab hac regula Civitas Regienſis in Ducatu Mutinenſi, ubi ex Privilegio Apoſtolico Miſſa fit de Viſitatione ſub ritu duplici majori, ut in Eccleſia Univerſali, cum ſecunda Oratione de Die Octava S. Proſperi Patroni, & tertia de SS. Apoſtolis, ac quarta de Simplici. Si verò dicta die ſecunda Julii fiat alicubi de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, in Miſſa de illo Feſto fit vel reſpectivè omittitur commemoratio Simplicis, tacita tamen in utraque occurrentia Oratione de SS. Apoſtolis, licèt dicenda foret eorum Præfatio, ſi Miſſa de Feſto non haberet propriam. Quotieſcunque autem occurrat Dominica, in Miſſa de Viſitatione dicitur ſecunda Oratio de ea, tertia de SS. Apoſtolis, & quarta de Feſto ſimplici in Eccleſia Univerſali, cum Evangelio ejuſdem Dominicę in fine.

Quę hactenus diximus, ſpectant ad primum triduum infra Octavam SS. Apoſtolorum: nunc verò plura occurrunt dicenda de ſecundo triduo. 903
Itaque diebus tertia, quarta, & quinta Julii, quę ſunt quinta, ſexta, & ſeptima infra hanc Octavam, non occurrente Dominica, in Eccleſia Univerſali dicitur Miſſa propria horum trium dierum in colore rubeo, & conſequenter eſt alia à Miſſa Feſti, præter Orationes, quæ omnes & tres ſunt revera de Feſto. Dicitur in ea *Gloria*, cum ſecunda Oratione de Beata Maria *Concede*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*: quæ quidem ultima Oratio tacetur, ſi Sedes Apoſtolica vacaverit: & tunc tertiò loco dicerem Orationem pro eligendo

Sum-

Summo Pontifice, tanquàm pro re gravi, nempè,
Supplici, Domine, humilitate depoſcimus, &c. ut in
fine Miſſalis. Aſt ſi in aliquo ex dictis tribus die-
bus occurreret Anniverſarius Dies Creationis &
Coronationis Papæ, ſufficeret Oratio *Deus, omnium*
Fidelium Paſtor, citata in hac Miſſa infra Octavam
SS. Apoſtolorum: & videtur dicenda tertiò loco,
omiſſa Oratione Eccleſiæ, nam ſi eſt ad arbitrium
Sacerdotis dicere quamlibet ex illis duabus, ut
oſtendit ly *vel*, in dicta occurrentia Diei Anni-
verſarii Oratio *pro Papa* aſſumit rem gravem, &
ideò importat neceſſitatem dicendi. Idem cenſen-
dum videtur de Oratione *pro Epiſcopo*, ſi in unam
vel alteram ex hujuſmodi Diebus incideret Dies
Anniverſaria ejus Electionis & Conſecrationis,
cum illa differentia in Oratione, quòd pro Papa
dicitur *Eccleſia tua* tanquam Univerſali, pro Epi-
ſcopo verò *Eccleſia tua* tanquam particulari, &
ideò ponitur littera N. ut ſtatim exprimatur no-
men ſuæ Eccleſię, quę eſt tota Civitas cum Diœ-
ceſi. In dicta Miſſa infra Octavam dicitur et-
iam *Credo*, & Præfatio Apoſtolorum, quæ eſt
propria hujus Octavæ, nempè, *Te, Domine, ſup-*
pliciter exorare.

Ubi verò Feſtum Viſitationis Beatæ Mariæ 903
Virginis eſt duplex ſecundæ claſſis cum Octava,
adhuc præcedit Octava SS. Apoſtolorum, ex ra-
tionibus ſupra allatis, cùm de Officio in Diebus
infra hanc Octavam locuti ſumus: & ideò Miſſa
ibi erit de SS. Apoſtolis propria horum Dierum,
cum ſecunda Oratione de Viſitatione, ſed tertia
Oratio dicenda, erit *Eccleſia*, vel *pro Papa*, non
verò *Concede*, ne duæ dicantur Orationes de Bea-
ta Maria: ſed neque dicenda eſt tertia Oratio de
Spiritu Sancto, quia ex dictis Miſſa debet eſſe de
Apoſtolis, non autem de Viſitatione: & ex eadem
ratione dicitur Præfatio Apoſtolorum, non autem
de Beata Maria. Non ſolùm tamen Feſtum du-
plex ſecundæ claſſis Octavam habens, cedit infra
hanc Octavam SS. Apoſtolorum ſuam Miſſam Diei
infra eandem Octavam de Apoſtolis: ſed etiam

Feſtum

Feſtum duplex primæ claſſis, quòd alicubi celebratur cum Octava, ſi Octava ſit de aliquo Sancto, ſive Patrono Loci, ſive Titulari Eccleſiæ, ut jam ſatis (ut reor) ſuperque probavi in ſimultanea occurrentia Dierum infra plures Octavas Sanctorum: & ideò: Auguſtæ Vindelicorum in Rhetia die quinta ejuſdem Julii dicitur Miſſa eorundem SS. Apoſtolorum, in qua Oratio ſecunda eſt de ſecunda Die infra Octavam magni Patroni S. Udalrici: & tertia Oratio eſt *Concede*. Ratio autem eſt, quia in paritate ritus attenditur major dignitas Feſti, quæ certè in noſtro caſu debetur SS. Apoſtolis, ut ſupra oſtendimus.

904 Ubi verò occurrunt ſimul Dies infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ, Miſſa dicitur de eadem Dedicatione, & in ea Oratio ſecunda eſt de SS. Apoſtolis, & tertia *Concede*, cum Præfatione tamen Apoſtolorum. Itidem ubi Feſtum Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis eſt duplex primæ claſſis, & habet Octavam, ibi Miſſa eſt de eadem Viſitatione, ut in Feſto, cum ſecunda Oratione de SS. Apoſtolis, tertia verò debet eſſe de Spiritu Sancto, quia Miſſa eſt de Beata Maria, & ex eadem ratione dicitur Præfatio *Et te in Viſitatione*: ſicuti autem SS. Apoſtoli locum habent ab Octavis Sanctorum ob majorem eorum dignitatem, ſic in paritate ritus cedunt Dedicationi, & Viſitationi dignioribus: Ita Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Marinæ Virginis, in qua die prima Julii occurrit Dedicatio ejuſdem Eccleſiæ: ita Pragæ in Regno Bohemico, ubi Viſitatio ritum habet duplicem primæ claſſis cum Octava. Præcedentiam autem, quam habet Dies infra Octavam Dedicationis, & Viſitationis, ſi non eſt impedita, habet etiam, ſi impediatur ab aliquo Feſto novem Lectionum, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.

905 Aſt ubi non occurrit ſimul Octava Dedicationis Eccleſiæ, vel Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, ſed tamen Dies infra Octavam SS. Apoſtolorum eſt forſan alicubi impedita à Feſto Semidupli-

duplici: ſi quis ibi velit eo die dicere Miſsam SS. Apoſtolorum, dicere debet eam, quæ eſt propria Dierum infra eorum Octavam, non autem illam de Feſto: & ratio videtur eſse, quia tunc dicitur infra Octavam Miſsa de Feſto, quando Octava non habet aliam Miſsam: ſed infra hanc Octavam habetur alia Miſsa: ergo hæc dicenda eſt, non verò illa Feſti: ergo illa Feſti non poteſt dici, niſi in ipſo Feſto. Quia verò contrariorum eadem eſt ratio, ubi Feſtum Viſitationis celebratur cum Octava, occurrente infra eam Semiduplici, qui vult celebrare de Beata Maria, debet dicere Miſsam de Feſto, non verò Votivam de Tempore: & in utroque caſu, ſicut illa Miſsa non concordat cum Officio, ſic celebranda eſt Ritu Votivo, ſcilicet, ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, cum Præfatione eidem Miſsæ convenien-te: niſi fuerit Sabbatum, quia tunc in Miſsa de Viſitatione dicenda erit *Gloria*. Ratio autem dicendi Miſsam de Octava Viſitationis, vel reſpectivè Apoſtolorum, eſt clariſſima, quia videlicet illa Miſsa de Octava in utroque caſu conſideratur tanquàm Miſsa de Tempore, diſtincta quidem ab alia Miſsa inter Votivas, quas idcircò infra dictas Octavas non debemus celebrare.

Illud autem eſt etiam hoc proprio loco notandum, quòd licèt Miſsa infra Octavam habeat Evangelium proprium, & ideò à Feſto diverſum, non tamen legendum eſt in fine Miſsæ, ſi Officium fiat de aliquo Feſto novem Lectionum, ut ex mente Gavanti in præciſis terminis de hoc Evangelio ſupra advertimus, cùm de Officio horum Dierum ſermo erat. Non ſolùm verò non erit legendum in fine Miſsæ de Feſto dictum Evangelium, ſed neque facienda commemoratio de hac Octava ubi occurrit Miſsa de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſsis, licèt Præfatio eſset de Apoſtolis, non exiſtente propria illius Feſti: ut ſi alicubi in aliquo ex tribus diebus ſecundi tridui infra hanc Octavam occurreret Dedicatio Ec- 906

cleſiæ

cleſię Cathedralis, quę (ut alibi diximus) reſpectu Cleri Sęcularis & Regularis in eadem Urbe habet utrumque ritum : & ideò ibi ab utroque Clero non ſolum in fine Miſsę dicendum eſset Evangelium S. Joannis, ſed & tacenda Oratio de Octava SS. Apoſtolorum : ut patet Torcelli die tertia Julii in Miſſa de S. Eliodoro Patrono: Auguſtæ Vindelicorum, & Pragæ in Bohemia in Miſſa de S. Udalrico, & reſpectivè de S. Procopio itidem Patronis utrobique occurrentibus die quarta ejuſdem Menſis. Cæterum poſſunt infra hanc Octavam dici omnes & quæcunque Miſſæ Votivæ privatæ ac de *Requiem*, quæ ſicuti prohibentur infra Octavas Privilegiatas, ut vidimus *tom. 1. de Octav. privileg.* ſic permittuntur infra Octavas Communes; ex quibus hęc SS. Apoſtolorum eſt una. Quòd ſi dici poſſunt Votivę privatę, multo magis ſolemnes, & pro Defunctis in Die Obitus, niſi occurrat Feſtum duplex primę claſſis: imò & Miſſa in Anniverſario Defunctorum, ſi non occurrat Feſtum duplex ſecundę claſſis: Dixi, quòd poteſt cantari in Anniverſario, nam hujuſmodi Miſſa non eſt cantanda infra Octavas Privilegiatas, licèt Officium ſit de Octava.

At quia (ut ſupra diximus, cùm de Officio Dierum infra hanc Octavam ſermo erat) dari poteſt caſus transferendi infra iſtam eandem Octavam duo Officia generalia : nempè, ipſorum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & etiam Commemorationis S. Pauli Apoſtoli; licèt non omnia ſimul, ſed modò unum, modò alterum, nec ſemper, ſed raro : ideò in hujuſmodi translationis contingentia aliquid venit adnotandum. Et certè translato ipſo Feſto de SS. Apoſtolis infra hanc Octavam (quod contingere non poteſt, niſi in eo alicubi occurrat Dedicatio Eccleſiæ) Miſſa dicitur de illo Feſto translato, omiſſa illius Octavæ commemoratione in Miſſis de Feſtis præcedentibus, quia commemoratio hujuſmodi incipit poſt Feſtum, non verò ante Feſtum, 907

ſtum. Ubi autem Dedicatio eſt Eccleſiæ Cathedralis, (ut Segniæ in Dalmatia, quando die vigeſima nona Junii occurrit Dominica quarta poſt Pentecoſten, ut in Tabula trigeſima tertia Ordinis perpetui) Clerus Sæcularis illius Civitatis celebrat dicta die ſuam Dedicationem ſub ritu duplici primæ claſſis, & transfert Feſtum SS. Apoſtolorum: Clerus verò Regularis ejuſdem Urbis transfert dictam Dedicationem ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & celebrat propria die Feſtum ipſum de SS. Apoſtolis.

At in Miſſa de commemoratione translata S. Pauli Apoſtoli illud ſervandum eſt, quòd commemoratio S. Petri fiat ante aliam qualemcunque & ubicunque occurrentem commemorationem, etiam de Patrono Loci, etiam de Titulari Eccleſiæ, etiam de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, ubi habet Octavam, etiam denique de Octava Dedicationis, juxta Rubricam Miſſalis *ſub die* 18. *Januarii*. Unde anno 1707. in quo Dies Octava SS. Corporis Chriſti occurrebat die trigeſima Junii cum Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, & ideò ubique locorum neceſſario erat transferenda dicta Commemoratio S. Pauli: in die translationis infra hanc Octavam SS. Apoſtolorum, Torcelli propè Venetias facta fuit commemoratio S. Petri ante commemorationem S. Eliodori Patroni occurrentis die tertia Julii. Sic Venetiis eodem anno poſt commemorationem S. Petri ſecuta eſt commemoratio S. Martialis Titularis in ejus Eccleſia Parochiali & Collegiata, ubi incidit in diem primam Julii. Sic in Eccleſia itidem Parochiali & Collegiata S. Marinæ Virginis commemoratio S. Petri præceſſit commemorationem Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ, quæ ibi venit dicta die prima Julii. Sic denique Laureti in Provincia Picena actum fuit de S. Petro ante commemorationem Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, cujus Feſtum in dicta Civitate habet Octavam. 908

Expoſita varietate Miſſarum infra hanc Octavam 909

vam

vam celebrandarum, nunc de vario Veſperarum ordine infra eandem Octavam ſervando eſt diſſerendum. Itaque Veſperæ modò ſunt integræ de Octava, modò dividuntur à Capitulo, modò Octava habet ſolam commemorationem in Veſperis, & modò etiam commemorationem amittit. Sed ut res clarior fiat, procedamus ordine ſucceſſivo. Die ergo trigeſima Junii Veſperæ ſunt à Capitulo de ſequenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, cum commemoratione SS. Apoſtolorum, pro quibus Antiphona, Verſiculus, Reſponſorium, & Oratio, ut in Breviario ſub hac die. In Eccleſia verò S. Pauli, in ſecundis Veſperis de Titulari fit priùs commemoratio S. Petri, deinde de ſequenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ. At ſi hac die trigeſima Junii veniat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, in ſecundis Veſperis de illa Die Octava fit commemoratio de ſequenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum: ſed in Eccleſia S. Paulo dicata, in ſecundis Veſperis de Titulari fit priùs commemoratio S. Petri, deinde de Die Octava SS. Corporis Chriſti, & poſtmodùm de ſequenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ. Quòd ſi dicta Dies Octava SS. Corporis Chriſti occurrat die prima Julii (caſus tamen raræ contingentiæ) tunc die trigeſima Junii, Veſperæ ſunt de ſequenti Die Octava Privilegiata, cum commemoratione priùs Diei Octavæ S. Joannis Baptiſtæ, & poſtea de SS. Apoſtolis: aſt in Eccleſia S. Pauli, in ſecundis Veſperis de Titulari fit priùs commemoratio S. Petri, deinde de Die Octava digniori, & poſtmodùm de Die Octava minùs digna S. Joannis Baptiſtæ. Ubi tamen die prima Julii occurrit etiam Dies Octava Dedicationis Eccleſiæ, Veſperæ ibi die trigeſima Junii ſunt à Capitulo de ſequenti Die Octava S. Joannis, deinde de Die Octava Dedicationis, & inde de SS. Apoſtolis, ſuppoſito, quòd Feſtum principale Dedicationis tranſlatum ſit infra ſuam Octavam vel in diem vigeſimam quintam, vel vigeſi-

mam ſeptimam Junii. Aſt ubi die prima Julii occurrit Feſtum duplex ſecundæ claſſis, ut eſt Dedicatio Cathedralis apud Regulares in Urbe, die trigeſima Junii, Veſperæ ſunt de ſequenti, cum commemoratione de Die Octava S. Joannis, & SS. Apoſtolorum tanquàm de duplici. Quòd ſi dicta die prima Julii alicubi occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, in primis ejus Veſperis fit quidem commemoratio de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, non verò SS. Apoſtolorum, licèt ſit commemoratio de duplici, quia ſequens duplex primæ claſſis non admittit in primis ejus Veſperis commemorationem de præcedenti duplici minori vel etiam majori, aut Die Octava, niſi eſſet Dies Octava privilegiata SS. Corporis Chriſti, quia tunc in primis Veſperis de ſequenti fieret priùs commemoratio de præcedenti Die Octava privilegiata, deinde de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ.

Die verò prima Julii, Veſperæ ſunt de ſequenti Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, cum commemoratione de præcedenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum, ac Feſti Simplicis. At ſi hodie occurrat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio de ſequenti Viſitatione, deinde de præcedenti Die Octava S. Joannis, ac de SS. Apoſtolis, & poſtremò de Feſto ſimplici. Quia tamen Regii in Ducatu Mutinenſi ex Privilegio Apoſtolico fit de Viſitatione ſub ritu duplici majori, ut in Eccleſia Univerſali, & ſimul occurrit Dies Octava S. Proſperi Patroni: ideò ibi in primis Veſperis de Viſitatione fit priùs commemoratio de Die Octava ejuſdem Patroni, deinde de Die Octava S Joannis, poſtmodum de SS. Apoſtolis, & denique de Simplici: & ſi dicta die prima Julii veniat Dies Octava SS. Corporis Chriſti, ibidem in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio Viſitationis, & Diei Octavæ S. Patroni, ac Diei Octavæ S. Joannis, necnon SS. Apoſtolorum, ac Feſti ſimplicis. Ubi autem detur caſus, excepto Regienſi, celebrandi die ſecunda Julii alicubi ali- 91

quam

quam Diem Octavam, tranſlato ibi Feſto Viſita-
tionis, Veſperæ fiunt à Capitulo de ſequenti Die
Octava particulari; cum commemoratione de præ-
cedenti Die Octava Univerſali S. Joannis; deinde
SS. Apoſtolorum, ac Simplicis. Incidente verò a-
licubi in diem primam Julii Feſto ſecundæ claſ-
ſis, ut Dedicatio Cathedralis apud Regulares in
Urbe, in ſecundis Veſperis de illo duplici ſecun-
dæ claſſis fit commemoratio Viſitationis & Diei
Octavæ S. Joannis, ac Feſti ſimplicis, ſed non SS.
Apoſtolorum. At ubi occurrit Feſtum duplex pri-
mæ claſſis, ſecundæ ejus Veſperæ admittunt qui-
dem commemorationem de ſequenti Viſitatione
& de præcedenti Die Octava S. Joannis, non au-
tem de SS. Apoſtolis, nec de Simplici. Quia ta-
men in aliquibus Locis, (ut Recineti, Senogal-
liæ, & Piſis, ac alibi) Feſtum Viſitationis Beatæ
Virginis Mariæ eſt duplex ſecundæ claſſis, idcir-
910 cò ibi in primis ejus Veſperis fit commemoratio
de Die Octava S. Joannis, ſed non de SS. Apoſto-
lis, nec de Feſto Simplici. Aſt ubi dicta Viſitatio
habet ritum duplicem primæ claſſis (ut habet
Laureti, Pragæ, & in Eccleſiis eidem dicatis)
dicuntur ibi primæ ejus Veſperæ abſque ulla
commemoratione, & ideò nihil de Die Octava S.
Joannis, nihil de SS. Apoſtolis, nihil de Simplici.

Die autem ſecunda Julii, in ſecundis Veſperis 911
de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis fit comme-
moratio SS. Apoſtolorum: Regii verò fit comme-
moratio priùs de Die Octava S. Proſperi Patroni
ſimul occurrente, deinde de SS. Apoſtolis. Quòd
ſi die tertia Julii occurrat alicubi aliqua Dies O-
ctava (ut Tridenti incidit Dies Octava S. Vigilii
Patroni) in ſecundis Veſperis de Viſitatione fit
commemoratio de ſequenti Die Octava, & poſt-
modum de SS. Apoſtolis. Aſt ſi die ſequenti fiat
de duplici ſecundæ claſſis, ut alicubi apud Re-
gulares in Urbe Dedicatio Cathedralis, in primis
Veſperis de ſequenti fit commemoratio Viſitatio-
nis, ſed non SS. Apoſtolorum: occurrente verò
duplici primæ claſſis, in primis Veſperis de Pa-

trono Loci, vel Titulari Eccleſię nihil ſit de pręcedenti Viſitatione, & multo minus de SS. Apoſtolis. Ubi autem Viſitatio eſt ſecundæ claſſis, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio de Octava SS. Apoſtolorum, ſi die ſequenti integrum fiat Officium de illa, & hoc vigore Rubricæ Generalis Breviarii *de Commemor. titul. 9. ſub numer. 6.* & iterum in tertio Notando *poſt. Tabell. de Concurren.* Aſt ubi dicta Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, non fit commemoratio de dicta Octava SS. Apoſtolorum, licèt die ſequenti Officium ſit de ea, ut expreſsè loquitur Rubrica citata *de Commemor. ſub num. 4. & 5.*

Diebus tamen tertia & quarta Julii, quæ ſunt quinta & ſexta infra Octavam SS. Apoſtolorum, ſi Officium ſit de Octava, ut ſæpè non ſunt impeditæ in Eccleſia Univerſali, niſi occurrat Dominica: ſic Veſperæ ſunt de Octava illis duobus diebus, ſi tamen quoad diem ſeptimam infra eandem Octavam, quæ eſt quinta ejuſdem Julii, de nullo agendum ſit Feſto. Non ideo ſumuntur ex ſecundis Veſperis Feſti, ut fit in aliis Octavis, de quibus Rubrica generalis Breviarii *de Octavis, titul. 7. ſub numer. 5.* ſed dicuntur de Communi Apoſtolorum, ut in ſecundis eorum Veſperis: ſed poſt Hymnum de eodem Communi, dicitur Verſiculus, Reſponſorium, Antiphona ad Magnificat, & Oratio, ut habet Breviarium Romanum hiſce diebus. Si verò alicubi occurrat Dies infra Octavam digniorem, ut de Dedicatione, vel de Viſitatione in Eccleſia propria, Veſperæ ibi dicuntur de illa Octava digniori, ut in ſecundis Veſperis Feſti, cum commemoratione SS. Apoſtolorum. At ſi Dies infra Octavam ſit minùs digna, ut de Sancto Patrono Loci, vel de Titulari Eccleſiæ, aut de Viſitatione, ubi ejus Feſtum eſt duplex ſecundæ claſſis, ſicuti Officium erit de Die infra Octavam SS. Apoſtolorum, ſic etiam Veſperæ erunt de eadem Octava, cum commemoratione de Octava Sancti Patroni, vel Titularis,

ris, aut Viſitationis. Quòd ſi unâ die fiat Officium de Die infra Octavam, & die ſequenti fiat de Feſto ſemiduplici alicubi occurrente, vel è contra hodie de Feſto ſemiduplici, & cras de Die infra Octavam, Veſperæ hodie erunt uſque ad Capitulum de Octava, vel reſpectivè de Semiduplici, cum commemoratione alterutrius.

Præferentia verò, quam habet una Octava ab alia quoad integrum Officium non impeditum; danda eſt ei etiam quoad commemorationem in Veſperis, ſi Dies ſit impedita à Feſto talem commemorationem admittente, ita ut in hujuſmodi Veſperis impeditis priùs fiat commemoratio SS. Apoſtolorum, deinde alterius Octavæ minus dignæ: vel priùs de Octava digniori, cum commemoratione de SS. Apoſtolis. Quòd ſi alicubi præcedat vel ſubſequatur Feſtum duplex primæ claſſis, nulla fit in Veſperis commemoratio SS. Apoſtolorum, imò neque de Octava digniori, ſi ibi occurreret, veluti de Octava Dedicationis Eccleſiæ. At ſi præcedat duplex ſecundæ claſſis, & die ſequenti Officium ſit ex integro de Octava SS. Apoſtolorum, in ſecundis Veſperis de illo duplici fit commemoratio Octavæ, ut alibi diximus: ſed ſi die ſequenti Officium eſſet alicubi de Octava digniori, in dictis ſecundis Veſperis de duplici ſecundæ claſſis fieret quidem commemoratio de eadem Octava digniori, non autem de Octava SS. Apoſtolorum. Si tamen in una Die infra Octavam fiat de Feſto Semiduplici, & altera immediate Die ſequenti Officium ſit de Duplici minori vel majori, in primis Veſperis de Duplici ſequenti fit priùs commemoratio de Semiduplici præcedenti, deinde de Octava SS. Apoſtolorum, licèt ſi cras fieret de Octava, Veſperæ revera eſſent à Capitulo de eadem Octava, & ideò Semiduplex haberet commemorationem poſt eam, ex rationibus & auctoritatibus ſupra relatis hoc *tom. 1. ca. 1. de Oct. Aſcenſ. §. de Miſ. & Veſp. in Dieb. in. fr. Oct.* 913

§. IX.

De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

HÆc Dominica, quæ occurrit infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, eſt ſemper 914
de illarum numero, quæ recurrunt poſt Pentecoſten. Sicuti autem non eſt propria hujus Octavæ, ſic quovis anno variatur, & ideò poteſt eſſe modò una, modò altera illius Temporis: & nihilominùs ſemper erit una ex ſequentibus ſex, & non alia, nempè, vel tertia, vel quarta, vel quinta, vel ſexta, vel ſeptima, vel octava à Pentecoſte. Ejus Officium incipit quidem à primis Veſperis, nunquàm tamen dici poſſunt integræ, ſed ad ſummum dividuntur à Capitulo, & ſæpè de eis fit ſola commemoratio, modò antè, modò poſt alias occurrentes commemorationes, ut infra videbimus. Itaque ſi hæc Dominica venerit die trigeſima Junii, in ſecundis Veſperis de ipſo Feſto SS. Apoſtolorum fit commemoratio ejuſdem Dominicæ cum Antiphona deſumenda ex Sabbato ante illam Dominicam, numeratam in Proprio de Tempore, Verſiculus verò & Reſponſorium dicuntur ut in Sabbato ex Pſalterio, ſed Oratio erit juxta numerum Dominicæ occurrentis circa finem ejuſdem Proprii de Tempore poſt Lectiones Menſuales. In Eccleſia verò, S. Paulo dicata, in primis Veſperis de Titulari fit priùs commemoratio S. Petri, deinde de Dominica, ut dicitur in Rubrica Breviarii ſub die decima

octava Januarii in primis Veſperis de Cathedra
Romana S. Petri : ibi : *Deinde fit commemoratio
S. Pauli ante alias quaſcunque commemorationes ,
etiam Feſti duplicis , aut Dominicæ . Quod ſervatur
in commemoratione S. Petri, quæ fit in Feſtis S. Pau-
li* . Ubi verò dicta die trigeſima Junii occurrit
Dedicatio Eccleſiæ (ut occurrit Segniæ in Dal-
matia Dedicatio Cathedralis , quando hæc Do-
minica eſt quarta poſt Pentecoſten , ut in Tabu-
la trigeſima ordinis perpetui) in primis Veſpe-
ris de Dedicatione apud Clerum Sæcularem il-
lius Civitatis fit commemoratio de præcedenti
Feſto SS. Apoſtolorum , deinde de Dominica :
ſed apud Clerum Regularem ejuſdem Urbis ,
apud quem Dedicatio Cathedralis eſt duplex ſe-
914 cundæ Claſſis , in ſecundis Veſperis de Feſto
SS. Apoſtolorum fit commemoratio de ſequenti
Dedicatione , & de Dominica.

Quòd ſi hæc Dominica infra Octavam occur- 915
rerit die prima Julii , Veſperæ die trigeſima Ju-
nii erunt à Capitulo de ſequenti Die Octava
S. Joannis Baptiſtæ , cum commemoratione de
præcedenti Officio SS. Apoſtolorum , ut hodie
in Breviario , deinde de Dominica : non verò
priùs de Dominica , & poſtmodùm de SS. Apo-
ſtolis , quorum commemoratio cùm hac die ſit
de duplici , debet idcircò præcedere ; ut contra
quemdam male adnotantem benè advertit Ga-
vantus *tom. 2. ſect. 7. cap. 8. ſub die 30. Junii ,
in fine* . In Eccleſia verò S. Pauli , in ſecundis
Veſperis de Titulari , fit commemoratio priùs
S. Petri, deinde de ſequenti Die Octava S. Joan-
nis Baptiſtæ , & ultimo loco de Dominica. Ubi
autem dicta die prima Julii fit de duplici ſecun-
dæ claſſis , ut ſi apud Regulares urbanos occur-
rerat Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, ibi die tri-
geſima Junii , in primis Veſperis de ſequenti fit
priùs commemoratio de Die Octava S. Joannis ,
deinde Apoſtolorum , ut commemoratio de du-
plici , & poſtmodùm de Dominica . Aſt ubi ſæ-
pè memorata die prima Julii fit de duplici pri-

mæ claſſis, ut Venetiis de S. Martiale in ejus Eccleſia Parochiali & Collegiata, & de Dedicatione in altera ejuſdem Urbis Eccleſia itidem Parochiali & Collegiata S. Marinæ Virginis, Veſperæ quidem die trigeſima Junii ſunt ibi de ſequenti, cum commemoratione de Die Octava S. Joannis, & Dominicæ, ſed non SS. Apoſtolorum, licèt ſit commemoratio de duplici. Sed & alia occurrentia dari poteſt eadem die prima Julii, ſiquidem alicubi occurrit alia Dies Octava Dedicationis, prout reverà in ipſam diem primam Julii incidit quovis anno in Eccleſia Parochiali & Collegiata SS. Trinitatis Venetiarum: & ideò ibi, ſuppoſita translatione Dedicationis infra ſuam Octavam (de qua ſupra, cum Decreto) die trigeſima Junii Veſperæ ſunt à Capitulo de Die Octava S. Joannis, cum commemoratione priùs de alia Die Octava Dedicationis ſimul occurrente, deinde de SS. Apoſtolis, & poſtmodum de Dominica.

Si verò Dominica infra Octavam incidat in diem ſecundam Julii, tunc, in primis Veſperis de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis fit commemoratio de præcedenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, & Dominicæ, ac SS. Apoſtolorum, nec non Feſti Simplicis. Ubi verò Viſitatio celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, ut Senogalliæ, Piſis, & Recineti, ibi in primis Veſperis de eadem Viſitatione fit quidem commemoratio de Die Octava S. Joannis, & Dominicæ, ſed non de SS. Apoſtolis, nec de Simplici. At ubi ipſum Feſtum Viſitationis eſt duplex primæ claſſis, ut Laureti, Pragæ, & in Eccleſiis eidem dicatis, ibi in primis ejus Veſperis facta commemoratione Dominicæ, nihil fit de Die Octava S. Joannis, nihil de SS. Apoſtolis, nihil denique de Simplici. Regii verò in Ducatu Mutinenſi, quia ibi ex Privilegio Apoſtolico celebratur Viſitatio ſub ritu duplici majori, ut in Eccleſia Univerſali, & fit etiam de Die Octava S. Proſperi Patroni, ideo poſt primas Veſperas 916

Vi-

Viſitationis fit commemoratio priùs de Die Octava Patroni, deinde de Die Octava S. Joannis, poſtmodùm Dominicæ, ac SS. Apoſtolorum, nec non Feſti Simplicis. Ubi autem die prima Julii actum eſt de duplici ſecundæ claſſis, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio de ſequenti Viſitatione, deinde de præcedenti Die Octava Sancti Joannis, & Dominicæ, ac Simplicis, ſed non SS. Apoſtolorum. Celebrato verò die prima Julii Feſto duplici primæ claſſis, recitatiſque ex integro ſecundis Veſperis de eo, fit quidem commemoratio de Viſitatione, & de Die Octava S. Joannis, ac de Dominica, ſed non de SS. Apoſtolis, nec de Simplici. Si verò ſæpè dicta die prima Julii occurrat alicubi Dies Octava Dedicationis, in primis Veſperis de ſequenti Viſiſitatione fit commemoratio priùs de præcedenti Die Octava S. Joannis, deinde de Die Octava Dedicationis, & poſtmodùm de Dominica, de SS. Apoſtolis, & de Simplici. Quòd ſi die ſecunda Julii occurrat in aliquâ Eccleſia Dies Octava, quæcunque illa ſit, translata ibi Viſitatione, Veſperæ ſunt à Capitulo de Die Octava particulari, cum commemoratione de Die Octava Univerſali S. Joannis, ac de Dominica, nec non de Feſto Simplici.

Quòd ſi eadem Dominica infra Octavam veniat die tertia Julii, in ſecundis Veſperis de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis fit commemoratio Dominicæ ſequentis, & SS. Apoſtolorum. 917 Regii verò in Ducatu Mutinenſi, ubi Viſitatio celebratur ſub ritu univerſali, & nihilominus ſimul incidit Dies Octava S. Proſperi Patroni, poſt ſecundas Veſperas de Viſitatione fit commemoratio de dicta Die Octavâ Patroni, deinde de ſequenti Dominica, & poſtmodùm de SS. Apoſtolis. Sed ubi in Dominica occurrit Dies Octava, recitatis ex integro Veſperis ſecundis de Viſitatione, fit commemoratio in eis de Die Octava ſequenti, de Dominica, & de SS. Apoſtolis. Ubi autem Viſitatio eſt duplex primæ vel

ſe-

ſecundæ claſſis, in ſecundis ejus Veſperis, data Dominicæ commemoratione, nihil fit de SS. Apoſtolis. Quia verò alicubi dicta die tertia Julii occurrit Feſtum duplex primæ claſſis, ideò ibi in primis Veſperis de ſequenti fit quidem commemoratio Dominicæ, non autem de præcedenti Viſitatione, nec de SS. Apoſtolis.

Si tamen Dominica infra Octavam occurrat die quarta Julii, Veſperæ in Eccleſia Univerſali ſunt die præcedenti à Capitulo de Dominica ſequenti, cum commemoratione de Octava SS. Apoſtolorum: Ubi autem Viſitatio eſt duplex ſecundæ claſſis cum Octava, vel ubi ſimul occurrit alia Octava minùs digna, ut de Patrono Loci, ibi, nullo alio ſuppoſito impedimento Feſti in præcedenti die vel in Dominica celebrati ſub ritu duplici primæ vel ſecundæ claſſis, poſt commemorationem SS. Apoſtolorum in prædictis Veſperis facta, additur & alia Viſitationis vel Patroni. At ubi ſimul venit Octava dignior, ut Dedicatio Eccleſiæ, vel etiam Viſitationis, ſi ejus Feſtum celebretur ſub ritu duplici primæ claſſis: ſicuti die præcedenti Officium fuit de Octava digniori, ſic in diviſione Veſperarum cum Capitulo de Dominica ſequenti, fit prius commemoratio Dedicationis, vel Viſitationis, deinde SS. Apoſtolorum. Quòd ſi alicubi in diem tertiam Julii in Sabbato incidat Feſtum Semiduplex, adhuc Veſperæ eodem modo ſunt à Capitulo de ſequenti Dominica, cum commemoratione præcedentis Feſti Semiduplicis, & SS. Apoſtolorum. Si verò in hac die quarta Julii occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, in ejus primis Veſperis fit quidem commemoratio Dominicæ ſequentis, ſed non SS. Apoſtolorum, nec alterius Octavæ licèt dignioris ſimul occurrentis: ita Pragæ, & in toto Regno Bohemico dicta die tertia Julii Veſperæ ſunt de ſequenti Feſto S. Procopii Abbatis & Patroni, cum commemoratione Dominicæ in dictum Feſtum incidentis, ſed non de Octava Viſitationis, 918

li-

licèt ejus Feſtum ſit ibi duplex primæ claſſis, nec de Octava SS. Apoſtolorum. Occurrente denique hac Dominica infra Octavam die quinta ejuſdem Julii, Veſperæ die præcedenti regulantur die quarta, ut ſupra diximus, juxta variam earum concurrentiam. De Veſperis autem diei quintæ dicti Julii concurrentibus cum illis de die ſexta ejuſdem Menſis, dicemus infra, cùm de Die Octava SS. Apoſtolorum ſermo erit.

Primis Veſperis de Dominica infra Octavam ea, qua potuimus, claritate, explicatis, ſuccedit Matutinum cum Laudibus, quod certè in primo triduo Dierum infra Octavam nullibi erit Dominicale, cùm Univerſaliter occurrant Feſta duplicia; ideoque in quodcunque eorum incidat Dominica, ad Matutinum dicenda eſt nona Lectio ejuſdem Dominicæ, & ejus commemoratio facienda in Laudibus ante illam S. Joannis, cum aliis commemorationibus alicubi occurrentibus poſt illam S. Joannis: At ſi Dominica occurrat die 30. Junii, ad Laudes poſt Orationem S. Pauli fit commemoratio S. Petri ante illam Dominicæ, deinde Auguſtæ Taurinorum fit commemoratio de ſexta Die infra Octavam S. Maximi Patroni; Tridenti verò fit commemoratio de quinta Die infra Octavam S. Vigilii itidem Patroni; Præſcindendo tamen à dicta occurrentia Dominicæ in Commemoratione S. Pauli, in cujus Laudibus cedit ipſa Dominica (ut diximus) commemorationi S. Petri, quocunque alio die veniat, locum habet à quacumque alia die infra Octavam ſpecialem utcunque dignam. Illud tamen in illo primo triduo notandum eſt, quòd ſi hæc Dominica infra Octavam fuerit quinta vel ſeptima à Pentecoſte, & venerit die trigeſima Junii, vel ſecunda Julii, in quibus duobus diebus Feſta occurrentia habent in primo Nocturno Lectiones proprias, *Initium Libri ſecundi*, vel reſpectivè *tertii Regum*, in prima occurrentia ponendum erit in Officio de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ; in ſecunda verò occurrentia pone- 919

ne-

netur die tertia Julii in Officio de die infra Octavam SS. Apoſtolorum : & hoc quidem in Eccleſia Univerſali : nam in Eccleſiis particularibus erit forſan ulteriùs ponendum.

920 In ſecundo verò triduo infra hanc Octavam SS. Apoſtolorum, ſeu diebus tertia, quarta, & quinta Julii, quæ ſunt quinta, ſexta, & ſeptima infra Octavam : ſicuti in Eccleſia Univerſali nullum occurrit Feſtum novem Lectionum, ſic in quocunque ex illis tribus diebus occurrat Dominica, Matutinum dicitur de ea, & quidem in Choro cum colore non viridi ratione Temporis, ſed rubeo ratione Octavæ, ut expreſsè habet Rubrica Miſſalis de *Color. Paramen. tit.* 18. *ſub num.* 3. Officium idcircò ſumitur ex Pſalterio, exceptis propriis illius Dominicæ, quæ à numero recurrit eo anno poſt Pentecoſten: nempè omnium & trium Nocturnorum Lectiones, quarum primæ tres ſunt de aliquo ex Libris Regum : in ſecundo verò Nocturno ſunt de expoſitione illarum Lectionum Scripturalium: Homilia tamen tertii Nocturni ſumitur ex fine Proprii de Tempore juxta numerum Dominicæ tunc occurrentis. Ad Laudes omnia itidem dicuntur, ut in Pſalterio, ſed Antiphona ad Benedictus eſt ſemper propria, ſicut & Oratio, poſt quam fit commemoratio SS. Apoſtolorum ante vel poſt alias commemorationes alicubi forſan faciendas, juxta majorem vel minorem Feſtorum Octavam habentium ritum aut dignitatem : nam de Viſitatione ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, vel de quovis Sancto Patrono Loci, aut Titulari Eccleſiæ, licèt ejus Feſtum ſit duplex primæ claſſis fit commemoratio poſt Apoſtolos ut ſupra probando diximus : De Dedicatione verò Eccleſiæ, vel de Viſitatione ſub ritu duplici primæ claſſis, fit commemoratio ante Apoſtolos, juxta exempla ſuperiùs relata. Ubi tamen Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis eſt duplex primæ claſſis cum Octava, color in Choro debet eſſe albus, quia Officium infra Octavam eſt ibi de Viſitatio-

tione, quæ ſicuti habet principem locum in Officio, debet etiam ſuum colorem retinere in Dominica.

Ad Primam dicitur Pſalmus *Confitemini*, & 921
Symbolum *Quicunque*, quia Officium hujus Dominicæ eſt de Tempore, non proprium, ut in Dominicis infra Octavas Privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & SS. Corporis Chriſti. Ratione tamen Octavæ tacentur Preces Dominicales: & ubi Viſitatio habet Octavam, in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, cum clauſula *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus*, *&c.* ad Hymnos omnium Horarum, quæ pariter dicuntur, ut in Pſalterio, excepta Oratione propria Dominicæ occurrentis. Quòd ſi alicubi in hac Dominica occurrat Feſtum duplex utcunque ſolemne, (ut ſi veniat die tertia, vel quarta Julii, Torcelli apud Venetos, & Pragæ in Bohemia occurrit Feſtum S. Eliodori, & reſpectivè S. Procopii Abbatis, utrobique Patroni) ad Matutinum illius Feſti dicitur nona Lectio de Homilia illius Dominicæ, & fit ejus commemoratio in Laudibus, cum vel ſine commemoratione SS. Apoſtolorum, juxta qualitatem ritus, quo gaudet illud duplex in Dominica occurrens: nam ſi eſt duplex primæ vel ſecundæ claſſis, omittitur: ſi verò eſt duplex minus vel majus, admittitur: & nihilominùs, ſi ſimul occurrat Octava Viſitationis, ad Primam dicitur verſiculus de Beata Maria, cum ſua clauſula ad Hymnos omnium Horarum.

§. X.

§. X.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Miſſa de Dominica infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli eſt ſemper varia, nec tamen aſſignari poteſt qualis eſſe debeat, cùm poſſint occurrere ſex, nempè, tertia, quarta, quinta, ſexta, ſeptima, vel octava poſt Pentecoſten, juxta occurrentiam Paſchæ, quæ eſt prima & radix Feſtorum mobilium: nec alia contingere valet, niſi una ex illis jam enumeratis: & ante ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ. Celebratur autem in colore rubeo ratione Octavæ, & hoc vigore Rubricæ ſuperiùs in Officio citatæ: & in ea dicitur *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione tantùm de Octava SS. Apoſtolorum, ut præcipit Rubrica Miſſalis *de Oration. tit.* 9. *ſub numer.* 10. quæ quidem Rubrica non eſt ita intelligenda, ut non poſſit dici tertia, vel etiam quarta Oratio, ſi alicubi occurrat: & ideò ſi Dominica veniat die quarta Julii, Torcelli propè Venetias, tertia Oratio dicitur de ſecunda Die infra Octavam S. Eliodori Patroni: ſic ſi eadem Dominica incidat in diem quintam ejuſdem Menſis, Pragæ in Bohemia dicitur ſecunda Oratio de quarta Die infra Octavam Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, cujus Feſtum eſt ibi duplex 922

pri-

primæ claſſis, & tertia de ſeptima Die infra Octavam SS. Apoſtolorum, ac quarta de ſecunda Die infra Octavam S. Procopii Patroni. Itaque Rubrica illa nullam aliam ſupponit commemorationem, quæ revera in Eccleſia Univerſali non datur: ſed & hoc præcipit, ne dicatur tertia Oratio *Concede*, quæ cæteroquin dicenda eſt, in Miſſis de Die infra Octavam eorundem SS. Apoſtolorum non impedita.

In hac Miſſa de Dominica infra Octavam dicitur etiam *Credo*, ne aliquid omittatur de iis, quæ ſpectant ad eam, nam cæteroquin nulla Dominica Symbolum excludit à ſua Miſſa, cùm etiam dicatur in ea Dominica, quæ dicitur vacans. Præfatio verò eſt propria de hac Octava, ſcilicèt, *Te, Domine, ſuppliciter exorare*, quæ etiam dicitur, ſi alicubi occurrat Octava dignior Dedicationis, ut occurrit Venetiis die prima Julii in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Marinæ Virginis. Verum quidem eſt, quòd ubi Feſtum Viſitationis Beatæ Virginis Mariæ eſt duplex primæ claſſis cum Octava, in Miſſa de Dominica occurrente dicenda eſt Præfatio de Beata Maria, cum Verſiculo, *Et te in Viſitatione*, & adhibendus eſt color albus, quia cùm Octava Viſitationis in tali ritu celebrata ſit dignior Octava SS. Apoſtolorum, eſt Dominica potiùs infra ejus Octavam, quàm infra Octavam de iiſdem SS. Apoſtolis: & ita Laureti in Provincia Picena, ac Pragæ in Bohemia. Non tamen ſic, ubi dictum Feſtum Viſitationis eſt duplex ſecundæ claſſis cum Octava, quia cùm ratione inferioris ritus cedat locum SS. Apoſtolis, ideo in hac Miſſa Dominicæ dicitur eorum Præfatio, & non de Beata Maria: & ſic Piſis in Thuſcia, & Senogalliæ in Marchia Anconitana. Quòd ſi Dominica infra Octavam ſit impedita à Feſto duplici, prout in Eccleſia Univerſali, ſi occurrat in aliquo ex primis tribus diebus infra Octavam, in Miſſa de Feſto ſit commemoratio ejuſdem Dominicæ, & SS. Apoſtolorum, cum ejus Evangelio 923

gelio in fine Miſſæ. At ſi incidat in diem trigeſimam Junii, in Miſſa de Commemoratione S. Pauli fit priùs commemoratio S. Petri, deinde Dominicæ, & ultimo loco S. Joannis Baptiſtæ. Si Feſtum, in quo venit hæc Dominica, ſit duplex minus vel etiam majus, fiunt in Miſſa omnes commemorationes aliarum Octavarum alicubi occurrentium: ſi verò ſit duplex primæ vel ſecundæ claſſis, fit ſola commemoratio Dominicæ, & in fine Miſſæ legitur ejus Evangelium. Quòd ſi hæc Dominica fuerit quinta poſt Pentecoſten, non erit in Miſſa varianda *Poſtcommunio*, eo quòd in primis ejus verbis conveniat cum illa SS. Apoſtolorum, quia in reliquis habetur ſufficiens varietas ad excluſionem commutationis.

Cæterùm ubi in hac Dominica infra Octavam 924
occurrat Expoſitio SS. Sacramenti pro Oratione quadraginta Horarum, ibi Miſſa ſolemnis dicenda eſt de eodem SS. Sacramento, cum unica ejus Oratione, & cum Evangelio S. Joannis in fine, quia nihil agendum eſt de Dominica: Miſſæ autem privatæ dicuntur de Dominica, in quibus ſecunda Oratio erit de Octava SS. Apoſtolorum, & tertia de eodem SS. Sacramento. At ſi Dominica ſit impedita à Feſto duplici minori vel etiam majori, ut in primo triduo infra hanc Octavam, adhuc cantatur Miſſa Votiva SS. Sacramenti cum *Gloria*, & *Credo*, & ejus Oratio additur ultimo loco in Miſſis privatis. Quòd ſi Dominica impediatur à Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, cantari debet Miſſa de Feſto, cum ſecunda Oratione de SS. Sacramento ſub unica concluſione, & ita ſervari in omnibus Eccleſiis tam Sæcularibus quàm Regularibus præcipit Clemens XI. in ſuo particulari Bullario impreſſo Romæ anno 1723. *par.* 2. *Conſtit.* 9. §. 10. *pag.* 312. & modò reperitur etiam in generali Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſi de anno 1727. *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtit. ibid.* 9. In prædicto tamen Feſto primæ vel ſecundæ claſ-

ſis

ſis omittitur in Miſſis privatis Oratio SS. Sacramenti, ſed tantùm fit commemoratio Dominicæ, ejuſque Evangelium legitur in fine.

Cantari etiam poteſt in eadem Dominica quæcunque Votiva pro re gravi, ſi non adſit impe- 925
dimentum duplicis, ut ſupra, ſolemnioris in ea occurrentis, alioquin dicenda erit Miſſa cantata de Feſto, cum Collecta de illa Votiva, ut dictum eſt de Expoſitione SS. Sacramenti. Sed & permittitur Miſſa ſolemnis Defunctorum in Die Obitus, præſente Corpore in Eccleſia, quia in Dominicis hujuſmodi Miſſam inſepulto Corpore concedit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1603. *ſub die* 23. *Maii*, ut refert Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 5. *ſub numer.* 1. *litt.* X. aliique à me citati in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 184. *pagin. vero* 59. Dictum tamen Decretum intelligitur communiter de Miſſa ſolemni, non de privata. Quòd ſi in hac Dominica occurrat alicubi Feſtum duplex primæ claſſis, tale duplex tollit privilegium, & ideo Miſſa in Die Obitus non poteſt ampliùs cantari, ut declaravit dicta Sacra Rituum Congregatio *in Collen. anno* 1698. *ſub die* 5. *Julii*, *in reſponſione ad octavum Dubium*. Licèt autem ex dictis cantari poſſint in hac Dominica Miſſæ Votivæ ſolemnes: receptio tamen ad Habitum & Profeſſionem Regularem ſub re gravi numerari non poteſt, ut ex conſuetudine poſſit cantari Miſſa Votiva ſolemnis etiam de Spiritu Sancto in Dominicis, vel Duplicibus: & hunc abuſum omninò eſſe tollendum decrevit Sacra Rituum Congregatio *in Ruremunden. anno* 1683. *ſub die* 24. *Julii*: ſicuti neque poteſt Miſſa Votiva de eodem Spiritu Sancto, vel alia celebrari, etiam ab Epiſcopo, pro eligenda Abbatiſſa, in Feſto duplici, vel Dominica, ut declaravit eadem Sacra Rituum Congregatio *in Brachharen. Dubiorum*, *anno* 1708. *ſub die* 28. *Aprilis*, apud P. Merati utrumque Decretum referentem in Additionibus ad Gavantum *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub nu-*

mer. 462. pagin. 1399. & ſub numer. 606. pagin. 1417.

Poſt Miſſam celebrandam in Dominica infra Octavam SS. Apoſtolorum, reſtant ſecundæ Veſperæ de eadem Dominica, quæ cùm modò ſint integræ, modò verò ſolam habeant commemorationem, & modò ipſa etiam commemoratione priventur, ideò videndum eſt dietim, quomodo ſint regulandæ, juxta occurrentiam vel concurrentiam Officiorum. Itaque ſi hæc Dominica veniat die trigeſima Junii, Veſperæ ſunt à Capitulo de ſequenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, cum commemoratione priùs de SS. Apoſtolis tanquàm de duplici, deinde de Dominica, & poſtmodùm de altera Octava alicubi forſan occurrente. In Eccleſia tamen S. Pauli, in ſecundis Veſperis de Titulari fit priùs commemoratio S. Petri, deinde de ſequenti Die Octava S. Joannis, & poſtea de Dominica. Si autem alicubi die prima Julii fiat de Feſto duplici ſecundæ claſſis, ut eſt Dedicatio Cathedralis apud Regulares in eadem Urbe commorantes, in primis Veſperis de ſequenti fit priùs commemoratio de Die Octava S. Joannis, & poſtmodum de præcedenti Officio duplici SS. Apoſtolorum, non verò Dominicæ. Ubi verò dicta die prima Julii occurrit Feſtum duplex primæ claſſis (ut Venetiis in duabus Eccleſiis Parochialibus & Collegiatis, nempè S. Martialis ubi Feſtum Titularis, & S. Marinæ ubi Dedicatio Eccleſiæ) ibi in primis Veſperis de ſequenti fit commemoratio de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, ſed non de SS. Apoſtolis, licèt ſit commemoratio de duplici, neque de Dominica. 926

Quòd ſi dicta Dominica veniat prima die Julii, Veſperæ ſunt de ſequenti Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, cum commemoratione de præcedenti Die Octava S. Joannis, & Dominicæ, ac Feſti Simplicis. Aſt ubi Viſitatio eſt duplex ſecundæ claſſis, ut Piſis & Senogalliæ, ibi in primis ejus Veſperis fit commemoratio de præ- 927

ce-

cedenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, ſed non Dominicæ ; non SS. Apoſtolorum , non denique Feſti ſimplicis . Ubi verò dicta Viſitatio habet ritum duplicem primæ claſſis , ut in Eccleſiis eidem dicatis ; in primis Veſperis de ſequenti nulla fit commemoratio de præcedenti Die Octava S. Joannis , nulla de Dominica , nulla de SS. Apoſtolis , nulla de Simplici . Si denique Die ſecunda Julii occurrat in aliqua Eccleſia Dies Octava ; ſicuti ibi transferenda eſt Viſitatio , ut alibi diximus ; ſic Veſperæ ſunt à Capitulo de ſequenti Die Octava , cum commemoratione de præcedenti Die Octava S. Joannis, & de Dominica ; ac de SS. Apoſtolis , & ultimo loco de Feſto Simplici.

Incidente verò Dominica in diem ſecundam 928
Julii , in ſecundis Veſperis de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis fit commemoratio Dominicæ , & SS. Apoſtolorum : ſed Regii in Ducatu Mutinenſi fit priùs commemoratio de Die Octava S. Proſperi Patroni ſimul occurrente in Feſto Viſitationis , deinde de Dominica , & poſtea de SS. Apoſtolis . Ubi autem Viſitatio eſt ſecundæ claſſis , ut ſupra retulimus, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio Dominicæ , & etiam SS. Apoſtolorum, ſi tamen die ſequenti Officium ſit de eorum Die infra Octavam , non aliter , nec alio modo . Ubi autem Viſitatio eſt duplex primæ claſſis ; in ſecundis ejus Veſperis , facta commemoratione Dominicæ , omittitur illa SS. Apoſtolorum , tum quia die ſequenti non impedita Officium eſt ibi de ſecunda Die infra Octavam ipſius Viſitationis , tum quia ſi fieri poſſet Officium de ipſis SS. Apoſtolis , adhuc omitteretur eorum commemoratio . Quòd ſi die tertia Julii Officium alicubi fiat de duplici primæ claſſis , in primis ejus Veſperis nihil fit de præcedenti Viſitatione , nihil de Dominica , nihil de SS. Apoſtolis . At ſi die ſecunda Julii occurrat alibi aliqua Dies Octava (ut quando hæc Dominica eſt quinta poſt Pentecoſten ut in Tabula

bula vigeſima nona ordinis perpetui, Segniæ in Dalmatia à parte Imperii occurrit Dies Octava Dedicationis illius Cathedralis) ibi in ſecundis Veſperis de Die Octava fit commemoratio Dominicæ occurrentis, & etiam SS. Apoſtolorum.

929 Si verò Dominica hæc infra Octavam occurrat die tertia Julii, in Eccleſia Univerſali ſæpè ſæpiùs habet integras ſuas ſecundas Veſperas, in quibus fit commemoratio SS. Apoſtolorum. Eo autem anno, in quo Dies Octava SS. Corporis Chriſti incidit in diem trigeſimam Junii, Commemoratio S. Pauli transfertur ad diem quartam Julii in Feria ſecunda, ut anno 1707. tranſtuli juxta Rubricas in primo meo Romano Divinorum Officiorum Decennio ab anno Domini 1703. uſque ad annum 1712. incluſivè: ideoque hujuſmodi caſu eveniente, Veſperæ die tertia ejuſdem Julii ſunt de eadem ſequenti Commemoratione S. Pauli, cum Antiphonis ad Pſalmos *Ego plantavi*, ut in Eccleſia propria, ut dicitur in Rubrica Breviarii poſt Officium ipſius S. Pauli: poſtmodùm fit prius commemoratio S. Petri, cujus Antiphona *Tu es Paſtor Ovium*, deinde præcedentis Dominicæ. Ubi autem die quarta Julii occurrit duplex primæ, vel ſecundæ claſſis, in primis Veſperis de ſequenti non fit commemoratio de præcedenti Dominica, nec de SS. Apoſtolis, Octava alicubi forſan occurrente: ita Auguſtæ Vindelicorum, ubi ea die occurrit Feſtum S. Udalrici Patroni: ita Pragæ in Bohemia, ubi eadem die occurrit Feſtum S. Procopii itidem Patroni, & Octavá Viſitationis, in ſecundis ejus Veſperis fit quidem ibi commemoratio Dominicæ occurrentis, ſed non SS. Apoſtolorum, etiamſi die ſequenti Officium ſit de eorum Die infra Octavam.

930 Veniente autem hac Dominica in die quarta Julii, quæ eſt ſexta infra Octavam SS. Apoſtolorum, adhuc in Eccleſia Univerſali habet integras ſecundas Veſperas, cum commemoratione de SS. Apoſtolis, & ubi Viſitatio Beatæ Virginis

nis

nis Mariæ habet Octavam, fit etiam de ea commemoratio ante vel poſt Apoſtolos, juxta ritum illius Feſti, nam ubi Feſtum eſt duplex ſecundæ claſſis, de quo ſupra diximus, ejus commemoratio fit poſt Apoſtolos: at ubi eſt primæ claſſis, fit ante eos. Ubi autem dicta die quarta Julii fit de duplici primæ claſſis, & die ſequenti de Feſto ſemiduplici, ibi in ſecundis Veſperis de duplici primæ claſſis fit prius commemoratio Dominicæ occurrentis, deinde de Semiduplici ſequenti, ut habemus exemplum in Directorio Pragenſi, ubi die quarta Julii celebratur Feſtum S. Procopii Abbatis & Patroni, die verò quinta fit de Feſto ſemiduplici ibi occurrente S. Eliſabethæ Viduæ Reginæ Portugalliæ: & ideo in ſecundis Veſperis de S. Procopio fit commemoratio Dominicæ ante illam S. Eliſabethæ. Si verò hodie alicubi fieret de duplici primæ claſſis, & cras Officium eſſet de ſeptima Die infra Octavam SS. Apoſtolorum, in ſecundis Veſperis de illo duplici facienda quidem eſſet commemoratio de Dominica, non tamen de SS. Apoſtolis. Secùs verò, ſi die quarta Julii occurreret in aliqua Eccleſia Feſtum duplex ſecundæ claſſis, & die ſequenti agendum foret de Die ſeptima SS. Apoſtolorum, nam in ſecundis Veſperis facienda eſſet commemoratio & Dominicæ, & SS. Apoſtolorum. De Dominica verò occurrente in die quinta Julii dicemus in ſequenti Paragrapho de primis Veſperis Diei Octavæ.

§. XI.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

HÆc Dies Octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli transferri facit Feſtum duplex per Annum, ſive ſit minus ſive etiam majus, ut ex Rubrica Breviarii *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub numer.* 2. nec non ex Tabella Occurrentię *in fine Rubricarum*, legitimè infert Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub numer.* 13. Unde ſi hodie alicubi occurrat Feſtum duplex majus, transfertur juxta plura exempla Octavarii Romani, & pręſertim die Octava Maii ordinatur Officium de Die Octava SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, cum translatione de Feſto duplici majori Apparitionis S. Michaelis Archangeli. Sic ibidem die prima Auguſti transfertur Feſtum duplex majus S. Petri ad Vincula, & celebratur Dies Octava S. Jacobi Apoſtoli. Sic die quinta ejuſdem Auguſti fit de Die Octava S. Marthę Virginis, translato Feſto S. Marię ad Nives, quod in Eccleſia Univerſali ritum habet duplicem majorem. Quare quoad hoc nulla inſurgere poteſt difficultas, quę omninò tollitur à Rubricis, ab Octavario, ab Auctoribus, & à pluribus Decretis à Sacra Rituum Congregatione ad rem emanatis, ut de Viſitatione B. M. V. vidimus ſupra. Locum tamen, quem in hujuſmodi occurrentia acquirit Dies Octava, deperdit in concurrentia Veſperarum, ut clarè patet ex inferius dicendis. 931

Itaque primæ Veſperæ de hac Die Octava ſunt ſem- 932

ſemper integræ in Eccleſia Univerſali: & dicuntur omninò, ut in Breviario, cum Oratione propria, quæ alia eſt ab Oratione Feſti, nempè, *Deus, cujus dextra, &c.* Hanc Collectam fecit Leo Papa hujus nominis Secundus, orans pro Neapolitanis Civibus in Mari pugnantibus cum Saracenis, ut teſtatur Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 7. capitul. 15. ſub numer. 4. pag. mihi* 292. *à tergo*. Dictæ autem primæ Veſperæ concluduntur cum præfata ſola Oratione propria, niſi præcedat vel ſequatur Dominica, quia tunc fit commemoratio illius Dominicæ. In pluribus autem Urbibus, Diœceſibus, & Eccleſiis poſſunt occurrere aliæ commemorationes, ſcilicet de Octava Patroni, Titularis, aut Dedicationis: Sic Torcelli fit commemoratio de Octava S. Heliodori Patroni, cujus Feſtum celebratur die tertia Julii: Sic Venetiis fit commemoratio de Octava S. Martialis in ejus Eccleſia Parochiali & Collegiata: Sic ibidem in alia Eccleſia itidem Parochiali & Collegiata S. Marinæ fit commemoratio de Octava Dedicationis: & in utraque Eccleſia tam Titularis, quàm Dedicatio incidit in diem primam præfati Menſis: Sic denique Laureti, Recineti, Senogalliæ, Piſis, & alibi fit commemoratio de Octava Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis: quam quidem commemorationem in ſuis reſpectivè Locis fit poſt commemorationem Dominicæ tam præcedentis quàm ſubſequentis, ſi occurrat.

Quòd ſi cras in ipſa Die Octava SS. Apoſtolorum occurrat ſimul alicubi Dies Octava dignior, 933
qualis eſt illa Dedicationis Eccleſiæ, (prout occurrit Segniæ in Dalmatia à parte Imperii, quotieſcunque die ſexta Julii veniat Dominica quinta poſt Pentecoſten, ut in Tabula vigeſima tertia ordinis perpetui) tunc ibi in primis Veſperis de ſequenti Die Octava digniori particulari fit commemoratio de Die Octava minùs digna itidem ſequenti & univerſali, & poſtea Dominicæ, ut in caſu Segniæ: ſuppoſito ſemper, quòd Fe-

ſtum principale dictorum Apoſtolorum translatum ſit in aliquam Diem infra eorum Octavam. At ſi Feſtum principale dictorum Apoſtolorum non haberet alicubi locum in tota Octava, reponendum eſſet in ejus Die Octava, ut fieri poſſe diximus *tom.* 1. *capitul.* 1. §. 13. *ſub numer.* 193. & clarè patet ex inferiùs dicendis, niſi tamen occurreret Dominica, vel alia Dies Octava dignior, vel Feſtum duplex primæ aut ſecundæ claſſis: & ideò ibi die quinta Julii Veſperæ eſſent de ſequenti Feſti principali ſine alia commemoratione de ejus Die Octava, quia eſſet commemoratio de eiſdem cæteroquin vitanda in eodem Officio. Si verò in ſæpè dictam Diem Octavam SS. Apoſtolorum incidat alicubi Feſtum duplex primæ claſſis (ut Feſulis in Thuſcia incidit Feſtum S. Romuli Titularis illius Cathedralis & Patroni principalis) primæ Veſperæ ſunt ibi integræ de eo, cum commemoratione de hac Die Octava, & etiam Dominicæ ſi ſubſequatur, non tamen ſi præcedat: Ita etiam Venetiis dicta die ſexta Julii tam in Eccleſia Parochiali & Collegiata ipſis SS. Apoſtolis dicata, quam in Eccleſia Monialium Ordinis S. Benedicti, vulgò *l' Umiltà*, occurrit Dedicatio, & utrobique Veſperæ dicuntur, ut ſupra.

Si verò die quinta Julii, quæ eſt ſeptima infra 934
Octavam SS. Apoſtolorum occurrat alicubi Dies Octava, ſive Patroni, Loci, Titularis Eccleſiæ, ſive Dedicationis, Veſperæ ibi ſunt à capitulo de ſequenti Die Octava univerſali, cum commemoratione de præcedenti Die Octava particulari, juxta Rubricam generalem Breviarii *de Concurren. Offic. titul.* 11. *ſub numer.* 7. quia Die Octava concurrente in noſtro caſu cum alia Die Octava, non attenditur major dignitas, licèt revera attendatur in occurrentia, ut ſupra vidimus. Illud tandem eſt hoc loco notandum, quòd ſi Commemoratio S. Pauli Apoſtoli ſit transferenda, eo quòd in eam incidat Dies Octava SS. Corporis Chriſti; ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui; & re-

& reponi alicubi debeat die quinta Julii in Feria tertia, Veſperæ in hujuſmodi caſu ſunt integræ de ſequenti Die Octava SS. Apoſtolorum, cum Oratione propria, quæ utrique Apoſtolo eſt communis, & conſequenter nihil de præcedente Commemoratione ejuſdem S. Pauli: Ita Venetiis anno 1707. in quo caſus contigit prædictæ translationis & repoſitionis, ſiquidem die quarta dicti Menſis Julii egimus de Feſto duplici minori translato anteriori SS. Viti & Sociorum martyrum, quod fuit die decima quinta Julii in Feria quarta quatuor Temporum Pentecoſtes: neque enim apud nos in prædicto caſu agendum priùs erat de eadem Commemoratione S. Pauli, quæ fuit die trigeſima Junii, & poſtea de dictis SS. Vito & Sociis, qui fuerunt die decimaquinta ejuſdem Menſis, nam cùm dicta Commemoratio propria die dividat Veſperas à Capitulo de ſequenti Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, videtur conſideranda tanquàm Officium duplex minus: in paritate autem ritus attendenda eſt prioritas temporis in repoſitione translatorum, ritum habentium eundem, vigore Rubricæ Breviarii *de translat. Feſtor. titul.* 10. *ſub numer.* 7.

Explicata primarum Veſperarum varietate, modò de Officio in ipſa Die Octava SS. Apoſtolorum recitando differendum eſt. Itaque ad Matutinum omnia dicuntur de Communi Apoſtolorum, ſicut infra Octavam, ut hodie ita præſcribitur in Breviario. In primo tamen Nocturno dicuntur Lectiones de Scriptura occurrente, ſed in ſecundo & tertio ſunt propriæ, cum ſuis Reſponſoriis, ut ibi ponuntur. Ad Laudes poſt Hymnum de Communi, nempè, *Exultet Orbis gaudiis*, Verſiculus, Reſponſorium, Antiphona ad *Benedictus*, ac etiam Oratio itidem dicuntur, ut hac die in Breviario: & non fit ulla commemoratio in Eccleſia Univerſali, niſi occurrat Dominica, de qua idcircò dicitur nona Lectio ad Matutinum, cum ejus commemoratione in hiſce Laudibus. Alicubi verò poteſt occurrere una, vel plures commemo- 935

ratio

rationes, ut ſupra vidimus in primis Veſperis de hac Die Octava: & ubi Octavam habet Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis, ibi hodie ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas terminantur Hymni cum clauſula de Beata Maria ſcilicet, *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*.

At ſi hæc Dies Octava SS. Apoſtolorum ſit alicubi impedita ab Officio digniori, quale eſt Dies Octava Dedicationis Eccleſiæ: vel incidat Feſtum altioris ritus, ut eſt Feſtum duplex primæ aut ſecundæ claſſis (de quo exempla dedimus ſupra in primis Veſperis) Officium quidem ſit hodie de digniori, vel de Feſto, quod ritum habet altiorem, ſed cum hac ſpecialitate ab Auctoribus unanimiter attributa huic Diei Octavæ SS. Apoſtolorum, videlicet, quòd ſicuti hæc eadem Dies Octava habet Evangelium à Feſto, & à Diebus infra ejus Octavam diverſum & ideò proprium, ſic ne omittatur ob occurrens impedimentum majoris dignitatis vel altioris ritus, dicenda eſt ad Matutinum nona Lectio de Homilia in dictum Evangelium, & facienda ejus commemoratio in Laudibus: At ſi ſimul veniat Dominica, tunc & eo caſu omiſſa ad Matutinum nona Lectione de Homilia in Evangelium Diei Octavæ SS. Apoſtolorum, dicitur nona Lectio de Homilia in Evangelium illius Dominicæ. Auctoritates autem & rationes, quæ ſuper hoc modo procedendi in prædictis duobus caſibus ſeu occurrentiis adduci poſſunt, referemus paulò inferiùs, cùm de Miſſa hujus Diei erimus locuturi. 936

Quia verò, ſive alicubi occurrat in hac Die Octava SS. Apoſtolorum alia Dies Octava dignior, ut eſt illa Dedicationis Eccleſiæ, ſive Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ut eſt utriuſque ritus Dedicatio Cathedralis reſpectivè ad Clerum Sæcularem & Regularem ejuſdem Urbis, quandoque ſimul venit Dominica, & illa poteſt eſſe quinta vel ſeptima poſt Pentecoſten, ut in 937

Tabula

Tabula nona, vel vigeſima tertia ordinis perpetui, ideò *Initium* alterutrius Dominicæ hic incidentis, ſive *Incipit Liber ſecundus* aut reſpectivè *tertius Regum* ponendum ibi erit die ſeptima Julii in Feria ſecunda, & ea ſimiliter forſan impedita, transferetur in aliam proximiorem infra ſuam & eandem Hebdomadam. At quid agendum, ſi Feſtum principale SS. Apoſtolorum ſit alicubi ita transferendum, ut nec locum habeat repoſitionis infra totam ejus Octavam? Reſpondeo, in prædicto caſu reponendum eſſe in hac Die Octava non impedita Feſto digniori, aut altioris ritus vel Dominica: non eſt enim caſus ita metaphyſicus, ut alicubi dari non poſſit: nam ſi in aliqua Eccleſia Civitatis Pragenſis vel Regni Bohemici occurrat Feſtum Dedicationis die vigeſima nona Junii, quotieſcunque incidat in Feriam quartam, ſic ibi ordinatur Officium: = *Die* 29. *Junii*, *Feria* 4. *Dedicatio Eccleſiæ*, *dupl.* 1. *claſs.* = *Die* 30. *Jun. Fer.* 5. *Commem. S. Pauli Apoſt. dupl.* = *Die* 1. *Jul. Fer.* 6. *Dies Oct. S. Joan. Bapt. dupl.* = *Die* 2. *Jul. Sabb. Viſitat. B. M. V. dupl. maj.* = *Die* 3. *Jul. Domin. de ea ſemidupl.* = *Die* 4. *Jul. Fer.* 2. *S. Procopii Urbis Patr. dup.* 1. *claſs.* = *Die* 5. *Jul. Fer.* 3. *S. Eliſabeth Vid. eſt ibi dies fixa.* = *Die* 6. *Jul. Fer.* 4. *Feſt. SS. Apoſt. Petri & Pauli, & ejus Dies Oct. Omnia ex* 29. *Junii*, *ſine commem. Diei Oct.*

Quòd autem in prædicto caſu Feſti principalis 938
transferendi, & locum non habentis infra totam ſuam Octavam, ſic ſit agendum, ut ſupra diximus, ita ut transferri poſſit, (ſi caſus contingat) in ejus Diem Octavam non impeditam, omnes uno ore conveniunt, inter quos Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *capitul.* 6. *ſub numer.* 11. Claudius Arnaudus *in Epithom. Sacror. Rit. tract.* 2. *par.* 4. *titul.* 5. *ſub numer.* 5. *pagin. mihi* 362. Michael Bauldryus *in Manuali Sacrar. Cæremon. par.* 4. *capitul.* 2. *ſub numer.* 38. *pagin.* 207. qui licèt revera loquantur de Feſto SS. Innocentium impedito à Feſto Dedicationis, & ideò in eorum Diem

Octa-

Octavam transferendo: ex illo tamen caſu quid in ſimilibus ſit faciendum oſtenditur, cùm à ſimili valeat argumentum. At ne Scrupoloſi cenſeant, prædictum SS. Innocentium caſum eſſe ſpecialem, ita ut illis conveniat & ſolis, & ſic tanquàm caſus ſpecialis non ſit tradendus in exemplum, tollit omnem ſcrupulum Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 2. *capitul.* 12. *quæſt.* 2. *pagin.* 267, *juxta noviſs. edit. Venet. de Anno* 1729. *poſt Pariſien. de Anno* 1657. ubi Scrupuloſos ſua facit firmiſſima opinione certiores de univerſalitate omnium caſuum ſimilium ubicunque & quotieſcunque occurrentium.

In prædictis tamen caſibus Feſtorum principalium Octavam habentium, & transferendorum, Dies eorum Octava erit ſemper libera, etiamſi ea die perpetuò occurrat Feſtum duplex minus vel etiam majus, quia ſicuti ſemper Dies illa eſt ſedes Diei Octavæ, ita ſemper erit ſedes Feſti principalis quandocunque & ubicunque in eam transferendi eſt infra ſuam Octavam, Dies Octava eſt una ex ſuis diebus, unde adhuc eſt in poſſeſſione ſuæ Octavæ. Et ideò mihi non probatur illorum opinio aſſerentium vocaliter, & nulli Auctori innixorum, quòd ſi Feſtum S. Marci Evangeliſtæ in Eccleſiis eidem dicatis ſit impeditum uſque ad diem ſeptimam ſuæ Octavæ incluſivè, die ſecunda Maii, ſeu Die ejus Octava, agendum ſit non de Feſto principali translato, ſed de S. Athanaſio, cujus Feſtum ea die occurrit in Eccleſia Univerſali ſub ritu duplici minori: nam moveor ex ſupradictis rationibus transferendum eſſe in ſuam Diem Octavam dictum Feſtum principale, niſi præfata die ſecunda Maii occurrat Dominica, vel in Loco hujuſmodi caſus incideret ea die Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, quia Feſtum S. Marci egrederetur de tota ſua Octava ſine neceſſitate in caſu propoſito. 939

§. XII.

§. XII.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Miſſa in Die Octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli eſt propria hujus Diei; etiam quoad Orationes, & ideò eſt alia à Feſto primario, ejuſque Diebus infra Octavam. Dicitur in ea *Gloria in excelſis Deo*, nec tamen fit aliqua commemoratio in Eccleſia Univerſali, niſi occurrat Dominica, quia tunc commemoratio fit de ea, cum ejus Evangelio in fine, & ante Miſſam ſolemnem ſic in Dominicam occurentem fit de more aſperſio Aquæ benedictæ. Pluribus tamen in Locis & Eccleſiis poteſt incidere una vel etiam plures Orationes ſpeciales, tam in caſu quàm extra caſum Dominicæ quandoque occurrentis: nam Torcelli apud Venetos dicitur Oratio de Die quarta infra Octavam S. Eliodori Patroni: Itidem Venetiis in duabus Eccleſiis Parochialibus & Collegiatis S. Martialis Epiſcopi Confeſſoris, & S. Marinæ Virginis fit commemoratio de ſexta Die infra Octavam reſpectivè Titularis vel Dedicationis: Ita Pragæ in Bohemia additur huic Miſſæ Oratio de quinta Die infra Octavam Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, cujus Feſtum eſt ibi duplex primæ claſſis, deinde fit commemoratio de Die tertia infra Octavam S. Procopii Abbatis & Patroni, ut modò lego in Directorio illius triplicis Civitatis & Diœceſis de Anno 1723. ſub Reverendiſſimo & Celſiſſimo 940

Sacri

Sacri Romani Imperii Principe D. D. Ferdinando Archi-Epiſcopo Pragenſi. In eadem Miſſa dicitur etiam *Credo*, cum Præfatione Apoſtolorum. Illud tamen hoc loco eſt notandum ad eruditionem, quòd *Poſtcommunio* hujus Miſſæ inſerviebat antiquitùs pro Oratione *Super Populum*, ut videre eſt in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ *Operum tomo* 3. *pagin. mihi* 114. nàm tunc temporis, dicta Poſtcommunione, dicebatur ſemper alia Oratio *Super Populum*, cujus vetuſtatis reliquias adhuc retinemus in Feriis Quadrageſimalibus.

At ſi alicubi hodie in hac Die Octava SS. A- 941
poſtolorum occurrat Dies Octava dignior, qualis eſt illa Dedicationis Eccleſiæ, & Feſtum primarium jam repoſitum ſit in aliqua Die infra ſuam Octavam, vel hac die agendum ſit de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, (ut Feſulis in Thuſcia incidit Feſtum S. Romuli Epiſcopi & Martyris Urbis Patroni principalis, nec non Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata ipſis SS. Apoſtolis dicata, & ibidem in Eccleſia Monialium Ordinis S. Benedicti, vulgo *l'Umiltà*, occurrit Feſtum Dedicationis illarum Eccleſiarum) Miſſa quidem ibi dicitur vel de digniori Die Octava, vel de Feſto ex ſolemnioribus, cum ſecunda Oratione de hac Die Octava SS. Apoſtolorum, ſed in fine ejuſdem Miſſæ legitur Evangelium de eadem Die Octava, nam & legitur ad Matutinum nona Lectio de Homilia in ipſum Evangelium, ut tenet Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 11. *ſub numer.* 32. ita & Bernardus Biſſus *in Hierurg. tom.* 1. *lit. L. ſub num.* 45. §. 5. ita & Carolus Guyetus *in Heortolog. libr.* 4. *ſect.* 1. *capitul.* 7. *quaſt.* 7. *verſ. In talibus, pagin. mihi* 254. ubi tamen addit, duas Miſſas in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis convenientiùs eſſe cantandas, unam de Octava, alteram de Feſto: ſed hic uſus non eſt Romanus in hujuſmodi caſu, ideoque ſufficit una Miſſa ſolemnis de Feſto, cum ſecunda Oratione de die Octava, ejuſque Evangelio in fine.

Quòd

Quòd ſi in diem ſextam Julii incidat Dominica, & nihilominùs occurrat alicubi dictum impedimentum Feſti dignioris vel altioris ritus, ſicuti ad Matutinum omittenda eſt nona Lectio de Homilia in Evangelium Diei Octavæ, & dicenda nona Lectio de Homilia in Evangelium Dominicæ occurrentis, ut ſupra diximus, cùm de Officio hujus Diei Octavæ locuti ſumus, ſic & in Miſſa de Feſto fit, quidem priùs commemoratio de Die Octava, deinde de Dominica, ſed in fine legitur Evangelium ipſius Dominicæ, non verò Diei Octavæ: & ratio eſt, quia vacare non permittitur aliqua Dominica per Annum, & hoc fit ratione Evangelii, ut legantur Populo per Annum in Miſſa omnia Evangelia Dominicalia, ut hujus laudabilis opinionis primus omnium eſt Gavantus *dict. ſect.* 3. *capitul.* 11. *ſub numer.* 37. quem ſequuntur Bartholomæus Corſettus *in Prax. Caremon. tract.* 1. *par.* 1. *capitul.* 24. *ſub numer.* 10. Michael Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremon. par.* 4. *capitul.* 17. *ſub numer.* 4. *pagin.* 288. & tandem ſubſcribit Carolus Guyetus *loco proximè citato*, ubi tamen nimis aggravat Eccleſias Cathedrales & Collegiatas, ſiquidem laudata Gavanti opinione, addit ſtatim, dicendas convenienter tres Miſſas, perinde ac totidem notantur in Miſſali, occurrente Feſto in Vigilia Aſcenſionis: ſed hoc mihi non probatur; non eſt enim uſus, neque ratio cantandi de Dominica, & de Feſto in ea occurrente: & multo minùs de Feſto, & de Die Octava, nam ſub nomine Feſti novem Lectionum venit etiam Dominica, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1618. *ſub die* 12. *Martii*: ex qua declaratione benè infert Gavantus: *ergo Dominica non eſt Feria prima, neque in ea dua Miſſa ſunt cantanda*, ut videre eſt apud ipſum *tom.* 1. *titul.* 7. *ſub numer.* 2. Si non poteſt cantari de Feſto, & Dominica, neque cantari de duobus Feſtis, principali ſcilicèt, & minùs principali, quale eſt Dies Octava: & conſequenter magis aggravaretur Clerus contra uſum

com-

communem, ſi cantari deberent tres Miſſæ, ratione Feſti, Diei Octavæ, & Dominicæ: ideoque una ſufficit de Feſto, cum ſecunda Oratione de Die Octava, & tertia de Dominica, & in hoc tantùm caſu, omiſſo Evangelio licèt Diei Octavæ, legendum eſt in fine illud Dominicæ.

Claudius verò Arnaudus *in Epithom. Sacror. Rit. par. 1. poſt. titul. 9. in Append. ſub numer.* 30. *pag. mihi* 280. poſita opinione Gavanti ſuper Evangelio Dominicę; & non Diei Octavę SS. Apoſtolorum legendo in fine Miſſę de Feſto ſolemniori alicùbi occurrente: ſtatim tamen addit: *Cenſent alii legendum potiùs Evangelium Octavæ, tum quia hujus Officium dignius eſt, tum quia hujuſmodi Evangelium non poteſt legi alio die: quòd non poteſt dici de Evangelio Dominicæ; poteſt enim legi ſequentibus diebus infra Hebdomadam.* Hęc ille, ſed ego potiùs moveor auctoritate plurium Auctorum ſupra relatorum, quàm ab Aliis, quorum nomina non recenſentur ab Arnaudo. Nihilominus ad rationes illorum certè non Auctorum reſpondeo primò, quia licèt Dies Octava ratione ritus duplicis ſit dignior Dominica, Dominica tamen ratione Evangelii eſt dignior Die Octava: De Evangelio autem Dominicę impeditę legendo in fine Miſſę habemus Rubricam Miſſalis *de Commun. &c. titul.* 13. *ſub numer.* 2. & ſecundùm legem debemus operari: De Evangelio verò hujus Diei Octavę habemus opinionem, quę ſicuti probabilior eſt & ſequenda non occurrente Dominica, ſic ſi Dominica occurrat, ſuam opinio amittit probabilitatem. Quoad aliam rationem reſpondeo ſecundò, quòd illi Alii, quos ſuppreſſo nomine citat Arnaudus, dum tamen dicunt, ſibi contradicunt; ſiquidem ponunt impedimentum, & arbitrantur poſſe Evangelium Dominicę legi ſequentibus diebus infra Hebdomadam: Dum enim ſupponunt Diem Octavam SS. Apoſtolorum eſſe impeditam à Feſto de Titulari Eccleſię, hoc Feſtum habet Octavam: ergo tota Hebdomada eſt impedita, quia impleta eſt Officio 943

cio

cio Octavæ à Dominica ad Dominicam incluſivè : ergo ſequentibus diebus infra Hebdomadam non poteſt legi Evangelium Dominicæ : & ſic illa aliorum opinio corruit , quia non benè fundata : Quod ſi legi non poteſt intra Hebdomadam , ergo in Miſſa legendum eſt propria die , omiſſo in tali occurrentia Evangelio de Die Octava .

Ratio autem legendi potiùs Evangelium Dominicæ , quàm illud Diei Octavæ SS. Apoſtolorum in fine Miſſæ de Feſto alicubi occurrente in dicta Die Octava ſimul & in Dominica , eſt meo judicio , quia Populus libentiùs audit propria die Evangelium Dominicæ in Miſſa , cui neceſſariò aſſiſtit ex præcepto , quàm alia die infra Hebdomadam , ſi daretur caſus legendi in fine Miſſæ ; nam ratione Dominicæ etiam ſecundæ Veſperæ de ea ſunt integræ in concurrentia cum ſequenti Feſto ſemiduplici : quod factum eſſe ad favorem Populi Veſperas Dominicales amantis , cenſet Gavantus de intentione Eccleſiæ benè informatus , tanquam in Arte peritus , de Sacris Ritibus optimè meritus, & Sacræ Rituum Congregationis Conſultor , ac in Urbana Breviarii & Miſſalis correctione Aſſiſtens, ut videre eſt apud ipſum *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 9. *ſub numer.* 7. Et ideo (ut finem huic rei imponamus) non occurrente Dominica, & nona Lectio de Die Octava dicitur in Officio ad Matutinum , cum commemoratione in Laudibus : & occurrente Dominica, dicitur ad Matutinum nona Lectio de eadem Dominica , cum commemoratione in Laudibus priùs de Die Octava , & poſtmodùm de ipſa Dominica : & in Miſſa de Feſto poſt ſecundam Orationem Diei Octavæ fit commemoratio ejuſdem Dominicæ , cujus Evangelium legitur in fine , nulla attenta Aliorum opinione de Evangelio finali Diei Octavæ , & non Dominicæ . Si verò alicubi in hanc Diem Octavam transferri contingat ipſum Feſtum principale SS. Apoſtolorum non occurrente Domini- 944

ca, neque Feſto digniori, ſicuti Miſſa erit de Feſto principali, ſine commemoratione de Die Octava, ſic neque in fine Miſſæ legendum erit Evangelium ipſius Diei Octavæ.

Præmiſſis, quæ ad Miſſam quomodolibet celebrandam ſpectabant, ad ſecundas Veſperas in Die Octava SS. Apoſtolorum recitandas tranſeamus. Hæ igitur Veſperæ, quæ ſunt complementum hujus Octavæ, integræ dicuntur in Eccleſia Univerſali, & quidem prout hodie adnotantur in Breviario. Nulla fit in eis regulariter commemoratio, niſi quando occurrat vel ſubſequatur Dominica, aut die ſequenti veniat Sabbatum & Officium ſit ſimplex de Beata Maria, vel habeatur reponendum aliquod Feſtum translatum, quod in Eccleſia Univerſali ſolet noſtris temporibus eſſe ſemiduplex. Poteſt tamen alicubi dari ſemper aliqua commemoratio, ut de Octava Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis non ſolùm in Eccleſiis eidem dicatis, ſed & in pluribus Civitatibus & Diœceſibus, ut Laureti, Recineti, Senogalliæ, Piſis, & alibi. Imò & Torcelli, ac Pragæ, illic de Octava S. Eliodori Patroni, cujus Feſtum occurrit die tertia Julii: iſtic de Octava S. Procopii itidem Patroni occurrentis die quarta ejuſdem Menſis. Si die ſequenti in Eccleſia Univerſali Officium ſit de Feria, vel de Beata Maria in Sabbato, poſt ſecundas Veſperas de Die Octava, cum vel ſine commemoratione ſequentis juxta occurrentiam, dicuntur Veſperæ Defunctorum pro prima die Menſis, & cras dicit Chorus eorum Nocturnum cum Laudibus, juxta Feriam incidentem, ac in Miſſa dicitur penultimo loco Oratio *Fidelium*. 945

Ubi verò die ſeptima occurrit, vel reponatur translatum Feſtum duplex minus, ut Auguſtæ Vindelicorum in Rhetia fit ſub eodem ritu de S. Vvilibaldo Epiſcopo & Confeſſore: vel in eandem diem ſeptimam incidat alicubi alia Dies Octava, ut Segniæ in Dalmatia à parte Imperii incidit Dies Octava Dedicationis Cathedralis, 946

quo-

quotieſcunque occurrat ea die Dominica quinta poſt Pentecoſten, ut in Tabula vigeſima quarta ordinis perpetui: tunc & in utroque caſu ſecundæ Veſperæ de univerſali Die Octava SS. Apoſtolorum dividuntur, & ideo fiunt à Capitulo de ſequenti Feſto duplici minori, vel de Die Octava particulari & itidem ſequenti, cum commemoratione de præcedenti Die Octava SS. Apoſtolorum, & etiam Dominicæ vel præcedentis vel ſubſequentis, juxta caſus contingentiam. At ſi in memorata die ſeptima Julii fiat forſan de Feſto duplici majori, Veſperæ in Loco vel Eccleſia particulari eſſent de ſequenti, cum commemoratione præcedentis Diei Octavæ SS. Apoſtolorum.

At ſi in hac Die Octava SS. Apoſtolorum occurrat in aliqua Eccleſia Dies Octava dignior Dedicationis Eccleſiæ, (ut ſupra vidimus in primis Veſperis) tunc, & eo caſu eveniente in ſecundis Veſperis de Die Octava digniori, fit commemoratio de Die Octava minùs digna eorundem SS. Apoſtolorum; ac de Dominica præcedente vel ſubſequente, vel de ſequenti ſemiduplici tranſlato, ſi forte repoſitum ſit die ſeptima, vel de Beata Maria, ſi dicta die occurrat Sabbatum, & in eo fiat de ejus Officio ſimplici; vel alicubi de ſemiduplici particulari occurrente, ut Bergomi in Dominio Veneto, ac Volaterræ in Tractu Piſano Thuſciæ occurrit Feſtum ſemiduplex S. Romuli Epiſcopi & Martyris, & Brixiæ Venetæ Feſtum itidem ſemiduplex S. Apollonii Epiſcopi & Confeſſoris. Quòd ſi in ipſam Diem Octavam incidat Feſtum duplex ſecundæ claſſis, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio de Die Octava SS. Apoſtolorum, ac de Dominica ſi occurrat vel ſubſequatur, aut de Die infra Octavam alicubi forſan occurrentem, ſi tamen die ſequenti Officium ſit de Octava, & non aliter, nec alio modo, aut alia commemoratio ſit alicubi facienda. Si verò die ſexta Julii in aliquo Loco veniat duplex pri- 947

mę claſſis, (ut Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata ſub nomine eorundem SS. Apoſtolorum occurrit Dedicatio ipſius Eccleſię, & Feſulis in Etruria incidit Feſtum S. Romuli Epiſcopi & Martyris, Diſcipuli S. Petri Apoſtoli, ac illius Urbis Patroni) In ſecundis Veſperis de eodem Feſto fit commemoratio de Die Octava SS. Apoſtolorum, de Dominica occurrente, aut ſubſequente, vel de Feſto ſequenti ſemiduplici occurrente vel translato, & multo magis de duplici, ſi cras de eo fiat, non autem de S. Maria in Sabbato, ſi itidem cras occurrat ejus Officium ſimplex.

Datur etiam caſus nihil agendi de ſecundis Veſperis hujus Diei Octavę SS. Apoſtolorum, ubi ſcilicèt die ſeptima Julii occurrit Feſtum duplex primę claſſis, nam in primis ejus Veſperis non fit commemoratio de precedenti Die Octava, neque de Dominica, niſi ſubſequatur: Sic Genuę in Liguria: dicta die ſeptima Julii occurrit Feſtum S. Syri Epiſcopi Genuenſis, Patroni principalis Civitatis, & Contitularis illius Eccleſię Metropolitanę: Sic in eandem diem incidit Pampilone in Hiſpania Feſtum S. Firmini Epiſcopi & Martyris, Urbiſque Patroni: Sic denique Neapoli occurrit eadem die ſeptima Julii Dedicatio illius Cathedralis Eccleſię: quę prędicta tria Feſta cùm ſint in ſuis reſpectivè Locis duplicia primę claſſis, non admittunt in primis eorum Veſperis commemorationem de ſępè dicta pręcedenti Die Octava SS. Apoſtolorum, ut dicitur in Rubrica Breviarii *de commemor. tit.* 9. *ſub numer.* 4. & iterum ibidem in fine Rubricarum, ubi in Tabella Concurrentię, Die Octava concurrente cum ſequenti duplici primę claſſis, ſub numero primo dicitur, *Totum de ſequenti, nihil de precedenti*. Non ſic tamen agendum, ſi dicta die ſeptima Julii alicubi occurrat duplex ſecundę claſſis, ut eſt Dedicatio Eccleſię Neapolitanę ſupra relata apud Clerum Regularem illius Civitatis, apud quem in primis Veſperis 948

peris de eadem Dedicatione ſit commemoratio de pręcedenti Die Octava, ut habetur in dicta Tabella de Concurrentia, ubi ſi Dies Octava concurrat cum duplici ſecundę claſſis, ſub numero tertio reſpondetur, *Totum de ſequenti, commemoratio de præcedenti*.

Sed & alii duo caſus haberi poſſunt, licèt rarò occurrentes, deperdendi ex integro ſecundas Veſperas de Die Octava SS. Apoſtolorum, ita ut neque fiat commemoratio. Itaque primus caſus, (qui non eſt adeò metaphyſicus, ut ſupponit Carolus Guyetus *in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. cap. 8. quæſt. 9. verſ. Tertiò, pag. mihi 262.*) tunc datur, quando Commemoratio S. Pauli Apoſtoli alicubi transferenda eſt in diem ſeptimam Julii, eo quòd die trigeſima Junii incidat in eam Dies Octava SS. Corporis Chriſti, nam tunc in primis Veſperis de dictą Commemoratione S. Pauli recitandis ut in Eccleſia propria, fit quidem commemoratio S. Petri, ſed fruſtra fieret diviſio Veſperarum à Capitulo de ſequenti, cum commemoratione de pręcedenti Die Octava, cum in Veſperis de ſequenti ſufficienter actum ſit de utroque Apoſtolo: & hoc etiam habet dictus Guyetus *loco proximè citato*: Dixi autem, quòd caſus non eſt omninò metaphyſicus, nam in hujuſmodi occurrentia ſic Pragę in Bohemia diſponitur Officium, ſcilicèt: = *Die 30. Junii, Fer. 5. Dies Oct. SS. Corpor. Chr. dup. maj.* = *Die 1. Julii, Fer. 6. Dies Oct. S. Joann. Bapt. dup.* = *Die 2. Julii, Sabb. Viſitat. B. M. V. dup. maj.* = *Die 3. Julii, Domin. 3. poſt Pentec. de ea, ſemidup.* = *Die 4. Julii, Fer. 2. S. Procopii Abb. & Urb. Patr. dup. 1. claſs.* = *Die 5. Julii, Fer. 3. S. Eliſabeth Vid. Reg. Portugall. ſemid. ubi eſt dies fixa:* = *Die 6. Julii, Fer. 4. Dies Oct. SS. Apoſt. dup. Veſp. de ſeq. com. S. Petri, nil de Die Oct.* = *Die 7. Junii, Fer. 5. Commemor. S. Pauli Apoſt. dup. (fuit 30. Junii) cum commem. S. Petri.*

Secundus caſus deperdendi omninò etiam com- 950
memorationem de Die Octava SS. Apoſtolorum ſup-

ſupponit, quod in aliqua Eccleſia Diœceſis fiat die vigeſima nona Junii ſub ritu duplici primæ claſſis, ſed ſine Octava, Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, & eo anno occurrat in Feria quarta: ibi idcircò Feſtum minus dignum SS. Apoſtolorum ſupponitur translatum in eorum Diem Octavam: in dicta ergo Eccleſia in ſecundis Veſperis de Feſto principali translato nihil de ipſorum Die Octava: Exemplum ponitur in aliqua Eccleſia Diœceſis Pragenſis in Regno Bohemiæ; ibi ergo: = *Die* 29. *Junii*, *Fer.* 4. *Dedicat. Eccleſ. Cathedr. dup.* 1. *claſs.* reliqui dies impediti videantur ſupra in exemplo præcedenti ejuſdem Urbis: Deinde: = *Die* 6. *Julii*, *Fer.* 4. *Feſt. SS. Apoſt. & ejus Dies Oct. dupl.* 1. *claſs.* (*fuit* 29. *Junii*) *in* 2. *Veſp. nihil de eor. Die Oct.* = In eadem autem Eccleſia eo anno, quo Dies Octava SS. Corpor. Chr. incidit in diem trigeſimam Junii, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, fiet etiam translatio Commemorationis S. Pauli Apoſtoli in diem ſeptimam Julii, unde ibi: = *Die* 6. *Julii*, *Fer.* 4. *Feſt. SS. Apoſt. & ejus Dies Oct.* (*fuit* 29. *Junii*) *in* 2. *Veſp. non ſit com. de Die Oct. neque de ſequen.* = *Die* 7. *Julii*, *Fer.* 5. *Commemor. S. Pauli Apoſt. dup.* (*fuit* 30. *Junii*) nam in hoc caſu multiplicarentur in Veſperis commemorationes ſine neceſſitate: neque enim de eodem faciendum eſt Officium, & commemoratio.

DE OCTAVA COMMUNI S. LAURENTII LEVITÆ & MARTYRIS.

CAPUT QUARTUM.

QUarta ex Octavis Communibus ſeu non Privilegiatis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, eſt illa de S. Laurentio digniſſimo Levita & Martyre glorioſiſſimo. Sinat tamen devotus Lector, ut priùs aliquid in ejus laudationem dicamus, quàm de Feſto & Octava inchoemus diſſerere. Fuit enim fortiſſimus Miles, qui ex proprio nomine didicit victoriam: ſiquidem Laurentius venit ex Lauro ſemper argumento triumphi: & ſicuti ignea Fulmina è Cœlo cadentia Lauro non nocent, ſic Ignis non nocuit Laurentio. Attamen ſcuto circumdedit eum Veritas, & ideò non timuit à timore nocturno. Felix Mater Hiſpania, quæ gloriari poteſt de tanto Filio, à quo acquiſita fertilitate, innumeros genuit Sanctos. Oſca fuit Patria Laurentii: Parentes Orentius & Patientia, qui non ſolùm ſciverunt per bona opera inter Sanctos Martyres adſcribi, ſed & Filium genuerunt Sanctum & quidem Martyrem, ut qualis fuit Pater & Mater, talis eſſet & Filius, de cujus Parentibus refert Baronius *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub die* 1. *Maii*, *litt. e*, & de eis ſolet Oſca Feſtum ſolemnizare. 951

Quid egerit Laurentius uſque ad Martyrium, profectò neſcitur, ſed quia *cum Sancto Sanctus eris, & cum Viro innocente innocens eris*, firmiſſimè tenendum eſt, quòd Parentes Sancti illum docuerint ſcientiam Sanctorum: nam cùm illi *fuerint homines divites in virtute, qui de illis natus eſt, reliquit nomen narrandi laudes eorum*, *Eccleſ. cap.* 44. Romam contendit Juvenis, ut inferiùs clarè patebit ex verbis S. Xyſti Papæ, cujus erat Archidiaconus. Hanc verò ei dignitatem non contuliſſet Pontifex, niſi in Laurentio mores agnoviſſet quibus induitur Sanctitas & exemplum vidiſſet, quod ſoli oſtendunt Viri probiſſimi: nam Xyſtus non ſolùm fuit Sanctiſſimus, ſed etiam Sanctus, & conſequenter magnum non poterat tradere miniſterium, niſi meritiſſimo licèt Juveni; ſiquidem *ſenectus venerabilis eſt, non annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*, *Sapien. cap.* 4. Cuſtodiebat Laurentius theſauros Eccleſiæ, nempè denarios, ut ait *S. Ambroſius*, quos retinebat Xyſtus ad elargiendas Chriſtianis pauperibus eleemoſynas in crudeliſſima illa Valeriani perſecutione, in qua Roma adhuc ignorans ſuæ provectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium ſerviebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem, ut egregiè obſervat S. Leo *ſerm.* 1. *in Nat. Apoſt. Petri & Pauli*: & ſimul aſſervabat Levita noſter vaſa aurea & argentea, ac pretioſa Altaris ornamenta, à Fidelibus divitibus Eccleſiæ donata. 952

953 Dum autem Xyſtus ſolus comprehenſus ducebatur ad carcerem, ibi manſurus, donec à ſuo perſecutore ſcriberetur mortis ſententia, Laurentius Archidiaconus, qui ſemper erat cum ſuo Epiſcopo, ſperans Martyrium ſimul ſubîre, clara voce ei dicit: *Quò progrederis ſine Filio Pater? Quò Sacerdos ſancte ſine Miniſtro properas? Tu nunquam ſine Miniſtro Sacrificium offerre conſueveras:*

Quid

Quid ergo in me diſplicuit Paternitati tuæ? Numquid degenerem me probaſti? Experire, utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem. Audiſtis in Laurentio deſiderium Martyrii: audite Xyſtum, qui ſuperne illuſtratus, non defraudat eum à deſiderio ſuo, ſed illius Juventutem animat ad majora quamprimùm ſufferenda, ſiquidem propheticè reſpondet: *Non ego te deſero, Fili, neque derelinquo, ſed majora tibi debentur pro Fide Chriſti certamina: Nos quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus: Te autem quaſi Juvenem manet glorioſior de Tyranno triumphus: Poſt triduum me ſequeris Sacerdotem Levita*. Deinde eum hortatur paternè ad theſauros Eccleſiæ Pauperibus diſtribuendos, ne perſecutor de divitiis, quibus inhiabat, aliquid reperiret: & ideò proſequitur: *Interea, ſi quid in theſauris habes, Pauperibus diſtribue*.

His Laurentius auditis, quoad reliquum habebat, diſperſit, dedit Pauperibus: undè benè S. Maximus homil. 1. de S. Laur. *Ergo*, inquit, *ut comperit ore Sacerdotis & Martyris, ſe quoque omnimodis aſſumendum, congregatis Inopum turbis, Eccleſiaſticum ſenſum religioſa liberalitate diviſit*. Dum autem totus eſt in eleemoſynarum diſtributione, & ad hoc Romam perluſtrat, facto Crucis ſigno viſum reſtituit Creſcentio cœco. Diſtributis eleemoſynis, dum exit Laurentius è quodam Loco occulto ſeu Spelunca, ubi latebant pauperes Chriſtiani, videt Xyſtum, qui ad capitis abſciſſionem ducebatur unà cum Feliciſſimo & Agapito, & obviam occurrens, alta voce terque quaterque illi dicit: *Noli me derelinquere, Pater ſancte, quia theſauros tuos jam expendi*. Jam feci quòd juſſiſti, & ſolùm remanet, ut tecum Martyrium ſubeam. Satellites, auditis theſauris, comprehenderunt Laurentium, rem gratam Valeriano facturi divitiarum cupidiſſimo. Ad ſe igitur adductum interrogat ſtatim Laurentium Tyrannus, ubi ſint Eccleſiæ theſauri: & ideò S. Leo in Nat. S. Laur. *Armatur*, inquit, *gemina face homo pe-* 954

cunia

cunia cupidus : avaritia , ut rapiat aurum : impietate , ut auferat Chriſtum . Levita caſtiſſimus terminum petit legalem à ſuo Judice , ut poſſit theſauros colligere, & à Valeriano conceditur, cum Hippolyto tamen cuſtode.

Interim circuit Romam Laurentius , Pauperes colligit , & facto cum eis exercitu , ſequenti die ipſe Dux , ſtrenuiùs comparet intrepidus coram ſuo perſecutore, manuque extenſa oſtendit ei Pauperes, dicens : *Iſti ſunt theſauri Eccleſiæ , quos requiris* : ex qua Egenorum oſtenſione pio ſtupore correptus S. Maximus , *quàm profundum* , inquit , *ſpiritalis Viri, & quàm Cæleſte conſilium, ut & egenis conſuleret , & multitudine conſumente quæ dederat, inveniri non poſſit, quod raperet perſecutor*. Ecce prima Laurentii victoria, quam cum ſuo exercitu retulit : vicit enim ſtrenuè , quia dum hos theſauros oſtendit, fecit , ut nec Tyrannus poſſet auferre. Fremit prædo fruſtratus, & interim tradit Laurentium Hippolyto , qui eum rabidè catenis vinctum clauſit in carcere fœtido quidem & obſcuriſſimo, ſed à Levita Miraculis illuminato. Dum enim Laurentius in carcere manet, ubi nonnulli alii reperiebantur , erat inter eos quidam Gentilis nomine Lucillus, cui tamen nomen nihil dederat lucis; cœcus enim erat, qui tamen baptizatus à Laurentio, ab eodem cum ſigno Crucis lumen recepit: quo Miraculo per Urbem diffuſo , multi acceſſerunt cœci , omneſque eodem modo ſanati ſunt . Ex hac multorum ſanatione oculorum, illud poſtmodum promeruit præclarum elogium a miris operibus deductum , quod de eo læta canit Eccleſia: *Levita Laurentius bonum opus operatus eſt , qui per ſignum Crucis cœcos illuminavit* . Interim Hippolytus cuſtos , qui cœcus erat in Fide , viſis quæ fiebant à Laurentio , voluit illuminari ſpiritualiter ; & ideò optimè inſtructus, recipit Baptiſmum, & poſtmodùm fit Chriſti Martyr. Vide quanta ſit Laurentii Fides, quę dum baptizat, facit Sanctos!

At Valerianus, qui deluſus non potuit theſau- 956

ros

os rapere, rapuit Laurentium: Scorpionibus enim eum cruciat, ſive ferreis inſtrumentis ſimilitudinem ſcorpionum habentibus, & à tyrannide inventis, ut carnes lacerent. Deinde fruſtratus de divitiis, unum ex duobus imperiosè eligendum
955 proponit: *vel debes Diis ſacrificare, vel mori*: Tunc fortiſſimus Levita, negato primo, non timet ſecundum: & ideò intrepidè reſpondet: *Deum meum colo, & illi ſoli ſervio, & ideò non timeo tormenta tua*. Hac accepta Tyrannus reſponſione, excandeſcens, fuſtibus eum cædit, in quo tormento dum fundit Laurentius preces ad Deum, ut ſi ei placeret, ſuam apud ſe animam reciperet, vocem audit de Cœlo allatam ſibique dicentem: *Adhuc remanent aliæ pœnæ ſufferendæ*. Omnes, qui aderant, vocem audierunt: ſed crudelitas nunquam ſatiata, iterum ſcorpionibus tradit & plumbatis, poſitis deinde ad latera ferreis laminis ardentibus, ac pectinibus lacerantibus, plagaſque per totum corpus infigentibus. Dum in tali pœna reperitur Laurentius, quidam miles nomine Romanus ſeriò admirans Levitæ fortitudinem in tantarum ſufferentia pœnarum, à Spiritu Sancto illuſtratus, videt Angelum ſub ſpecie Juvenis, qui Laurentio abſtergit ſudorem vultus, plagaſque expurgat corporis: quare à Levita in carcerem poſt tot tormenta redeunte petit Baptiſmum, & ipſe baptizatus evaſit poſtmodum Sanctus Martyr.

Interim Perſecutor non ampliùs theſauris intentus, nec de ſacrificio Diis præſtando ſollicitus, ſed plenus ira, vindictam meditatur, quia 957
Laurentius, dum nihil timet cruciatus, Tyrannum deludit. Quare excogitat Valerianus tale tormentum, quo poſſit quidem Levita mori, ſed paulatim: eo prorsùs modo, quo Caligula dicebat Carnifici: *ita feri, ut ſentiant ſe mori*. Itaque extendit ſanctiſſimum Levitam ſupra Lectum ferreum ad inſtar Craticulæ elaboratum, talis tamen latitudinis & longitudinis, ut totum Martyris corpus poſſit commodè capi, ſub quo poni fecit ignem tali crudeli artificio, ut paulatim ure-
956 ret,

ret, ita ut cruciatus eſſet crudelior, quo erat tardior. Unde benè ſuper hac ſævitiæ inventione, ait S. Leo: *Laceros artus, & multa verberum ſectione conſciſſos ſubjecto præcipit igne torreri, ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in ſe haberet urendi, converſorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior*. Dum tamen nocturno tempore Martyr ſanctiſſimus uritur, viſione ibi illuſtratus, clarè dicit: *Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt*. Deinde ad Deum converſus, ſic eum alloquitur, gaudens de fide ſervata, & de igne neglecto atque deſpecto: *In Craticula te Deum non negavi, & ad ignem applicatus, te Chriſtum confeſſus ſum*. Ut autem majorem referat de Tyranno triumphum, illud oſtendit in fine Chriſtianæ fortitudinis argumentum, quo nullum aliud ſimile: ſiquidem dum una pars corporis erat jam ſatis aſſata, dicit intrepidè Valeriano ſatellitibus interim prunas miniſtrantibus: *Aſſatum eſt jam, verſa, & manduca*: & reprehendens ejus avaritiam, propter quam in eum deſæviebat, ſtatim ſubjungit: *nam facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cœleſtes theſauros manus pauperum deportaverunt*. Deinde iterum Chriſtum allocutus, eique dicens, *Gratias tibi ago, Domine, quia per hoc Martyrium januas tuas ingredi merui*, ſpiritum Deo reddidit Martyr digniſſimus: cujus fortitudinem admiratus S. Leo, *ſegnior*, inquit, *fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit*: & ideò eadem admiratione factus Panegiriſta Martyrii proſequitur: *In honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicii*.

Illud tamen Laurentii certamen non fuit tantùm privatum: fuit enim publicus Fidei triumphus, nam *dum Roma penè omnibus dominans Gentibus, omnium Gentium ſerviebat erroribus*, Laurentius columna Fidei firmiſſima, omnia deſtruxit Idola: & non ſolùm Romam illuſtravit conſtantiſſimus inter tormenta, ſed totum Orbem clarificavit: & ideò S. Auguſtinus *ſerm. 30. de Sanctis*, 958

ſic in

ſic in noſtri Martyris laudationem prorumpit : *Tanta ejus Martyrii gloria extitit, ut paſſione ſua Mundum illuminaverit univerſum*. Eſt igitur Laurentius Sidus illud, quod influxus gloriæ omnibus infundit Locis, omnibus Nationibus, omnibus Ætatibus. Imò Sol eſt Martyrum, *cujus radiantibus flammis toto orbe Chriſti corruſcat Eccleſia*, ut benè S. Maximus *homil.* 1. *de S. Laur.* Hactenus laudavimus Martyrem, nunc commendanda eſt Roma, dicamuſque idcircò lætabundi cum S. Leone : *Gaudeamus gaudio ſpiritali, & de feliciſſimo inclyti Viri fine gloriemur in Domino, qui ita per univerſum Mundum clarificavit gloriam ſuam, ut à Solis ortu uſque ad occaſum, Leviticorum luminum corruſcante fulgore, quàm clarificata eſt Jeroſolyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio*.

Corpus ſanctiſſimi Martyris ſuper Craticulam à Tyranno relictum, Hippolytus adhuc occultè Chriſtianus, & poſtea publicè Martyr) auxilium præbente Juſtino Presbytero Levitæ noſtri amiciſſimo, & poſtmodum Maryrium ſubeunte ſub eodem Perſecutore) ſummo manè ſublatum, clam ſepelivit Via Tiburtina in Cœmeterio Cyriacæ in Agro Verano, pluribus comitantibus, de quorum planctu triduano in ejus mortem, deque Jejunio pro eo inſtituto, paulò inferiùs dicemus, cùm de Vigilia hujus Sancti ſermo erit. 959

Tu ergo, Laurenti Levita caſtiſſime, accipe libenter, quæ de te hactenùs dicta ſunt devotè ; & qui fuiſti Romæ diligentiſſimus in ſacro miniſterio Archidiaconus, adjuva tuis validiſſimis interceſſiouibus Sacerdotem de Sacris Ritibus tractantem. Fac, quæſo(prout humiliter deprecor) ut mea nox, in qua verè ſemper *in laboribus à juventute mea* aſſiduus fui, obſcurum non habeat, ſed omnia in luce clareſcant : adeò ut de Sacris Ritibus recta ſapiam, tuamque Solemnitatem, unà cum tota ejus Octava, valeam ea, qua par eſt, diligentia & attentione inchoare, ac ritè & rectè ad complementum deducere. 960

§. I.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam S. Laurentii Levitæ & Martyris.

Beatus Laurentius Levita, quia poſt Beatum Stephanum inter alios Martyres primatum obtinet, Vigiliam habet, ait Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. libr. 7. capitul. 23. ſub numer. 1. pagin. mihi* 294. Potiorem tamen rationem quoad hanc antiquiſſimam Vigiliam (de qua agit etiam Venerabilis Beda, qui ſanctitate floruit circa Annum Domini 370.) tradit Cæſar Cardinalis Baronius *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub hac die 9. Auguſti*: Cur autem præ cæteris Martyribus (inquit) S. Laurentii agantur Vigiliæ, id quidem non alia de cauſa factum putamus, quàm ex priſtina illa Fidelium obſervatione, quà propenſiori ſtudio ad Corpus tanti Martyris vigilare cæperunt, ut ejus Acta teſtantur: ſic enim habent: *Cùm tradidiſſent Sepulturæ S. Laurentium, jejunantes celebrarunt Vigilias noctis triduo cum multa Chriſtianorum frequentia: nec ceſſarunt à luctu & lacrymis: Beatus verò Juſtinus Presbyter obtulit ſacrificium laudis, & participes facti ſunt omnes.* Quod quidem ſacratiſſimum Inſtitutum, etſi non triduanis Vigiliis, unis ſaltem anniverſaria die obſervandum retinuit Sancta Mater Eccleſia uſque in hodiernum diem. Scio tamen alios alias reddere rationes, ſed hæc mihi magis probatur, quæ ex Actis ejus accipitur. *Hæc ibi Baronius.* 961

Officium tamen hujus Vigiliæ, cui annexum eſt Jejunium, ab Invitatorio uſque ad Laudes incluſivè 962

cluſivè ſumitur integrè ex illa Feria in Pſalterio, in quam incidit ipſa Vigilia, ut dicitur in Rubrica Breviarii *de Vigil. tit. 6. ſub num.* 4. exceptis tribus Lectionibus de Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Matthæi *Si quis vult poſt me venire*, ut in Communi unius Martyris de ſecundo loco. Reſponſoria verò ſumuntur ex Feria occurrenti in Proprio de Tempore. Quòd ſi hæc Vigilia occurrat in Sabbato, omiſſo ad Matutinum Pſalmo *Bonum eſt*, dicitur Pſalmus *Jubilate Deo*. Quia tamen Proprium de Tempore nec Reſponſoria habet unquam in Sabbato, nec locum citat, ex quo ſint ſumenda, ideò in hujuſmodi caſu dicuntur juxta Rubricam generalem Breviarii *de Reſponſor. poſt. Lect. titul.* 27. *ſub numer.* 5. At quia in Officio Vigiliæ non dicitur *Te Deum*, ejus loco legitur tertium Reſponſorium. Ad Laudes, dicto Cantico *Benedictus* cum Antiphona de Pſalterio, ut in Feria occurrenti, recitantur Preces feriales flexis genibus, etiam extra Chorum, juxta Gavantum *tom.* 2. *ſect.* 10. *capitul.* 1. *ſub numer.* 4. ubi loquens de privata Horarum Canonicarum recitatione, inter alia ſic habet: *Genuflectendum autem erit ad Preces feriales in Laudibus, Veſperis, & Horis, in diebus nimirum pœnitentiæ dicatis*. Poſt Preces dicitur Oratio, quæ eſt propria hujus Vigiliæ, & incipit *Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris*, qua recitata Vigiliæ Oratione, fit commemoratio S. Romani Martyris à noſtro Levita Laurentio baptizati, ut ſupra vidimus: Deinde fit etiam commemoratio Crucis ex Feria ſecunda in Pſalterio: Poſtmodum fiunt Commemorationes communes, ſeu Suffragia Sanctorum, inter quæ omittitur commemoratio S. Laurentii, ubi eſt Titularis Eccleſiæ: & ratio eſt, quia jam nominatur in Oratione Vigiliæ, nec bis fit de eodem in eadem Hora, juxta rationes & auctoritates de quibus ſupra *In Vigil. S. Joannis Baptiſtæ*: & ideò Peruſiæ, quia S. Laurentius eſt Titularis illius Cathedralis, non fit hodie de eo ad Laudes commemoratio in Suffragiis.

Ubi

Ubi autem die ſecunda Auguſti celebratur Feſtum novem Lectionum, ſive occurrens ſive etiam translatum, ſi in diem nonam ejuſdem Menſis non incidat Dominica, & agendum ſit de Vigilia non impedita, poſt Veſperas pridianas dicuntur Veſperæ Defunctorum pro prima die Menſis, & ipſa die nona recitatur Nocturnum cum eorum Laudibus, juxta ordinem Feriæ occurrentis: ſic Adriæ in Dominio Veneto, quia ibi dicta die ſecunda Auguſti fit de Feſto occurrente duplici minori S. Petri Antiſtitis Ravennatis: ſic Volaterræ in Tuſcia, quia eadem die occurrit Feſtum duplex minus S. Stephani Papæ & Martyris: utrobique die nona dicitur regulariter in hac Vigilia non impedita Officium Defunctorum, ut ſupra. Ad omnes tamen Horas hujus Officii de Vigilia omnia dicuntur, ut in Pſalterio, cum Precibus ferialibus, quæ flexis genibus recitantur, & cum Oratione propria Vigiliæ: Sed ad Primam Martyrologicus Lector, pronunciata Kalendarum Lunariſque ætatis quantitate, annunciat primo loco *Romæ Via Tiburtina Natalis Beati Laurentii Archidiaconi*, *&c.* Et ubi die decima Auguſti occurrit aliqua Dies Octava, ut Concordiæ in Foro Julii, & Paſſavii in Auſtria incidit Dies Octava Inventionis S. Stephani Protomartyris utrobique Patroni, adhuc ibi in Martyrologio pronunciandum eſt primo loco Elogium S. Laurentii, deinde Dies Octava, non verò priùs Dies Octava, deinde Elogium S. Laurentii, ut ſenſit Guyetus *in Heortolog. libr.* 2. *ſect.* 4. *capitul.* 14. *quæſt.* 4. *verſ. Secundò*, *pagin.* 126. ex claris Regulis ipſius Martyrologii, & rationibus alibi traditis. 963

Quòd ſi die nona Auguſti occurrat Dominica, fit quidem eadem Die Officium illius Dominicæ à Pentecoſte numeratè venientis, cum commemoratione in Laudibus de S. Romano: ſed Vigilia transfertur unà cum Jejunio in Sabbatum immediatè præcedens, & celebratur cum nona Lectione ad Matutinum, & cum commemoratione 964

ad

ad Laudes in Feſto occurrente SS. Martyrum Cyriaci & Sociorum: & hoc ſimiliter fit, ſi Dominica incidat in diem octavam Auguſti, nam die nona ejuſdem Menſis Officium erit de eodem Feſto, quòd fuit heri, ſed in Laudibus poſt commemorationem Vigiliæ additur & illa S. Romani. Idem dicendum, ſi in hac Vigilia agendum alicubi ſit de aliquo alio Feſto ſemiduplici vel duplici, occurrente vel translato, imò & de aliquo Die infra Octavam particularem. At ſi die nona Auguſti, quæ eſt propria ſedes hujuſce Vigiliæ; vel die octava ejuſdem Menſis, quæ eſt locus translationis in caſu Dominicæ occurrentis, veniat alicubi, vel ſit celebrandum translatum Feſtum duplex primæ claſſis, tunc ibi ſervato Jejunio, nihil prorsùs fit de Vigilia, ita ut nec nona Lectio de ea dicenda eſt ad Matutinum, nec facienda ejus commemoratio in Laudibus, ſed neque aliquid de S. Romano. Quotieſcunque tamen ſæpè dicta die nona Auguſti incidat Dominica in Feſtum duplex primæ claſſis alicubi forſan occurrens, eo caſu (ut reor) Vigilia cum Jejunio erit etiam ibi transferenda in Sabbatum immediatè præcedens, non quidem ratione illius Feſti duplicis primæ claſſis, quod non admittit Vigiliæ translationem, ſed omiſſionem requirit totalem: ſed ratione Dominicæ admittentis anticipationem Vigiliæ in Sabbato: utrumque enim habemus ex Rubrica generali Breviarii *de Vigiliis, titul. 6. ſub num.* 2. quod enim in uno caſu fieri non poteſt per unam Rubricam, videtur faciendum in altero caſu per aliam: & hoc modo non ſemper in Eccleſia particulari deperdenda erit Vigilia, ſed aliquo anno etiam ibi celebrabitur per regulam generalem.

Unum tamen modò inſurgit Dubium hoc loco reſolvendum. Alicubi die nona Auguſti quæ eſt propria ſedes Vigiliæ, occurrit vel celebratur translatum Officium novem Lectionum, quod omnia ſumit, vel ſaltem Homiliam ex Communi unius Martyris de ſecundo loco. Quid agendum 965

de Evangelio in tali occurrentia prorsùs eodem ? Eritne commutandum illud Feſti, vel iſtud Vigiliæ, cùm unum vel alterum neceſſariò ſit variandum, ne bis recitetur? Ut verum fatear, videtur mutandum Evangelium Feſti, ſumendo illud ex eodem quidem Communi, ſed de primo loco, nam Evangelium Vigiliæ aſſignatum eſt ab Eccleſia tanquam proprium, & ideo in occurentia hujuſmodi ipſeitatis retinendum. Quapropter in Civitate Rhodigii de Diœceſi Adrienſi in Dominio Veneto occurrit in hac Vigilia S. Laurentii Dies Octava S. Stephani Papæ & Martyris ac Titularis in præcipua Eccleſia, & celebratur per totam Octavam de Communi ex ſecundo loco, attamen hodie in Die Octava mutatur Evangelium Feſti, & retinetur illud Vigiliæ. Sed & nos Venetiis ſæpè ſecundum locum mutavimus in primum, occaſione repoſitionis alicujus Feſti Semiduplicis tranſlati locum ſecundum cæteroquin habentis, ut hæc Vigilia ſuum retineret Evangelium, ut videre eſt in noſtris Directoriis de anno 1692. 1703. 1704. 1706. 1718. & 1724. Nihilominus data in Laudibus commemoratione Vigiliæ, reticendam eſſe ad Matutinum nonam ejus Lectionem, clarè infertur ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis *in Einſidlen. anno* 1736. *ſub die* 5. *Maii* pro Vigilia omnium Sanctorum, ut ſuo loco videbimus, ubi & Decretum extendetur, & ratio dabitur ejuſdem Decreti.

§. II.

§. II.

De iis , quæ ſpectant ad Miſſam , & Veſperas in Vigilia S. Laurentii Levitæ & Martyris.

MIſſa in Vigilia S. Laurentii eſt propria , 966
circa quam non cenſeo abs re fore, ea, quæ ſequuntur, exponere. Cùm enim in Beato Laurentio tria occurrant valdè commendanda , ſcilicèt primò , *Pietas in Eleemoſynis* : ſecundò , *ſtabilitas firma in Fidei confeſſione* : tertiò denique , *Martyrium ſpeciale de nocte ſecutum*: hæc nobis tria ſatis ſuperque oſtendunt tres Introitus Miſſarum , hodie , in Feſto , & in Die Octava : nam quoad primum in Miſſa hujus Vigiliæ, ecce expreſſa Eleemoſynarum diſtributio, incipit enim: *Diſperſit, dedit Pauperibus*. Quoad verò ſecundum in Miſſa de Feſto , ecce clarè oſtenſa Fidei confeſſio , nam dicit : *Confeſſio , & pulchritudo in conſpectu ejus* . Quoad denique tertium in Miſſa de Die Octava , ecce aperta Martyrii qualitas , & tempus Martyrii , ſiquidem ſic habet Introitus : *Probaſti , Domine , cor meum , & viſitaſti nocte , igne me examinaſti* . Celebratur autem hæc Miſſa Vigiliæ in colore violaceo ſine *Gloria in excelſis* , cum ſecunda Oratione S. Romani, & tertia *Concede*: ſed ſi dictum fuit in Officio de Vigilia Nocturnum cum Laudibus Defunctorum (ut contingere alicubi poſſe , vidimus ſupra) in Miſſa hujus Vigiliæ ſecunda Oratio erit *Fidelium*, & tertia S. Romani . Præfatio verò Miſſæ eſt Communis ; licèt alicubi occurrat aliqua Dies infra O-

ctavam, ut ubi Feſtum S. Mariæ ad Nives eſt Titulare, & ideò ibi occurrit hodie Præfatio de Beata Maria cum Verſiculo *Et te in Feſtivitate*; vel ubi Transfiguratio Domini celebratur cum Octava, ut Mazariæ in Sicilia, Maceratæ in Eccleſiâ Collegiata, & in tota Congregatione Canonicorum Regularium SS. Salvatoris, in quibus Locis & Eccleſiis Præfatio eſt de Nativitate *Quia per incarnati Verbi myſterium*.

Idem dicendum, ubi hac die nona Auguſti Officium fit de Die infra Octavam ſpecialem, ut poteſt quandoque contingere Neapoli, & alibi, ubi Feſtum S. Dominici Confeſſoris habet Octavam, vel Vicentiæ, & ubi S. Cajetanus Thieneus eſt Patronus aut Titularis; vel Paſſavii in Auſtria ubi hodie recurrit Dies quinta infra Octavam Dedicationis illius Cathedralis: nam in omnibus Locis & Eccleſiis, in quibus Officium eſt de Die infra Octavam, Miſſa tamen debet ibi eſſe de Vigilia, cum ſecunda Oratione de Octava, & tertia de S. Romano, juxta Rubricam generalem Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 2. Hæc autem Miſſa Vigiliæ occurrentis in Officio de Die infra Octavam, adeo eſt Miſſa de Die, ſeu propria illius Diei, licèt diſcordet ab Officio, ut non ſolùm ſolemnis, ſed etiam privata dicenda ſit de Vigilia, ut clarè tenet Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *titul.* 18. *dub.* 3. *pagin. mihi* 116. ubi revera ſic habet: *in Vigiliis occurrentibus infra Octavas dicuntur omnes Miſſæ de Vigilia, cui congruit color violaceus*. Quòd ſi alicubi plures occurrant Dies infra varias Octavas, & hodie Officium fiat de Octava digniori, in Miſſa de Vigilia fit ibi commemoratio omnium Octavarum, ac etiam S. Romani: & ideò ſi Paſſavii in Auſtria die nona Auguſti Officium ſit de quinta Die verè occurrente infra Octavam Dedicationis Cathedralis, in Miſſa de Vigilia Oratio ſecunda erit de illa Die quinta, tertia verò de ſeptima Die infra Octavam Inventionis S. Stephani Protomartyris, quarta autem de 967

Die

Die ſexta infra Octavam S. Valentini Epiſcopi Confeſſoris, & quinta denique de Feſto ſimplici Univerſali S. Romani Martyris.

Quia verò diximus ſupra, quòd in Miſſa de Vigilia ſemper dicenda eſt Præfatio communis, licèt alicubi occurrat aliqua Octava cum propria Præfatione, priſcis tamen Eccleſiæ temporibus fuiſſe propriam, teſtatur Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ *Oper. tom. 3. pagin.* 119. ubi illa legitur per extenſum, & erat ſequens, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et devotis mentibus Natale Sancti Martyris tui Laurentii prævenire: Qui Levita ſimul Martyrque venerandus, & proprio claruit glorioſus Officio, & memoranda paſſionis refulſit Martyrio, per Chriſtum Dominum noſtrum: Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Talis ergo tunc temporis dicebatur Præfatio in Miſſa hujus Vigiliæ; ſed quia Lector Eccleſiaſticus, qui eſt de antiquis Eccleſiæ Ritibus curioſus, poteſt etiam eſſe particularium Rituum in viridi obſervantia exiſtentium cupidus, ecce Præfationem extendo, quam noſtris etiam temporibus recitant hodie Ambroſiani, à Romana diverſam, fideliter depromptam ex eorum Miſſali Mediolani impreſſo, & ſequentibus verbis conceptam, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi, omnipotens Domine, gratias agere, beati Laurentii Martyris tui Solemnitatem celebrantes: Cui fidem, confeſſionemque non abſtulit ignis accenſus, ſed ut clariùs luceret, accendit: Nam ſicut aurum flammis non uritur, ſic beati Martyris ſancta ſubſtantia non conſumitur, ſed aptatur cæleſtibus ornamentis, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* 968

969 Cùm autem ex ſuperiùs dictis de Officio in Vigilia, poſſit hodie fieri de quocunque Feſto novem Lectionum, duplici vel ſemiduplici, occurrente vel tranſlato, in Miſſis privatis de eo fit commemoratio Vigiliæ, & dicitur tertia Oratio de

S. Romano, cum Evangelio ipſius Vigiliæ in fine. Ubi verò hac die nona Auguſti celebratur alicubi Feſtum cui conveniat Evangelium de ſecundo loco unius Martyris Pontificis, fit quidem in Miſſa commemoratio Vigiliæ, ſed in fine legitur Evangelium S. Joannis ut ſupra vidimus in Laudibus Officii. Vigilia tamen à Feſto impedita, in Cathedralibus & Collegiatis cantantur duę Miſſæ, juxta Rubricam Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul. 3. ſub numer.* 1. una ſcilicèt de Feſto poſt Tertiam in Colore conveniente, cum ſecunda Oratione S. Romani, niſi Feſtum ſit duplex ſecundæ claſſis, in cujus Miſſa ſolemni omittitur Oratio de Simplici: altera verò de Vigilia poſt Nonam in colore violaceo, cum ſecunda Oratione *Concede*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*: & in utriuſque fine legitur Evangelium S. Joannis.

Illud verò hoc proprio loco notandum eſt, quod quando ratione Dominicæ transfertur Vigilia S. Laurentii in Sabbatum immediatè præcedens, tunc in Miſſa privata de SS. mm. Cyriaco & Sociis, quorum Feſtum eo die occurrens celebratur ſub ritu ſemiduplici, ſecunda Oratio erit quidem de Vigilia, ſed tertia non erit *Concede*, ut non benè adnotatum modò lego in aliquibus Locorum Directoriis, quæ præ manibus teneo: Non enim Orationes pro Miſſa de Feſto ſemiduplici ſumendæ ſunt ex Vigilia, cùm ſint dicendæ de Tempore: Et ideò tertia Oratio debet eſſe *A cunctis*, juxta Rubricam Miſſalis *de Oration. titul. 9. ſub numer.* 2. ubi reverà ſic habetur: *In Feſtis ſemiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum, dicitur ſecunda Oratio A cunctis, tertia ad libitum*: ergo non *Concede*: Et hoc clarè docet Lohner: *Si in Vigiliam incidat Semiduplex, ſecunda Oratio de Vigilia erit, tertia de Tempore, non* Concede, *quæ alioquin ſecundo loco in Vigilia dicitur*, ut videre eſt apud ipſum *in Inſtruct. pract. de SS. Miſſæ Sacrific. par. 4. titul. 4. ſub numer. 2. pag. 159. juxta edit. Venet. de Anno* 1734. Idem dicendum in 979

Cathe-

Cathedralibus & Collegiatis, in quibus ſi Vigilia impediatur à Feſto ſemiduplici, cantandæ ſunt duæ Miſſæ: nam ſi Dominica occurrat die octava Auguſti, in Eccleſia Univerſali in prima Miſſa ſolemni de Feſto ſemiduplici tranſlato SS. Mm. Cyriaci & Sociorum, quod heri occurrebat, ſecunda Oratio dicitur de S. Romano, & tertia *A cunctis*: ſed ſi Dominica incidat in diem nonam ejuſdem Menſis die octava, in prima Miſſa cantata de eodem Feſto ſemiduplici tunc occurrente dicitur ſecunda Oratio *A cunctis*, & tertia ad libitum: & in altera Miſſa itidem ſolemni de Vigilia tunc anticipata in Sabbato dicitur ſecunda Oratio *Concede*, & tertia *Eccleſiæ* vel *pro Papa*. In dicta tamen Oratione *A cunctis*, ſi celebretur in Eccleſia ubi S. Laurentius eſt Titularis, vel in Loco ubi eſt Patronus, non erit nominandus, ex ratione in Laudibus allata, quia nominatus fuit in Oratione Vigiliæ.

Reſtat adhuc aliquid dicendum de pluribus Orationum commutationibus, quæ contingere poſſunt vel pro Vigilia S. Laurentii, vel pro S. Romano, vel etiam ſimul pro utroque: nam ſi die nona Auguſti alicubi fiat de Feſto unius Martyris non Pontificis, cum Oratione de ſecundo loco illius Communis, in Miſſa de Feſto variabitur *prima Oratio* pro commemoratione S. Romani, ſumendo eam ex primo loco ejuſdem Communis, nempè *Præſta, ut qui, &c.* Si verò Feſtum ſit de eodem Communi unius Martyris non Pontificis, ſed ex primo loco, pro S. Romano mutanda erit *Secreta*, & ſumenda ex ſecundo loco, ſcilicet *Accepta ſit, &c.* & pro commemoratione Vigiliæ variabitur *Poſtcommunio*, quia conveniet cum illa Feſti, & ſumetur ex ſecundo loco ipſiuſmet Communis, nimirùm *Refecti participatione muneris ſacri, &c.* Quòd ſi agatur de Feſto Confeſſoris non Pontificis ex ejus Communi de ſecundo loco, commutetur pro S. Romano *Poſtcommunio*, & ſumatur ex primo loco ad varietatem, nempè *Refecti cibo, potuque cæle-* 971

ſti, &c. Hæc autem, vel etiam alia Orationum ipſeitas & identitas poteſt interdum contingere, ſi non in Feſtorum occurrentia, facillimè tamen in translatorum repoſitione: quare Diœceſanorum Libellorum elucubratores debent attentè conſiderare, quæ poſſunt occurrere, quandoque Orationum mutationes, eaſque diligenter adnotare in Kalendariis, ne Sacerdotes celebraturi, inconſideratè bis legant eamdem Orationem in Miſſa, quod audientium auribus non benè ſonat.

Quòd ſi vel die nona Auguſti, quæ eſt propria occurrentia Vigiliæ: vel die octava ejuſdem Menſis, quæ eſt propria aſſignatio translationi dictæ Vigiliæ ratione Dominicæ, fiat alicubi de Feſto duplici primæ claſſis, ſicuti de Vigilia nihil actum eſt in Officio vigore Rubricæ generalis Breviarii *de Vigil. tit. 6. ſub numer. 2.* ſic nihil in Miſſa de eodem duplici primæ claſſis eſt agendum, juxta Rubricam Miſſalis *de Fer. & Vigil. tit. 3. ſub numer. 2.* & in hoc caſu Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ eximuntur ab onere cantandi duas Miſſas. Sed quemadmodum, cùm de Officio in hac Vigilia celebrando locuti ſumus, cenſuimus quòd occurrente Feſto duplici primæ claſſis in Dominica, intret ratio translationis ipſius Vigiliæ in Sabbatum immediatè præcedens, ex iiſdem Rubricis proximè citatis, ſcilicet Breviarii *ſub numer. 2.* ac etiam Miſſalis *ſub num. 3.* ita uniformiter credimus & tenemus, quòd ſi die nona Auguſti occurrat Dominica, & ſimul alicubi duplex primæ claſſis, anticipanda ſit Vigilia etiam quoad Miſſam, non quidem ratione dicti duplicis primæ claſſis Vigiliam prorsùs deperdentis, ſed ratione Dominicæ in ipſo duplici occurrentis, & ipſam Vigiliam transferentis in Sabbatum, juxta Rubricam. 972

Expletis quæ ad Miſſam Vigiliæ quomodolibet ſpectant, ſuccedunt Veſperæ, & ſunt primæ de ſequenti Feſto S. Laurentii. Dicuntur autem integræ, prout adnotantur in Breviario: ſed 973

Hy-

Hymnus eſt de Communi, ſcilicèt, *Deus tuorum Militum*, ad cujus initium in ſolemnibus, Officiator jungit, extendit, & elevat manus, & caput inclinat versùs Altare, ait Bauldryus *in Manuali Sacrar. Cæremoniar. par. 2. cap. 11. art. 1. ſub num. 25. pag. 94.* & hoc ob reverentiam Divinæ Invocationis, ut de Hymno *Jeſu Redemptor omnium* in primis Veſperis de Nativitate Domini, ſic faciendam docet Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 14. §. 5. pag. 291. juxta noviſs. edit. Roman. de Anno 1729. ſub Benedicto XIII. ultimo ejuſdem Cæremonialis Recognitore*. Hymnum tamen proprium ex Breviario Nivernenſi deſumptum, & ad carminis & latinitatis leges revocatum inſtar Communium authoritate Urbani Octavi in Breviario Romano recognitorum ponit Guyetus, quem tamen ſic correctum ſed non approbatum refert in fine ſuæ Heortologiæ, pagina 377. ibidem videndum. Ad honorem tamen Divi Laurentii longiſſimum quidem, ſed pulcherrimum compoſuit Hymnum Aurelius Prudentius, quem egregiis commentariis illuſtravit Ælius Antonius Nebriſſenſis: de quo Hymno meminit Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib. 4. cap. 12. circa fin. pag. mihi* 213. In prima ſtropha digniſſimus Poeta gratulatur Romæ, quæ duce Laurentio falſos expulit Deos: & ideò dicit.

Antiqua Fanorum parens
Jam Roma, Chriſto dedita,
Laurentio victrix duce,
Ritum triumphas barbarum.

In dictis primis Veſperis de Feſto S. Laurentii nulla fit in Eccleſia Univerſali commemoratio, licèt die nona Auguſti in Feria ſecunda agatur interdum de Feſto ſemiduplici translato SS. Mm. Cyriaci & Sociorum: vel in eandem diem incidat quandoque Dominica: quia nihil fit in his Veſperis de uno vel altero Officio præcedente: imò neque fit commemoratio de Die alicubi occurrente infra Octavam ſpecialem: & 974

ideò

ideò Neapoli, & in tota Religione Minorum S. Franciſci nihil de Octava S. Dominici Confeſſoris : Ita Mazariæ, Abulæ, & in tota Congregatione Canonicorum Regularium S. Salvatoris nihil de Octava Transfigurationis Domini : ita Vicentiæ in Dominio Veneto, & in tota Religione Clericorum Regularium Theatinorum nihil de Octava S. Cajetani Confeſſoris. Fit autem in hiſce primis Veſperis commemoratio de præcedenti duplici majori, ac etiam minori, & conſequenter de Die Octava quæ alicubi præcedit : ſic Veronæ & Bergomi fit commemoratio de Feſto duplici minori SS. Mm. Firmi & Ruſtici : ſic in Eccleſia Collegiata Civitatis Rhodigii de Diœceſi Adrienſi fit commemoratio de præcedenti Die Octava S. Stephani Papæ & Martyris. At ſi die nona Auguſti actum ſit de duplici ſecundæ claſſis, ut Barcinone & Malacæ in Hiſpania fit de Feſto SS. Mm. Juſti & Paſtoris ſub eodem ritu duplici ſecundæ claſſis, ego non dividerem Veſperas à Capitulo, ſed integras dicerem de digniori, cum commemoratione de minùs digno, ut ſub numero ſexto reſpondet Tabella Breviarii de Concurrentia duplicis ſecundæ claſſis cum duplici ſecundæ claſſis : & in hujuſmodi caſu facerem digniores primas Veſperas S. Laurentii, niſi Feſtum duplex ſecundæ claſſis præcedens eſſet de Dedicatione Cathedralis in Eccleſiis Regularium illius Civitatis, in qua forſan occurreret, prout ſub eodem ritu tenentur Regulares Feſtum illud peragere.

Quòd ſi dicta die nona Auguſti alicubi occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, tunc & eo caſu in ſecundis Veſperis de illo Feſto fit commemoratio S. Laurentii. Ubi autem S. Laurentius eſt Patronus Loci, ut Genuæ in Liguria : vel eſt Titularis Eccleſiæ, ut Peruſiæ in Cathedrali : ſicuti ibi eſt Feſtum duplex primæ claſſis, ſic non admittit in primis Veſperis ullam commemorationem de præcedenti, niſi ſit de ſimili duplici minùs digni, vel ſaltem de duplici ſecun- 975

cun-

cundæ claſſis, ſi forſan præcedat in Urbe ubi eſt Patronus, vel in Eccleſia ubi eſt Titularis. Cæterùm dantur & commemorationes etiam de ſequenti, quæ ſimul occurrunt in ipſo Feſto S. Laurentii, nam in primis ejus Veſperis fit commemoratio de Dominica ſi ſubſequatur: ſicuti etiam de Die Octava, ſi alicubi incidat in diem decimam Auguſti, prout incidit Concordiæ in Foro Julii, & Paſſavii in Auſtria, ubi occurrit Dies Octava Inventionis S. Stephani Protomartyris. Prædicta omnia attendenda ſunt in primis Veſperis de S. Laurentio, ſi die ſequenti Officium ſit de eo; nam ubi fit eo die de Dedicatione Eccleſiæ, ut occurrit Inſulis Diœceſis Juſtinopolitanæ in Hiſtria, primæ Veſperæ ſunt ibi de eadem Dedicatione, & Feſtum S. Laurentii transfertur juxta Rubricas.

Ad Eccleſiam verò Cathedralem, ſive S. Laurentius ſit Patronus Loci, ſive Titularis illius Eccleſiæ, accedit Epiſcopus à ſuis Canonicis aſſociatus, Pontificales primas Veſperas ibidem celebraturus, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 1. §. 2. pag mihi 184.* ubi reverà ſic habetur: *Si Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam ſequenti die celebraturus, Veſperæ ſolemniùs peraguntur, quàm ſi non eſſet celebraturus: quod præcipuè in his Vigiliis obſervari ſolet, videlicet, &c. Sancti Titularis Eccleſiæ, & Patroni Civitatis.* Convenit autem, ut Eccleſia ſit foris & intùs decenter ornata, de cujus apparatu diximus ſupra in primis Veſperis de Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli: nam & hoc modo oſtendimus, quòd gaudemus in Domino, diem feſtum celebrantes ſub honore Sancti noſtri Titularis. Celebratis Pontificaliter primis Veſperis, Epiſcopus largitur in earum fine ſolemnem Benedictionem per conſueta verba, *Sit Nomen Domini benedictum*, ſine tamen Indulgentiarum publicatione, quæ nunquàm publicantur in Veſperis, ex dicto Cæremoniali *lib. 1. cap. 25. §. 8. pag. 131.* & iterùm clariùs *lib. 2. cap. 1. §. 19. pag. 192.*

§. III.

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum S. Laurentii Levitæ & Martyris.

FEſtum S. Laurentii Levitæ & Martyris eſt 977
præceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam & vacandi ab operibus ſervilibus. Celebratur autem ſub ritu duplici ſecundæ claſſis in colore rubeo. Si alicubi forſan occurrat hodie Dedicatio Eccleſiæ, non ſolùm ſub ritu duplici primæ claſſis, ſed etiam ſub ritu duplici ſecundæ, ut Dedicatio Cathedralis apud Clerum Regularem in illa Civitate commorantem, utrobique ſive ratione ritus altioris, ſive majoris dignitatis, translato Feſto S. Laurentii prima die non impedita celebrando infra Octavam, fit totum Officium de Dedicatione Eccleſiæ. Quòd ſi hodie occurrat alicubi Feſtum ſemiduplex, transfertur in ſequentem diem non impeditam, juxta ea quæ ſupra diximus in Die Aſcenſionis Domini. Ubi tamen in Feſto S. Laurentii adeſt Indulgentia, ea non intelligitur extenſa ad totam Octavam, abſque ſpeciali conceſſione in Brevi Apoſtolico expreſſa. Quòd ſi alicubi hoc Feſtum S. Laurentii ſit transferendum ob occurrentiam Dedicationis, non tamen transfertur Indulgentia, niſi ſuper hoc habeatur ſpecialis conceſſio, quam cæteroquin habent Caſſinenſes pro Feſto translato S. Benedicti, & etiam Minimi, quotieſcunque occurrat transferendum Feſtum S. Franciſci de Paula: De ſecundis enim extat Conſtitutio favorabilis Gregorii Decimi tertii *de Anno* 1580. *ſub die* 20. *Auguſti*: De

pri,

primis verò patet ex Conſtitutione Innocentii Undecimi emanata *anno* 1679. *ſub die* 26. *Septembris*.

Quoad Officium in Feſto S. Laurentii recitandum, omnia ſunt hodie propria in Breviario, ita ut de ejus Matutino nihil remaneat dicendum. Ad Laudes tamen Hymnus eſt de Communi, ſcilicèt, *Invicte Martyr*, *&c.* Ad dictas Laudes dicitur una tantùm Oratio, niſi veniat in Dominica, quia tunc & ad Matutinum legitur nona Lectio de ea, & fit ejus commemoratio in Laudibus. Cùm verò Dominica occurrens ſit ſemper ſecunda Auguſti, in qua *Incipit Liber Eccleſiaſtæ*, ſemper etiam reponendum erit illud *Initium* in Feria ſecunda ſequenti non impedita à Feſto proprias in primo Nocturno Lectiones habente, vel requirente de Communi: alioquin in alia Feria ſequenti ponatur infra ſuam Hebdomadam. Sed & alia poteſt contingere alicubi commemoratio hodie neceſſariò ad Laudes facienda, nempe de Die Octava alicujus Feſti Octavam habentis, ut Concordiæ in Foro Julii, & Paſſavii in Auſtria, utrobique enim incidit in hoc Feſtum S. Laurentii Dies Octava Inventionis S. Stephani Protomartyris. De Die tamen ubivis occurrente infra quamcunque Octavam non fit in his Laudibus commemoratio: ideoque nihil fit Neapoli de ſeptima Die infra Octavam S. Dominici, nihil Paſſavii de ſexta Die infra Octavam S. Valentini Epiſcopi & Confeſſoris, nihil Mazariæ, de quarta Die infra Octavam Transfigurationis Domini, nihil denique Vicentiæ de tertia Die infra Octavam S. Cajetani Thienæi. 978

Quoad verò Miſſam in hoc Feſto S. Laurentii dicendam, ea eſt propria, & celebratur in colore rubeo. Requiſitus non ſemel fui, an Paramenta aurea inſervire poſſint pro colore rubeo, & præſertim in Feſtivitatibus: & ad hoc ſemper reſpondi affirmativè, non ſolùm pro colore rubeo, ſed etiam albo, illis innixus rationibus, 979

quas

quas trado *tom.* 1. *cap.* 1. §. 6. *ſub numer.* 87. *in Miſſa S. Stephani Protomartyris*. In hodierna Miſſa dicitur *Gloria in excelſis*, cum unica Oratione, niſi occurrat Dominica, quia tunc ſecunda Oratio eſt de ea, cujus etiam Evangelium legitur in fine. In occurrentia autem Dominicæ, in Cathedralibus & Collegiatis ante Miſſam ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ, illa tamen excepta Eccleſia, in qua Pontificaliter cantat Epiſcopus. In dictis tamen Cathedralibus & Collegiatis, occurrente Dominica, non cantantur duæ Miſſæ, licèt Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 5. *pag.* 246. maximè commendet hunc ritum uſumque (ſi alicubi eſt) cantandi duas Miſſas, præſertim in Dominicis Quadrageſimæ, quando contingit eas ſic impediri, cùm in nullo die per Hebdomadam reſumi poſſint: ſupplicantibus enim humiliter Capitulo & Canonicis Cathedralis Collenſis Sacræ Rituum Congregationi pro declaratione nonnullorum Dubiorum, inter ea decimumquartum eſt tenoris ſequentis, videlicèt: *An in Dominicis Adventus & Quadrageſimæ, in quibus fit de Duplici primæ claſſis, ſint cantandæ duæ Miſſæ?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad decimum quartum Dubium reſpondit: *Negativè*: *Die* 9. *Julii* 1698. Hanc Declarationem, cum omnibus aliis eadem die emanatis, ſed ad noſtram rem modò non facientibus, Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii. Si ergo non ſunt cantandæ duæ Miſſæ in Dominicis privilegiatis, ne ſolemniter omittantur: multo minus cantandæ erunt in Dominicis infra Annum. Poteſt autem alicubi occurrere etiam alia commemoratio neceſſariò facienda in hac Miſſa de S. Laurentio, præter illam Dominicæ: ubi ſcilicèt in diem decimam Auguſti incidit aliqua Dies Octava, de cujus occurrentia jam ſupra tradidimus exempla ad Laudes hujus Feſti.

Egregiè autem convenit hodierna Epiſtola, in 980
qua

qua loquitur Apoſtolus de Eleemoſynis, quas verè S. Laurentius diſperſit, dedit Pauperibus, & ideò juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. Evangelium verò, valdè quadrat: tum ex parabola Grani, quia S. Laurentius tanquàm Granum mortuum, multum fructum attulit, & multiplicatum fuit fide Populorum: tum etiam ex verbis Miniſterii, ſiquidem fuit Archidiaconus, & ideò Miniſter Altaris & Dei: unde ſicuti rectè miniſtrando, ſecutus eſt Chriſtum, ſic ubi eſt Chriſtus, illic & Miniſter ejus eſt. In hac tamen Miſſa non dicitur *Credo*: ſed ex antiqua ſuper hoc ordinatione, deperdita eſt ratio illud tacendi, quam idcircò nullus ex Auctoribus probabilem tradit. Hanc nihilominus tangit difficultatem Quartus, cæteroquin motam ab Alexandro Alcilenſi *quæſt.* 10. *de Sacramen. Euchar.* §. 9. ejuſque ratio eſt, quia in Symbolo non fit mentio de Martyribus, ut videre eſt apud ipſum *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 11. *verſ. Ex quibus, pag.* 81. *juxta edit. Venet. de Anno* 1727. ex quo inferendum videtur, non dici debere in Feſtis SS. Martyrum; In Rubricis autem Generalibus Miſſalis *ſub tit.* 11. ordinatur *Symbolum* dumtaxat *in Die Octava S. Laurentii*, quia ſumus infra aliam Octavam illud admittentem etiam in Feſtis, in quibus non dicitur.

Paris tamen Craſſus *de Caremon. Cardinal. & Epiſcopor. in eorum Diœceſib. lib.* 2. *cap.* 30. *in fine, pag.* 82. *juxta edit. Roman. de Anno* 1580. nondum concepta ſuper hoc ratione, ſic ait: *Quare Innocentius in Feſto S. Laurentii Symbolum non recitari dixerit, nec cauſam reddiderit, neſcio*. Non diſplicet quidem, quòd neſciat rationem, ſed diſplicet quod ſubjungendo docet: *Hoc autem ſcio, quòd in ſolemnitatibus, quibus prohibetur Symbolum recitari, nunquàm recitabitur, etiam in Eccleſia, in qua illud Feſtum ſolemnizatur*; nam ubi S. Laurentius eſt Titularis dicitur *Symbolum* in Miſſa, juxta Rubricam hodiernam; & non ſolùm dicitur in Feſto, ſed & per totam ejus Octavam, 981

vi-

vigore Rubricæ Miſſalis *de Symbolo*, *tit.* 11. *circa finem*. Illud tamen hoc loco notandum eſt, quòd cùm S. Laurentius ſit Titularis Eccleſiæ Cathedralis Peruſinæ, ut modò lego in Kalendario illius Civitatis & Diœceſis, emanatum eſt ſequens Decretum, videlicet: *In die S. Laurentii Titularis alicujus Eccleſiæ Cathedralis, vel Matricis nullius Diœceſis, non eſt recitandum Symbolum Apoſtolorum in aliis Eccleſiis ejuſdem Loci, ſed tantùm in Eccleſia propria*, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Peruſina*, *ſub die* 23. *Martii* 1709. ut refert P. Merati in additionibus ad Gavantum *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 609. Quotieſcumque verò incidat Dominica in hoc Feſtum S. Laurentii, ejus ratione dicitur *Credo* in Miſſa. Imò dicitur in omnibus Eccleſiis illius Civitatis, in qua S. Laurentius eſt Patronus, prout eſt Genuæ in Liguria; in cujus Directorio de Anno 1734. additur, *& per totam Octavam*, quia non eſt tantùm Titularis unius Eccleſiæ, ſed Patronus totius Urbis. Itidem dicitur *Symbolum*, ubi ſimul occurrit alia Octava etiam minùs digna, ſi *Credo* in ea admittatur.

Dicitur denique *Symbolum* in hac Miſſa de Fe- 982
ſto S. Laurentii, ubi habetur inſignis ejus Reliquia, juxta Rubricam Miſſalis *tit.* 11. *circa fin.* nec tamen per hoc extenditur ad totam Octavam: ſiquidem præcitata Rubrica Miſſalis præſcribit quidem *Credo* ubi habetur Corpus, vel inſignis Reliquia Sancti, de quo agitur, nec tamen addit, *& per Octavam*, ut cæteroquin addit, quando vult. Cæterum ut dicatur *Credo* in Miſſa S. Laurentii ratione inſignis Reliquiæ, non eſt neceſſe, ut ipſa Reliquia ſit expoſita ad Fidelium venerationem, licèt conveniat ut exponatur: nam Rubrica dicit, *ubi habetur*: ergo ſufficit, ut habeatur, quamvis non exponatur ſuper Altare: Dantur enim nonnullæ Reliquiæ, quæ, ne unquam furentur, incluſæ perpetuò remanent in Arca marmorea, cum earum nomine foris inſcriptum. Verùm quidem

eſt,

eſt, quòd ſi exponantur, exponi debent cum decentia, ſcilicèt, cum Altaris apparatu conveniente, & cum ſufficiente candelabrorum quantitate, alias non exponantur: noſtra etenim devotio erga Sanctorum Reliquias eo magis excitatur, quo magis illæ videntur decenter expoſitæ.

Præfatio tamen in hac Miſſa de Feſto S. Laurentii eſt communis, niſi alicubi ſimus infra aliam Octavam, quæ propriam habeat Præfationem, nam licèt de illa Octava nihil ſit agendum in Miſſa, ejus nihilominus Præfatio eſt dicenda: & ideò Mazariæ in Italia, Oveti, Zamoræ, & Abulæ in Hiſpania, & in tota Congregatione Canonicorum Regularium S. Salvatoris dicitur in hodierna Miſſa Præfatio de Nativitate, ſcilicèt, *Quia per incarnati Verbi myſterium*, quia ibi hodie occurrit Dies quinta infra Octavam Transfigurationis Domini, cujus ratione & *Credo*. Ut autem ad eruditionem ſequamur ordinem in aliis Feſtis & Octavis à nobis aſſumptum, etiam in hac Miſſa S. Laurentii Præfatio priſcis Eccleſiæ temporibus erat propria, ut videre eſt in Sacramentario Gregoriano, *Oper. tom.* 3. *pagin.* 120. ex quo loco tranſcripta, hic ponitur per extenſum in gratiam Studioſorum venerabilis antiquitatis: eſt igitur ea, quæ ſequitur, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et præcipuè in die Solemnitatis hodiernæ, qua beatus Laurentius hoſtia ſancta viva tibi placens oblatus eſt: Qui igne accenſus tui amoris, conſtanter ignem ſuſtinuit paſſionis: & per immanitatem tormentorum pervenit ad ſocietatem Civium ſupernorum, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* 983

At quia per Epiſcopum dari ſolebat Populo Benedictio in Miſſa, certis concepta precationibus unicuique Feſto convenientibus, ut diximus *tom.* 1. *in Miſſa de Nocte Nativit. Dom.* ubi de loco 984

Miſſæ, in quo hujuſmodi Benedictio tribuebatur: ideò nolumus eam præterire, quæ erat propria hujus Miſſæ de S. Laurentio. Licèt autem hæc Benedictio revera deficiat in dicto Libro Sacramentorum S. Gregorii, ita ut ſuo loco in Menſe Auguſto non habeatur, illa tamen reperitur ex integro in alio Benedictionum Epiſcopalium ſupplemento, *ibidem, pag.* 638. & eſt ſequens, ſcilicet: *Corrobora gregem tuum, Turris fortitudinis, qui beatum Laurentium priùs ornaſti pectore, poſt ſermone: ante decoraſti profeſſione, quàm funere.* Amen. *Infunde circumſtantibus credulitatis ſpiritum, qui confitenti aderas, ne facerent plaga trepidum, pœna feſſum, flamma devictum.* Amen. *Ut ipſo interveniente, ac te remunerante, illa luce Plebs radiet, qua Levita fulſit in carcere: illa Fide micet, qua Cœlos viator Martyr intravit hodierna die.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.* Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum.*

Quia tamen proprius locus exigit, ut & aliam extendamus Præfationem, illam idcircò ponimus, qua ante annos mille utebatur Eccleſia Gallicana, & quam ex pervetuſto Miſſali Gothico eruit doctiſſimus Eccleſiaſticæ Antiquitatis indagator Joannes Mabillonius, ut videre eſt *in Liturg. Gallic. lib.* 3. *pag.* 277. Ex tam celebri igitur Auctore deſumpta, ſequentibus verbis legitur compoſita, nempè: *Verè dignum & juſtum eſt, omnipotens ſempiterne Deus, tibi in tanti Martyris Laurentii Feſtivitate laudis hoſtias immolare: Qui hoſtiam viventem hodie in ipſius Levita tui beati Laurentii Martyris miniſterio per florem caſti corporis accepiſti. Cujus vocem per hymnidicum modulum Pſalmi audivimus, canentis atque dicentis: Probaſti cor meum, Deus, & viſitaſti nocte, id eſt in tenebris ſæculi: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. O glorioſa certaminis virtus! O inconcuſſa conſtantia confitentis? Stridunt membra viventia ſuper craticulam impoſita: & prunis ſævientibus anhelantia, in-* 989

cenſum ſuum in modum thymiamatis divinis naribus exhibent odorem. Dicit enim Martyr ipſe cum Paulo, Chriſti bonus odor ſumus Deo. Non enim cogitabat, quomodò in Terra poſitus, à paſſionis periculo liberaretur: ſed quomodo inter Martyres in Cælis coronaretur, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c. Hactenus tamen vidimus antiquas Præfationum varietates: videamus modò etiam illam, quæ adhuc eſt in viridi obſervantia apud Ambroſianos, ut Lector Eccleſiaſticus ſit plenè quoad hoc eruditus. Itaque Miſſale Eccleſiæ Ambroſianæ Mediolani impreſſum recitat hodie in hac Miſſa S. Laurentii Præfationem propriam, quæ aliquid habet cum duabus præcedentibus, Gregoriana ſcilicet & Gallicana: eſt enim tenoris ſequentis, nimirùm: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui hodierna die Levitæ tui Laurentii fidem auream igne ardentiſſimo comprobaſti, ut eſſet tibi hoſtia viva, hoſtia ſancta, in odorem ſuavitatis accenſa. O glorioſi certaminis virtus? O inconcuſſa conſtantia mentis? Stridunt membra viventia ſuper craticulam impoſita, & prunis ſævientibus anhelantia. Ut & tibi hoſtia fieret, & ad triumphum Martyrii intrepidus perveniret; per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Licèt autem ſupra dictum ſit, quòd incidente Dominica in hoc Feſtum S. Laurentii, unica tamen Miſſa debet eſſe ſolemnis, erunt nihilominùs cantandæ duæ Miſſæ, ſi hodie alicubi occurrat Dedicatio Eccleſiæ: ſiquidem ſi eadem Eccleſiæ Dedicatio, quæ celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, veniat in Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, quod eſt duplex ſecundæ claſſis, duas eſſe canendas Miſſas reſolvit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1604. *ſub die* 16. *Octobris*, ita referente Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 8. *capit.* 5. *ſub numer.* 4. & ex me tradit etiam La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tra-* 986

Nat. 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 3. unde habet quidem locum Dedicatio in hujuſmodi occurrentia, ut ex caſu ejuſdem Nativitatis infert ad caſus ſimiles, & in noſtris præciſis terminis S. Laurentii loquitur Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 5. *verſ. Tertiò*, *pag.* 252. ſed Feſtum ejuſdem S. Laurentii non ideò amittit ſuam Miſſam ſolemnem. Caſus autem Dedicationis Eccleſiæ in hoc Feſto S. Laurentii occurrit Inſulis Juſtinopolitanis in Hiſtria. Quòd ſi cantandæ ſunt duæ Miſſæ in occurrentia Feſti duplicis primæ claſſis, quod eſt majus; cantandæ erunt in occurrentia duplicis ſecundæ claſſis, quod eſt minus: idcircò ſi hodie in aliqua Civitate incidat Dedicatio Cathedralis, Regulares in eadem Urbe commorantes, & laudabilem hujuſmodi conſuetudinem habentes cantandi duas Miſſas in *ſuis* Eccleſiis in diebus à Rubrica præſcriptis, cantabunt etiam duas in hodierna occurrentia Dedicationis Cathedralis, quæ apud ipſos celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis.

Cæterùm hæc Miſſa propria S. Laurentii non 987
eſt dicenda infra Annum ut Votiva, quia cùm omnia conveniant hodiernæ Solemnitati, & ſoli accommodata ſint Feſto occurrenti, ſequitur clarè, quòd non ſit extendenda extra ſuam Octavam. Hoc autem legitimè infertur ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis emanato de ordine Pauli Quinti, & relato ab Angelo à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſæ Ritus*, *ſub num.* 2. *pag.* 332. ubi expreſſis nonnullis Miſſis non dicendis extra ſuas dies vel Octavas ut Votivis, ſtatim additur, *& alia ejuſmodi, quæ proprias habent Introitus vel Collectas*: ſed alia Miſſa ejuſmodi eſt iſta S. Laurentii, ut clarè patet conſideranti: ergo non eſt dicenda infra Annum ut Votiva. Ubi verò in hoc Feſto S. Laurentii facienda ſit expoſitio ſolemnis SS. Sacramenti ratione Orationis quadraginta Horarum, ibi cantanda eſt Miſſa de Feſto, cum ſecunda Oratione de SS. Sacramento ſub unica concluſione: ſic

enim

enim agendum eſſe etiam in Feſto duplici ſecundæ claſſis præcepit Clemens Undecimus *in Inſtruct. ad hoc emanata anno* 1705. *ſub die* 26. *Januarii*, de qua diximus ſupra in Miſſa de Feſto S. Joannis Baptiſtæ: & nihilominus volumus hic ponere verba illius Conſtitutionis quoad hanc partem, & ſunt: *Celebretur poſt Nonam Miſſa SS. Sacramenti Votiva pro re gravi, exceptis tamen omnibus diebus, quibus ratione Kalendarii tam Univerſalis, quàm Particularis illius Eccleſiæ, in qua fit expoſitio, fiat Officium primæ vel ſecundæ claſſis, in quibus diebus cantetur Miſſa Conventualis cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione: & ita ſervetur inviolabiliter in omnibus Eccleſiis tam Sæcularium quàm Regularium.*

Ex eo autem, quòd in Miſſa de Feſto dupli- 988
ci primæ vel ſecundæ claſſis, quæ cantari debet pro expoſitione ſolemni SS. Sacramenti, addenda ſit Collecta de eodem SS. Sacramento, non ideò dicenda erit in Miſſis privatis: ſiquidem ſic Sacra Rituum Congregatio ad quartum Dubium reſpondit, *omittendam in Feſtis primæ & ſecundæ claſſis: & ita declaravit die* 2. *Decembris* 1684. ut refert Franciſcus Monacellius *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *pag.* 51. *ſub num.* 2. Idem pariformiter dicendum de alia quavis Votiva ſolemni pro re gravi, & alicubi forſan hodie occurrente, ita ut in Miſſa cantanda de Feſto dicatur Oratio de illa Votiva ſub unica concluſione, non tamen dicenda in Miſſis privatis de eodem Feſto. Sed & idem ſervandum, ſi in hanc diem decimam Auguſti incidat Dies Anniverſaria Creationis aut Coronationis Summi Pontificis, vel Dies itidem Anniverſaria Electionis aut Conſecrationis Epiſcopi. Et quoad Collectam ipſius Epiſcopi, illud notandum eſt, quòd ſi Epiſcopus duas habeat Eccleſias æquè principaliter unitas, ambæ erunt nominandæ in dicta Collecta, ut exemplum dedimus ſupra *in Miſſa de Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli*, ubi etiam expoſuimus, quomodo ſe ge-

gere debeat Epiſcopus quoad ſuam Orationem, ſi ipſe eadem die Pontificaliter celebret.

Sive autem S. Laurentius ſit Patronus Loci, ut Genuæ in Liguria, ſive Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ut Peruſiæ, convenit ut Epiſcopus Pontificaliter celebret in ſua Eccleſia: & quidem ratione Patronatus, quia Eccleſia Cathedralis cùm ſit caput omnium Eccleſiarum Urbis, debet etiam diſtinctè ſolemnizare Feſtum de Patrono Loci, nam & ad id ſolet Populus confluere, tanquam ad Matrem Filiorum lætantem in die ſolemnitatis & lætitiæ. Ratione verò Tituli convenit ut Miſſa ſit Pontificalis, quia per eam oſtenditur gaudium ſpirituale, per quod Eccleſia illa, Clerus, & Populus diem Feſtum celebrant ſub honore ſui Sancti Titularis: & ideo in utrôque caſu adeſt legitima cauſa celebrandi Pontificaliter: nec deeſt uſus in Eccleſiis hujuſmodi, deſumptus à Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. cap. 34. §. 2. pag. 416. juxta noviſſ. edit. Roman. de Anno 1729. ſub Benedicto Decimotertio ultimo ejuſdem Cæremonialis Recognitore*: ibi enim expreſsè enumeratis quibuſdam diebus, in quibus Epiſcopus legitimè non impeditus celebrat ſolemniter in ſua Cathedrali, inter eos inſerit etiam *Feſtum Sancti Titularis Eccleſiæ, & Patroni*. Quòd ſi in aliqua Cathedrali occurrat hodie Dedicatio ejuſdem Eccleſiæ, translato ibi juxta Rubricas Feſto S. Laurentii, dicitur Miſſa, & quidem Pontificalis, de eadem Dedicatione, ex eodem Cæremoniali *loco citato*. 989

Impoſito fine Miſſæ in Feſto S. Laurentii privatim & ſolemniter celebrandæ, reſtant ſecundæ Veſperæ de eodem Feſto. Hæ igitur ſunt ſemper integræ in Eccleſia Univerſali, & dicuntur omnino ut in Breviario, cum commemoratione de ſequenti Feſto ſimplici SS. Mm. Tiburtii & Suſannę: ſed ſi occurrat vel ſubſequatur Dominica, fit priùs commemoratio de ea, deinde de Simplici. Si verò alicubi fiat cras de aliqua Die infra aliam Octavam digniorem, it- 990

ut

ut Officium ſit de ea, in hiſce ſecundis Veſperis fit commemoratio de illa Die infra Octavam, & poſtmodùm de SS. Martyribus, & ſic & non aliter, nec alio modo, ita ut impedita illa Die infra Octavam particularem à Feſto novem Lectionum, facienda quidem erit commemoratio de Feſto ſequenti, ſed non de Die infra Octavam, juxta Rubricam Breviarii *de Commemor. tit. 9. ſub numer. 6.* & iterùm in tertio Notando *poſt Tabell. Concurren.*

Admittunt dictę ſecundę Veſperę commemorationem de Die Octava tam alicubi occurrente quàm ſubſequente, ut Paſſavii in Auſtria in ſecundis Veſperis fit commemoratio de ſequenti Die Octava S. Valentini Epiſcopi Confeſſoris, & de precedenti Die Octava Inventionis S. Stephani Protomartyris, ac Feſti ſimplicis. Fit etiam commemoratio de duplici tam majori quam minori etiam translato, ac de Semiduplici, addita ſemper commemoratione SS. Martyrum. Quoad verò Feſtum ſequens duplex ſecundę claſſis, in paritate ritus attenditur major dignitas Perſonę, ut omnes conveniunt Auctores, ita ut ſi cras in Eccleſiis Regularium alicujus Civitatis fiat de Dedicatione Eccleſię Cathedralis, quę apud ipſos celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, ibi non dividuntur Veſperę à Capitulo, ſed integrę dicuntur de ſequenti Dedicatione, cum commemoratione de prçcedenti Feſto S. Laurentii, quia Feſtum Dedicationis eſt Feſtum Domini, Feſtum verò S. Laurentii eſt Feſtum Servi Domini, & ſic in concurrentia Feſti ejuſdem Ritus locum habet in Veſperis Feſtum dignius, ut videre eſt in Tabella Breviarii *de Concurren. ſub numer. 6.* ubi totum ordinatur de digniori, cum commemoratione de minùs digno: In dicta tamen concurrentia non fit commemoratio de Feſto ſimplici SS. Mm. Tiburtii & Suſannę, non ratione duplicis ſecundę claſſis prçcedentis, ſed ratione duplicis ſecundę claſſis ſequentis. 991

Ubi autem die undecima Auguſti alicubi occur- 992

currat Feſtum duplex primę claſſis, certo certiùs Veſperę ſunt ibi ex integro primę de ſequenti, cum commemoratione de Feſto prçcedenti S. Laurentii. Aſt ubi S. Laurentius eſt Patronus Loci ut eſt Genuæ in Liguria, vel Titularis Eccleſiæ ut Peruſiæ in Cathedrali, ſicuti ibi eſt Feſtum duplex primæ claſſis, ſic in ſecundis ejus Veſperis non fit commemoratio de ſequenti Feſto ſimplici, nec de Die alicubi occurrentę infra aliam Octavam, licèt die ſequenti Officium ſit de ea. Ubi verò die decima Auguſti occurrit Dedicatio Eccleſiæ, ut Inſulis Juſtinopolitanis in Hiſtria ſub Dominio Veneto; ſi incidat Dominica, & in Feria ſecunda ſequenti fiat de Feſto tranſlato S. Laurentii, quid agendum de Dominica in ſecundis Veſperis de Dedicatione? ſiquidem duplex primæ claſſis admittit in ſecundis Veſperis commemorationem de Dominica ſimul occurrente: duplex verò ſecundæ claſſis omittit in primis Veſperis commemorationem Dominicæ præcedentis: ego facerem commemorationem Dominicæ, quia Veſperæ non ſunt integræ de ſequenti, ſed neque à capitulo: & duplex primæ claſſis abſorbet poſſeſſorium; & ſic etiam Dominica debet remanere in poſſeſſione ſuæ commemorationis à Feſto altioris ritus ſibi conceſſæ. Quòd ſi ubi S. Laurentius eſt Patronus Loci, in aliqua Eccleſia illius Civitatis occurrat die ſequenti Dedicatio, ibi Veſperæ ſunt de Dedicatione, cum commemoratione S. Laurentii, ex ratione ſuperiùs allata, quia in paritate ritus attenditur major dignitas. Idem dicendum ſi in aliqua Eccleſia ejuſdem Urbis, in qua S. Laurentius eſt Patronus Loci, incidat eodem die Dedicatio, nam in ſecundis Veſperis de Dedicatione fit commemoratio de S. Laurentio Patrono, ſi transferatur in ſequentem diem.

Cæterùm ſi S. Laurentius ſit Patronus Loci, 993
vel Titularis Eccleſię Cathedralis, ſecundę ejus Veſperę poterunt etiam per Epiſcopum eadem

ſo-

ſolemnitate celebrari, qua primę, ita enim clarè habetur ex Cęremoniali Epiſcoporum *libr.* 2. *capitul.* 1. §. 3. *pagin. mihi* 184. ubi ponitur dictio *ſaltem*, quę cùm reſpiciat ad Feſta ſolemniora ibi expreſsè enumerata, inter quę dicitur, *ac in Feſto Sancti Titularis Eccleſiæ*, *& Sancti Patroni Civitatis:* videtur importare obligationem Pontificaliter celebrandi etiam ſecundas Veſperas. Et reverà licèt primę Veſperę ſint nobiliores ſecundis, quia tamen Populus eſt frequentior in ſecundis feſtivis, quàm in primis plerumque ferialibus, ideò ſecundę debent eſſe ſaltem ejuſdem ſolemnitatis, cujus fuerunt primę: nam ſi ob concurſum Populi ſecundas Veſperas Dominicales amantis, ipſa Dominica habet integras ſecundas Veſperas in concurrentia cum ſemiduplici ſequenti, quam non habet in primis Veſperis ſimiliter concurrentibus, ut intelligit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *capit.* 9. *ſub numer.* 7. quanto magis Populus amabit ſecundas Veſperas tali ſolemnitate per Epiſcopum celebratas de Sancto ſuo Patrono, cujus Feſtum cùm ſit pręceptivum, facit frequentiorem concurſum? Nonne eadem frequentia accurret ad Cathedralem, quę eſt caput omnium Eccleſiarum Urbis ad audiendas ſecundas Veſperas de Sancto Titularis illius principalis Baſilicę, vocatus à Pontificalibus ea die in ſecundis Veſperis exercitis, quorum uſus & majeſtatem oſtendit Eccleſię, & ex majeſtate oritur grandior devotio.

§. IV.

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam S. Laurentii Levitæ & Martyris.

Dies infra Octavam S. Laurentii, in quibus revera fieri poſſit Officium de Octava, tres ſunt dumtaxat, non occurrente Dominica, nempè undecima, decima tertia, & decima quarta Auguſti, ſeu ſecunda, quarta, & quinta infra hanc Octavam, & ſic in Eccleſia Univerſali. In Eccleſiis autem particularibus poſſunt eſse minores tribus: ſiquidem Neapoli die undecima, quę eſt ſecunda infra Octavam, celebratur ſub ritu duplici Dies Octava S. Dominici Confeſsoris: Concordię verò in Foro Julii à parte Dominii Veneti fit eadem Die undecima de Die Octava Dedicationis Eccleſię Cathedralis, & ideo utrobique, non occurrente Dominica, Dies infra Octavam ſunt tantùm duo. In aliis Eccleſiis una ſolummodo Dies non eſt impedita: Sic Bergomi in Dominio Veneto dicta die undecima, ſeu ſecunda infra Octavam, fit Officium duplex minus de S. Heſtheria Virgine & Martyre, cujus Corpus requieſcit in illa Cathedrali: & ibidem die decima tertia, ſeu quarta infra Octavam, celebratur ſub ritu duplici minori Translatio SS. Alexandri Patroni, & Sociorum Martyrum: unde ibi ſola remanet libera Dies quinta infra Octavam, ſeu decima quarta Auguſti. Nec deſunt Eccleſiæ, in quibus nulla datur Dies infra Octavam non impedita: 994

Sic

Sic Pragæ in Bohemia, die undecima fit de SS. Tiburtio, & Suſanna ſub ritu ſemiduplici: die decima tertia fit ſub ritu ſemiduplici de SS. Hippolito & Caſſiano: die verò decimaquarta fit de S. Cajetano ut die fixa, impedita ſemper die ſeptima: & ideò omnes & tres Dies infra Octavam, quæ in Eccleſia Univerſali ſunt plerumque liberi, Pragæ ſunt ſemper impediti.

Quotieſcunque Officium fuerit de Die infra hanc 995
Octavam, adhibito colore rubeo, omnia dicuntur ut in Feſto, ſed ſub ritu ſemiduplici. Lectiones autem primi nocturni ſunt de Scriptura occurrente: at ſi die undecima fuerit Feria ſecunda poſt Dominicam ſecundam vel tertiam Auguſti, *Initium Libri Eccleſiaſtæ*, vel *Sapientiæ*, quod in ipſa Dominica poni non potuit, ponendum erit in dicta Feria ſecunda. Lectiones verò ſecundi & tertii nocturni ſunt propriæ in qualibet ex illis tribus diebus non impeditis. Quocunque tamen die Officium ſit de Octava, ſemper ad Matutinum occurret legenda nona Lectio de Feſto ſimplici, vel de Vigilia: nam die undecima, ſeu ſecunda infra Octavam occurrit nona Lectio SS. mm. Tiburtii & Suſannæ: Die verò decima tertia, ſeu quarta infra octavam, incidit nona Lectio de SS. mm. Hippolyto & Caſſiano: Die denique decima quarta, ſeu quinta infra Octavam, occurrit nona Lectio de Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, de qua fuſiùs proprio loco dicemus. Ad Laudes in dicto Officio de Die infra Octavam fit commemoratio Feſti ſimplicis occurrentis, & die decimaquarta Auguſti poſt commemorationem Vigilæ fit commemoratio etiam S. Euſebii Confeſſoriis. Ad omnes autem alias Horas fit iterum recurſus ad Feſtum pro earum recitatione. Quia verò datur caſus, in quo una eademque Octava ſpecialis de uno eodemque Feſto poteſt modò præcedere, & modò cedere, juxta ritum æqualem vel altiorem ipſius Feſti particularis, ideò modo in Octava S. Laurentii fiet commemoratio de altera Octava, modò in Officio

de

de altera Octava fiet commemoratio S. Laurentii: Sic apud Minores S. Franciſci Capuccinos, apud quos Feſtum S. Claræ eſt duplex ſecundæ claſſis cum Octava, præcedit Octava S. Laurentii, & fit commemoratio S. Claræ: Ejuſdem autem S. Franciſci Minores tum Conventuales, tum Obſervantes, tum etiam Reformati, quia celebrant dictum Feſtum S. Claræ ſub ritu duplici primæ claſſis benè præcedere faciunt Octavam ejuſdem S. Claræ, & dant commemorationem S. Laurentio.

Cæterùm infra hanc Octavam S. Laurentii fit de quolibet Feſto novem Lectionum, ſive ſit duplex etiam translatum, ſive etiam ſit ſemiduplex, dummodo occurrat. Quia verò die decima tertia Auguſti, quæ eſt quarta infra Octavam habetur Feſtum ſimplex SS. mm. Hippolyti & Caſſiani, ideò ſi alicubi fiat de Sancto Confeſſore Pontifice, cum Oratione de ejus Communi ex primo loco, commutanda erit Oratio Feſti, non autem Simplicis, conſideranda venit tanquam propria, & ideò varianda erit Oratio prima, non verò ſecunda, ita ut ſit dicenda de ſecundo loco ejuſdem Communis, nempè, *Exaudi*. Sed è contra die decimaquarta ejuſdem Menſis, ſeu quinta infra Octavam, ſi alicubi ſit agendum de Feſto Sancti Confeſſoris non Pontificis ex primo loco ſui Communis, videtur commutanda Oratio Feſti ſimplicis, ſeu S. Euſebii Confeſſoris, licèt variet in fine. Quotieſcunque verò Dies infra hanc Octavam ſit impedita à Feſto novem Lectionum, ad Laudes fit commemoratio Octavæ: & ſi plures incidant Octavæ, fit priùs commemoratio de digniori, deinde de minùs digna, ut ſupra vidimus in Octava S. Claræ reſpectu ejus Feſti varium ritum habentis: niſi tamen Feſtum ſit duplex primæ vel ſecundæ claſſis, quia in hujuſmodi duplicibus non fit in Laudibus commemoratio S. Laurentii, nec alterius cujuſvis Octavæ alicubi ſimul occurrentis, quantumvis dignioris, etiam Dedicationis Eccleſiæ: ſic Auguſtæ Vinde- 996

lico-

licorum in Rhætia die duodecima Auguſti fit de S. Hilario ſub ritu duplici ſecundæ claſſis : ſic Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi fit die decimatertia ejuſdem Menſis de S. Caſſiano ſub ritu duplici primæ claſſis: & in neutra ex illis Civitatibus fit commemoratio S. Laurentii.

Miſſa verò de Die infra Octavam S. Laurentii, ſi Officium ſit de ea, dicitur ut in ejus Feſto in colore rubeo, cum *Gloria*. Quia verò tribus tantùm diebus fieri poteſt Officium de hac Octava, & in qualibet eorum occurrit Feſtum ſimplex, ideò in Miſſa ſecunda Oratio erit de eo, & tertia *Concede*. Non dicitur *Credo*, quia neque dictum fuit in Feſto, & Acceſſorium ſequitur naturam ſui Principalis. Dicitur tamen, ubi occurrit alia Octava minus digna, qualis eſt Octava S. Claræ apud Minores S. Franciſci Capuccinos, in quarum Eccleſiis in Miſſa de Octava S. Laurentii dicitur Symbolum ratione dictæ Octavæ S. Claræ, cujus Feſtum cùm ſit ibi duplex ſecundæ claſſis, in paritate ritus Octava S. Laurentii eſt dignior; & ſic in hujuſmodi caſu Octava minùs digna, quæ tamen *Credo* admittit, illud tribuit Octavæ digniori cæteroquin non admittenti. At ſi alicubi occurrat Octava altioris ritus & dignioris, Miſſa dicitur de ea, cum commemoratione Octavæ S. Laurentii tunc minùs dignæ: ſic Maceratæ, Mazariæ, & in tota Congregatione Canonicorum Regularium SS. Salvatoris, ſi die undecima Auguſti agatur de ſexta Die infra Octavam Transfigurationis Domini, Miſſa dicitur ibi de illa Octava, quæ ſuum habet Feſtum duplex primæ claſſis, cum ſecunda Oratione de ſecunda Die infra Octavam S. Laurentii, & tertia de Feſto ſimplici SS. Mm. Tiburtii & Suſannæ: ſic Vicentiæ, ſi die decimatertia ejuſdem Auguſti Officium ſit de ſeptima Die infra Octava S. Cajetani, in Miſſa de illo Compatrono fit commemoratio de Die quarta infra Octavam S. Laurentii, & tertia de SS. Mm. Hippolyto & Caſſiano. 997

Quia

Quia tamen infra hanc Octavam S. Laurentii 998
ſit de quolibet Feſto novem Lectionum, ut ſupra diximus in Officio, ideò Miſſa dici debet de eo, de quo agitur, cum ſecunda Oratione S. Laurentii, & tertia de Feſto ſimplici, quando occurrit. Quòd ſit Feſtum illud fuerit duplex ſecundæ claſſis, in Miſſa de eo nulla ſit commemoratio de Octava S. Laurentii, imò neque de alia quavis Octava utcunque digniori, nec ideò omittitur commemoratio de Feſto ſimplici in Miſſis privatis, ſed benè in ſolemni. Si verò illud Feſtum fuerit duplex primæ claſſis, in ejus Miſſa nihil de S. Laurentio, nihil de ſimplici, nihilque de Vigilia, de qua tamen plura dicemus *capite quinto ſequenti*, cùm de Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis infra hanc Octavam occurrente ſermo erit. Diximus ſupra in Miſſa de Feſto S. Laurentii, quòd hæc Miſſa dici non poteſt infra Annum ut Votiva, ex rationibus ibidem allatis. Non ſequitur tamen ut non poſſit dici ut Votiva infra hanc ſuam Octavam, eo ſcilicèt die, quo alicubi ſit de Feſto ſemiduplici: Sic Concordiæ in Foro Julii die undecima Auguſti ſit de S. Suſanna Virgine & Martyre ſub ritu ſemiduplici: ſic Tergeſte, Aquilejæ, & Parentii, die decimatertia ejuſdem Menſis ſit de Feſto ſemiduplici SS. Hippolyti & Caſſiani: ſic Piſis in Tractu Piſano in Tuſcia, die decimaquarta prædicti Auguſti ſit de S. Euſebio Confeſſore ſub ritu ſemiduplici: & in prædictis Civitatibus & Diœceſibus, dictiſque diebus taliter impeditis, niſi occurrat Dominica, dici poteſt Miſſa S. Laurentii ut Votiva, ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, quia cùm ſimus infra ſuam Octavam, adhuc S. Laurentius habet aliquod Jus in re pro ſua Miſſa, ſed more Votivo.

Quòd ſi die decima tertia Auguſti alicubi fiat 999
de Feſto Sancti Confeſſoris Pontificis, cum Oratione de primo loco illius Communis, quia prima Oratio Feſti ſimplicis eadem die occurrentis, nempè SS. mm. Hippolyti & Caſſiani convenit omninò

mninò cum illa Feſti ſic ut præfertur forſitan incidentis, ideò in Miſsa commutetur Oratio de Feſto, ſumendo aliam de ſecundo loco ejuſdem Communis, videlicet, *Exaudi*, ad varietatem, ut commutatio concordet cum Officio in hujuſmodi occurrentia: quia, ut ſupra diximus in Officio, hæc Oratio Feſti ſimplicis cenſenda eſt propria, & ideò non varianda: nec ſola diverſitas nominis diverſificat Orationem, nam Rubrica ipſa de Commemorationibus in fine, jam ſupponit nominis diverſitatem, & tamen vult commutationem. Sed è contra, ubi die decima quarta ejuſdem Auguſti fiat de Feſto Sancti Confeſsoris non Pontificis, cum Orationibus de ſuo Communi ex primo loco, tunc commutabuntur in Miſsa omnes & tres Orationes pro Feſto ſimplici S. Euſebii Confeſsoris, eæque ſumentur ex eodem quidem Communi, ſed ex altero loco. Cæterùm infra hanc Octavam S. Laurentii dici poſsunt quæcunque Miſsæ Votivæ privatæ & pro Defunctis, ex quo robur accipit, quod ſupra diximus de Votiva ejuſdem S. Laurentii, nam ſi poſsunt dici quæcunque Votivæ privatæ, majori ratione dici poterunt de hac Octava: nec hæc concluſio aliquem habet contradictorem. Verum quidem eſt, quod hoc intelligitur de Diebus infra Octavam non impeditis à Feſto duplici etiam tranſlato: tranſlatio enim Duplicis non minuit qualitatem ritus, qui licèt tranſlatus eandem omninò vim retinet, quam habet occurrens: Sicuti ergo dictæ Miſſæ Votivæ privatæ dici poſsunt in Semiduplici tranſlato, quia dicuntur & in occurrente: ita è contra, quia non dicuntur in Duplici occurrente, non poſsunt dici in tranſlato.

Veſperæ de Die infra Octavam S. Laurentii ſemel ſunt integræ, ſemel poſsunt eſse à Capitulo, & in reliquis Diebus ſolam habent commemorationem. Itaque ſunt integræ in Eccleſia Univerſali die decimatertia Auguſti, quæ eſt quarta infra hanc Octavam, dummodò die ſequenti non occurrat Dominica: & in tali caſu dicuntur, ut 1000

in

in ſecundis Veſperis de Feſto in Breviario, juxta Rubricam generalem *de Octavis*, *titul. 7. ſub nu. 5.* cum commemoratione S. Euſebii: quòd ſi alia alicubi occurrat ſimul Octava, quæ ſit minùs digna, fit etiam de ea commemoratio, ut apud Regulares S. Franciſci Capuccinos, apud quos Feſtum S. Claræ Aſſiſienſis eſt duplex ſecundæ claſſis, in Veſperis de Octava S. Laurentii fit commemoratio de Octava ejuſdem S. Claræ, & poſtmodùm de S. Euſebio. At ſi Octava alicubi ſit altioris ritus, & die decimatertia ac decima quarta Auguſti Officium fiat ibi de ea, in Veſperis de Octava digniori fit commemoratio de Octava S. Laurentii minùs digna, & poſtea de S. Euſebio, ut Inſulis Juſtinopolitanis in Hiſtria, ubi plerumque dictis duobus diebus Auguſtanis fit de quarta & quinta Die infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ, quæ eſt ibi cum Feſto duplici primæ claſſis.

Veſperæ autem de Die infra Octavam S. Laurentii ſemel fieri poſſunt à Capitulo, non in Eccleſia Univerſali, ſed in particulari, ubi ſcilicèt die decimatertia Auguſti occurrit Feſtum ſemiduplex, & die ſequenti fit de Octava, nam in tali caſu Veſperæ ſunt à Capitulo de Octava S. Laurentii, cum commemoratione de Feſto ſemiduplici præcedenti, & de S. Euſebio Confeſſore: Sic Aquilejæ in Foro Julii, Tergeſtæ, & Parentii in Hiſtria dicta die decimatertia fit de SS. Hippolyto & Caſſiano ſub ritu ſemiduplici, & ideò in illis Civitatibus & Diœceſibus Veſperæ fiunt ut ſupra: Uſque verò ad Capitulum dictæ Veſperæ de Octava adhuc ſemel dari poſſunt in Eccleſia Univerſali, quando ſcilicèt die decimaquarta Auguſti occurrit Dominica, nam tunc die præcedenti in Sabbato Veſperæ ſunt de Octava, ſed Capitulum de Dominica ſequenti, cum commemoratione Octavæ, & S. Euſebii: idem dicendum, ſi alicubi die decima tertia fieret de Octava, & die ſequenti de Feſto ſemiduplici. 1001

In reliquis denique Diebus infra hanc Octavam, 1002

vam, vel ſola ſit in Veſperis commemoratio ejuſdem Octavæ, vel ipſa quoque commemoratio deperditur. Et ſit quidem commemoratio, ſi Dies infra Octavam ſit impedita ab Octava altioris ritus, à Feſto ſemiduplici, vel duplici tam minori quàm majori. Omittitur verò commemoratio in concurrentia Feſti duplicis primæ vel ſecundæ claſſis, niſi duplex ſecundæ claſſis occurreret die decimatertia, & die ſequenti Officium eſset de Octava, quia tunc & eo caſu in ſecundis Veſperis de duplici ſecundæ claſſis fieret commemoratio de Octava, juxta Rubricam generalem Breviarii *de Commemor. titul.* 9. *ſub numer.* 6. & iterum hoc clarè patet ex tertio Notando *poſt Tabell. de Concurren.* ſic Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi, ubi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis Feſtum S. Caſſiani Epiſcopi & Martyris, illiuſque Civitatis Patroni: ſic Comacli in Ducatu Ferrarienſi, & Imolæ in Provincia Romaniolæ, ubi idem Feſtum eſt Patronale, & conſequenter duplex primæ claſſis: in prædictis enim Civitatibus & Diœceſibus non ſit in Veſperis commemoratio de hac Octava S. Laurentii. Sic ſi die decimatertia Auguſti occurrat alicubi Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, Veſperæ apud Clerum Sæcularem, apud quem hujuſmodi Dedicatio habet ritum duplicem primæ claſſis, dicuntur ſine prædicta Octavæ commemoratione: Regulares verò in eadem Urbe commorantes, quia Dedicationem Cathedralis celebrant ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, faciunt in ſecundis Veſperis commemorationem ejuſdem Octavæ, ſi die ſequenti agant Officium de ea, non tamen aliter, nec alio modo, ſi nempè Dies decima quarta ſit impedita.

§. V.

De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam S. Laurentii Levitæ & Martyris.

Dominica infra Octavam S. Laurentii non 1003
poteſt celebrari cum ſuo integro Officio Dominicali, niſi tribus dumtaxat diebus, nempè, undecima, decimatertia, & decimaquarta Auguſti, & hoc in Eccleſiæ Univerſali, nam in Eccleſiis particularibus poteſt hæc Dominica eſſe impedita in aliquo ex prædictis tribus diebus, & forſan alicubi in omnibus ratione Feſtorum duplicium ibi occurrentium. Hæc autem Dominica ſumitur ex duplici loco Dominicarum, ſcilicèt ex Dominica Menſis, & ex illa, quæ recurrit poſt Pentecoſten, de quibus paulò infra clariùs dicemus. Quoad primas ejus Veſperas, ſi Officium ſit Dominicale, nunquam habet integras, & unico tantùm caſu dividit eas à Capitulo, nam in cæteris diebus ſola gaudet commemoratione, quam tamen nunquàm amittit, quodcunque ſit Feſtum præcedens, & cum illa concurrens. Itaque ſi Dominica venerit die undecima Auguſti, in ſecundis Veſperis de Feſto S. Laurentii fit commemoratio de ea, cum Antiphona de Sabbato ante Dominicam Menſualem occurrentem, quæ poteſt eſſe ſecunda vel tertia Auguſti, & non alia: & ideò ſi fuerit ſecunda, Antiphona pro commemoratione Dominicæ erit, *Ego in altiſſimis habito*: ſi verò fuerit tertia, Antipho-

tiphona erit, *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt*. Verſiculus autem & Reſponſorium ſumentur ex Veſperis Sabbati in Pſalterio: ſed Oratio deſumenda eſt ex Dominica occurrente poſt Pentecoſten, quæ habetur unà cum aliis illius temporis Dominicis poſt Dominicas Menſuales in Proprio de Tempore uſque ad Adventum: Poſt commemorationem Dominicæ fit etiam commemoratio Feſti ſimplicis ſequentis; ſcilicèt, SS. Mm. Tiburtii & Suſannæ, omittenda tamen; ubi S. Laurentius eſt Patronus Loci, ſeu Titularis Eccleſiæ.

Quòd ſi dicta Dominica infra Octavam occurrerit die duodecima Auguſti, in primis Veſperis de S. Clara fit commemoratio de Dominica ſimul occurrente in dicto Feſto S. Claræ, ac etiam de Octava S. Laurentii, exceptis Eccleſiis, in quibus S. Clara celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, ut apud Franciſcanos Conventuales, Obſervantes, & Reformatos: vel habet ritum duplicem ſecundæ claſſis, ut apud Capuccinos, nam in utroque caſu omittitur in dictis Veſperis commemoratio S. Laurentii. Si verò Dominica infra Octavam inciderit in diem decimamtertiam Auguſti, in ſecundis Veſperis de S. Clara fit commemoratio Dominicæ ſequentis, & S. Laurentii: quæ quidem ultima commemoratio omittitur, ubi Feſtum S. Claræ eſt duplex primæ claſſis; non tamen omittitur, ubi dictum Feſtum eſt duplex ſecundæ claſſis, dummodo die ſequenti Officium fit ibi de eadem Octava S. Laurentii. At ſi hæc Dominica infra Octavam contigerit die decima quarta ejuſdem Menſis Auguſti, Veſperæ die præcedenti in Sabbato erunt de Octava, ſed à Capitulo fiet de Dominica ſequenti, remanente colore rubeo, cum commemoratione Octavæ, & S. Euſebii: & ubi die decimatertia fit de Feſto ſemiduplici, ut Aquilejæ in Foro Julii, Tergeſte, & Parentii in Hiſtria fit de SS. Mm. Hippolyto & Caſſiano, Veſperæ ſunt quidem ibi à Capitulo de Dominica ſequenti, ſed cum commemo- 1004

memoratione prius Feſti ſemiduplicis præcedentis, deinde Octavæ S. Laurentii, ac poſtmodùm S. Euſebii.

Ubi tamen S. Caſſianus habet ritum duplicem 1007
minorem, (ut Venetiis ex noviſſima conceſſione Apoſtolica de Anno 1737. ſub die 6. Aprilis) in ſecundis Veſperis de Feſto facimus commemorationem de Dominica ſequenti, de Octava, & de S. Euſebio, Brixinæ verò in Comitatu Tyrolenſi; Imolæ in Provincia Romaniolę; & Comacli in Ducatu Ferrarienſi, in quibus Civitatibus S. Caſſianus eſt Patronus, in ſecundis ejus Veſperis fit quidem commemoratio Dominicæ ſequentis, ſed non de Octava S. Laurentii, neque de Feſto ſimplici S. Euſebii. Non extenditur ultra diem decimamquartam Auguſti Dominica infra Octavam S. Laurentii, quia poſt illam diem intrat Dominica infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, cum commutatione coloris rubri in album: quaproter de hoc dicemus ſuo loco, nempè, *capite quinto ſequenti*.

Quoad Officium in Dominica infra Octavam S. 1008
Laurentii, ſi in ea non occurrat impedimentum Feſti duplicis occurrentis, illud celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore rubeo ratione Octavæ, juxta Rubricam generalem Miſſalis *de colorib. Paramentor. titul. 18. ſub numer.* 3. Ad Matutinum omnia ſumuntur ex Pſalterio, exceptis Lectionibus omnium & trium Nocturnorum, quæ tamen ex duplici Dominicarum ordine ſunt deſumendæ; ſiquidem quæ ad primum ſpectant & ſecundum Nocturnum, leguntur ut in Dominica ſecunda vel tertia Menſis Auguſti, nam una vel altera ex dictis duabus Dominicis poteſt occurrere, & non alia. In tertio verò Nocturno dicuntur de Dominica enumerata, ſeu quæ recurrit poſt Pentecoſten, quæ licèt hoc loco non poſſit præciſe & abſolutè aſſignari, erit tamen ſemper una ex quinque ſequentibus, & non alia, videlicèt, vel nona, vel decima, vel undecima, vel duodecima, vel denique decima tertia.

tertia. Quia tamen in quocunque die ex tribus prædictis, in quo Officium poteſt eſſe ex integro de Dominica infra Octavam, occurrit Feſtum ſimplex, habens Hiſtoriam propriam; ideò ſi Dominica veniat die undecima vel decimatertia Auguſti, ad Matutinum dicitur nona Lectio de SS. Mm. Tiburtio & Suſanna, vel reſpectivè de SS. Hippolyto & Caſſiano itidem Martyribus.

Ad Laudes in Officio de Dominica infra Octavam S. Laurentii omnia itidem ſumuntur ex Pſalterio, ſed Antiphona ad *Benedictus*, & Oratio, dicuntur ut in Proprio de Tempore in Dominica, quæ eò anno occurrit poſt Pentecoſten, & fit commemoratio ejuſdem Octavæ, & Feſti ſimplicis, quod, ut ſupra vidimus, ſemper occurrit illis tribus diebus, in quibus fieri poteſt totum de Dominica: imo ante Feſtum ſimplex fit commemoratio alterius Octavæ alicubi occurrentis, ante vel poſt illam de S. Laurentio, juxta majorem vel minorem illius Octavæ ritum: ſic Franciſcani Conventuales, Obſervantes & Reformati, ſi hæc Dominica occurrat die decimatertia vel decimaquarta Auguſti, faciunt præcedere commemorationem S. Claræ, quia ipſi celebrant illud Feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava: Capuccini verò quia agunt de eadem S. Clara ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, faciunt præcedere commemorationem S. Laurentii, & quidem rectè, quia in paritate ritus Octava S. Laurentii eſt dignior Octava S. Claræ. Ad Primam dicitur Pſalmus *Confitemini*, & Symbolum *Quicunque*, nec ideò dicuntur Preces Dominicales. Ad reliquas Horas adhuc utimur Pſalterio, cum Oratione tamen de Dominica occurrente poſt Pentecoſten. 1007

Prædicta omnia, ſicut dictum eſt, ſervanda ſunt, ſi Officium ſit ex integro de Dominica infra Octavam S. Laurentii. At ſi Dominica incidat in Feſtum duplex ſive majus, ſive etiam minus, legitur ad Matutinum nona Lectio Homi- 1008

 lia

ſæ in Evangelium Dominicæ occurrentis, & ad Laudes ſit ejus commemoratio ante illam de Octava S. Laurentii, & ultimo loco de Feſto ſimplici occurrente. Quòd ſi Officium ſit de Duplici ſecundæ claſſis, omiſſa ad Laudes commemoratione S. Laurentii, ſit tamen poſt illam Dominicæ, etiam commemoratio Simplicis incidentis. Si verò Feſtum, in quo Dominica occurrit, ſit duplex primæ claſſis, prout eſt die duodecima Auguſti Dedicatio Eccleſiæ Sarzanenſis: Brixinæ, Imolæ, & Comacli Feſtum S. Caſſiani die decima tertia ejuſdem Menſis occurrens, data ad Matutinum nona Lectione Dominicæ, factaque in Laudibus ejus commemoratione, omittitur illa S. Laurentii & Feſti ſimplicis. Quia tamen in Dominica ſecunda, & tertia Auguſti *Incipit Liber Eccleſiaſtæ*, vel reſpectivè ad aliam Dominicam *Incipit Liber Sapientiæ*, quæcunque ex his duabus ſit Dominica infra Octavam, & impedita veniat à Feſto proprias in primo Nocturno habente Lectiones, vel deſiderantes de Communi, illud *Initium* erit ponendum in Feria ſecunda immediatè ſequenti ſimiliter non impedita, alioquin in Feria tertia.

Illud quoque hoc proprio loco adnotandum eſt, quòd licèt infra Octavam non ſit agendum de Feſto ſemiduplici translato, ſi tamen hujuſmodi Feſtum occurrat alicubi in hac Dominica infra Octavam, erit transferendum in Feriam ſecundam ſequentem, dummodò non ſit impedita, ita ut niſi haberetur illud ſemiduplex, agendum eſſet de Die infra Octavam: ſic ſi Dominica veniat die decimatertia Auguſti, Aquilejæ, Tergeſte, & Parentii transfertur in diem ſequentem decimamquartam, quæ eſt Feria ſecunda, Feſtum ſemiduplex SS. Mm. Hippolyti & Caſſiani, quod heri occurrebat in Dominica infra Octavam, quia in illis Eccleſiis Feria ſecunda ſolet eſſe libera. Tantum tamen habet juris Feria hæc ſecunda pro repoſitione hujuſmodi ſemiduplicis translati, 1009

ut

ut locum neget Duplici tranſlato licèt primæ claſſis, ut fuſiùs diximus ſupra, cùm de Dominica infra Octavam Aſcenſionis ſermo erat, ubi & attulimus ad rem Declarationem Sacræ Rituum Congregationis.

Explicatis ea, qua potuimus, claritate pertinentibus ad Officium de Dominica infra Octavam S. Laurentii, modò deveniendum eſt ad Miſſam. Hæc igitur, ſi Dominica non ſit impedita, (prout non eſt in tribus diebus Auguſti ſupra enumeratis, ſaltem in Eccleſia Univerſali) dicitur de una ex illis quinque Dominicis poſt Pentecoſten, quas ſolùm infra hanc Octavam occurrere poſſe vidimus ſupra in Officio. Ante Miſſam verò ſolemnem fit Aſperſio Aquæ benedictæ, excepta tamen Eccleſia, in qua Epiſcopus forſan Pontificaliter celebraret, ut citato Cæremoniali Epiſcoporum alibi à nobis dictum eſt. In hac Miſſa colorem de Octava admittente dicitur *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de Octava: nec tamen hæc ſola eſt ſufficiens, quamvis Rubrica generalis Miſſalis *de Orat. titul.* 11. *ſub numer.* 10. dicat, quod in Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, ſecunda de Octava, quia hæc Rubrica intelligit, quòd non ſit dicenda tertia Oratio *Concede*, ut in Diebus infra Octavam; non verò, quòd non fiant quotquot occurrere poſſunt neceſſariæ & præceptivæ commemorationes; nam ſive hæc Dominica veniat die undecima, ſive decimatertia, ſive etiam decimaquarta Auguſti, ſemper habetur Feſtum ſimplex, de quo proculdubio dicenda eſt tertia Oratio in Miſſa; unde prælibata Rubrica non ſupponit occurrentiam tertiæ Orationis: imò dari poteſt & quarta Oratio, ut ſi Dominica veniat die decimaquarta Auguſti, in totò Ordine Minorum S. Franciſci Capuccinorum ſecunda Oratio dicitur de S. Laurentio, tertia de S. Clara, quarta de Feſto ſimplici. 1010

Quæ tamen hactenus dicta ſunt, intelliguntur 1011

de

de Dominica libera, de qua factum ſit ex integro Officium. At ſi fuerit impedita à Feſto duplici minori vel etiam majori, in Miſſa de Feſto dicitur ſecunda Oratio Dominicæ, tertia S. Laurentii, & quarta Feſti ſimplicis. Quòd ſi Feſtum ſit duplex ſecundæ claſſis, in Miſſa Feſti ſecunda Oratio erit de Dominica, & in privatis tertia de Simplici incidente, omiſſa commemoratione de Octava S. Laurentii non ſolùm in Miſſa ſolemni, ſed etiam in privatis. Si verò occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, tunc & eo caſu Miſſa de Feſto non admittit, niſi ſecundam Orationem de Dominica, ideoque nihil de Octava S. Laurentii, nihilque de Feſto ſimplici occurrente. Quodcunque tamen Feſtum duplex occurrat in hac Dominica infra Octavam, ſemper legitur in fine Miſsæ Evangelium ejuſdem Dominicæ.

Ad Complementum Officii de hac Dominica 1012
reſtant explicandæ ſecundę ejus Veſperę. Hę igitur ſemel dumtaxat poſsunt eſse integrę, nunquam à Capitulo, & in reliquis modò ſolam habent commemorationem, & modò eam ipſam deperdunt. Sunt itaque integrę in Eccleſia Univerſali, quando Dominica venit die decimatertia Auguſti: tunc enim in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio S. Laurentii, & S. Euſebii: In Eccleſiis verò particularibus adhuc ſemel Dominica habere poteſt integras ſuas ſecundas Veſperas, ſi alicubi die decimaquarta fiat de Feſto ſemiduplici in Feria ſecunda; nam Aquileję, Tergeſte, & Parentii in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio de ſequenti Feſto ſemiduplici SS. Hippolyti & Caſſiani, quod fuit heri in Dominica, deinde de Octava S. Laurentii, ac de S. Euſebio. Habet autem Dominica ſolam commemorationem in ſecundis Veſperis, quando vel impedita eſt à Feſto duplici, vel cum eo concurrit. Amittit denique ſuam commemorationem, ſi ſecundę ejus Veſperę concurrant cum ſequenti duplici primę vel ſecundę claſſis.

At

At quid dicendum, ſi in Dominica occurrat 1013
duplex primæ claſſis, quod in ſecundis Veſperis admittit commemorationem ejuſdem Dominicæ, & die ſequenti fiat de duplici ſecundæ claſſis, quod in primis Veſperis excludit commemorationem Dominicæ præcedentis? Ego facerem commemorationem Dominicæ, eà ductus ratione, quia ſimplex commemoratio ſequentis non videtur habere vim excludendi commemorationem Dominicæ, quam vigore Rubricæ admittit duplex primæ claſſis in integris ſuis ſecundis Veſperis. Imò ſi in hanc Dominicam incideret alicubi duplex primæ claſſis: & cras agendum eſſet in Feria ſecunda de ſimili duplici, ego darem vel negarem commemorationem Dominicæ juxta majorem vel minorem dignitatem alterutrius duplicis primæ claſſis: ita ut ſi Veſperæ deberent eſſe integræ de duplici primæ claſſis occurrente in Dominica, in ſecundis Veſperis de illo duplici, poſt commemorationem ſequentis, facerem etiam illam de Dominica: ſi verò Veſperæ deberent eſſe de ſequenti tanquàm de digniori, facta commemoratione duplicis præcedentis, omitterem commemorationem Dominicæ: & hoc intelligerem etiam de duobus duplicibus ſecundæ claſſis ſucceſſivè celebrandis, ſalva tamen in utroque caſu meliori opinione.

§. VI.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam S. Laurentii Levitæ & Martyris.

HÆc Dies Octava S. Laurentii primo loco pronuncianda eſt in Martyrologio ad Primam, prout revera ibi ſic ponitur, ſcilicet, *Octava S. Laurentii Martyris*. At ſi alicubi hodie occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, aut Dies Octava dignior, ut dari hujuſmodi occurrentiam paulò inferiùs videbimus, in Martyrologio annunciandum eſſe primo loco Feſtum, de quo principaliter fit Officium, deinde Diem Octavam S. Laurentii, ipſis Regulis Martyrologicis inhærendo, arbitramur: licèt hoc non placeat Guyeto diverſimodè ſentienti *in Heortolog. lib. 2. ſect. 4. capitul. 14. quæſt. 4. verſ. ſecundò, pagin, mihi* 126. ſed Lex Martyrologica non diſtinguit, & ideò nec nos debemus diſtinguere: nec mihi videtur congruum, quòd Dies Octava impedita, & quæ eo caſu celebratur more ſimplicium, locum habeat in pronunciatione ante Feſtum novem Lectionum, quod eo die principaliter celebratur. Teneo tamen cum eodem Guyeto *dict. lib. 2. ſect. 3. capitul. 14. quæſt. 3.* quòd etiam in Locis, in quibus Feſtum S. Laurentii non habet Octavam, (ut in Eccleſiis ab ipſo relatis, nempè, Turonenſi, Rothomagenſi, Senonenſi, Pariſienſi, & Carnutenſi) ſit nihilominùs pronuncianda in Martyrologio, ea ductus veriſſima ratione, quam ipſe tradit, quia 1014

neque

neque omittuntur Feſta in eodem Martyrologio contenta, de quibus juxta uſum Eccleſiarum particularium nihil in Officio fieri non raro contingit.

1015 Hæc autem Dies Octava S. Laurentii nunquam integras habere poteſt primas Veſperas, ſiquidem die præcedenti actum eſt de S. Hyacintho Confeſſore; ex quo Veſperæ dividendæ ſunt à Capitulo, ut clarè patet, & ideò adhibetur color rubeus ad favorem Capituli de Die Octava: cujus Oratio differt ab illa Feſti, & conſequenter eſt propria, reliqua ut in primis Veſperis Feſti: deinde fit commemoratio præcedentis, & Aſſumptionis. In Eccleſia verò S. Rocchi, Veſperæ ſunt integræ de eo, cum commemoratione de ſequenti Die Octava, ſed non Aſſumptionis. Ubi autem occurrit ſimul alia Dies Octava dignior, prout Inſulis Juſtinopolitanis in Hiſtria incidit in hanc diem decimamſeptimam Auguſti Dies Octava Dedicationis illius Eccleſiæ, In Veſperis de S. Hyacintho fit commemoratio prius de Die Octava S. Laurentii, deinde de præcedenti, & poſtremo de Aſſumptione. At ſi hodie veniat alicubi ipſum Feſtum Dedicationis, quod celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, in primis ejus Veſperis fit quidem commemoratio de Die Octava S. Laurentii, non verò de S. Hyacintho, & multo minùs de Aſſumptione. Quòd ſi die decima ſexta Auguſti occurrat Dedicatio, ut occurrit Torcelli prope Venetias, in ſecundis Veſperis de Dedicatione illius Cathedralis fit commemoratio de ſequenti Die Octava S. Laurentii, omiſſa tamen illa Aſſumptionis.

1016 Quia verò alicubi dari poteſt caſus transferendi ipſum Feſtum S. Laurentii in hanc ſuam Diem Octavam non impeditam à Dominica quandoque occurrente vel forſan à Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, quia tunc Feſtum transferendum eſſet extra totam ſuam Octavam: ideo data hypotheſi hujuſmodi caſus, primæ Veſperæ erunt

de

de Feſto, ſine commemoratione S. Hyacinthi præcedentis, & abſque illa Aſſumptionis, omiſſa diebus præcedentibus omni ratione Octavæ, ac ipſa diperdita ex integro Die Octava. Quod autem hoc fieri poſſit, probavimus auctoritate & ratione *tom. 1. capitul. 1. §. 13. ſub numer. 192.* Caſus autem in praxi dari poteſt Pragæ in Bohemia, cum ſuppoſitione, quòd die decima Auguſti occurrat Dedicatio in aliqua Eccleſia Urbis vel Diœceſis: ſiquidem ibi ſic regularentur Officia illorum dierum, nempè: = *Die 10. Aug. Dedicat. Eccleſ. dup. 1. claſſ.* = *Die 11. SS. Mm. Tiburtii & Suſan. ſemidup.* = *Die 12. S. Claræ Virg. dup.* = *Die 13. SS. Hippolyti & Caſſiani Mm. ſemidupl.* = *Die 14. S. Cajetani Confeſſ. dupl. (dies fixa; nam die 7. agitur ibi de S. Donato Epiſcopo & Martyre, ſub ritu duplici)* = *Die 15. Aſſumpt. B. M. V. dup. 1. claſſ.* = *Die 16. S. Hyacinthi Confeſſ. dupl.* = *Die 17. Oct. S. Laur. & ejus Feſt. translat. fuit 10. hujus*: & ideò in primis ejus Veſperis non fit ibi commemoratio S. Hyacinthi, non Diei Octavæ, non Aſſumptionis.

Quoad Officium Matutini in hac Die Octava 1017
S. Laurentii, omnia dicuntur, ut in ejus Feſto, exceptis tamen Lectionibus, quæ in primo Nocturno dicuntur de Scriptura occurrente, ſed in ſecundo & in tertio ſunt propriæ. Ad Laudes Oratio non eſt ampliùs de Octava, ſed propria de Die Octava, cum commemoratione Aſſumptionis, & ubi occurrit alia Octava, fit etiam commemoratio de ea. ſic Venetiis fit commemoratio de Die ſecunda infra Octavam Dedicationis in Eccleſia Minorum Conventualium Franciſcanorum S. Nicolai vulgò *della Lattuca*. Si verò hodie occurrat Dominica, in Officio de Die Octava dicitur ad Matutinum nona Lectio ejuſdem Dominicæ, & fit ejus commemoratio in Laudibus, ac etiam Aſſumptionis. Quia verò illa Dominica erit ſemper tertia Menſis Auguſti, in qua *Incipit Liber Sapientiæ*, ideò ſi heri oc-

ſi occurrebat, & alicubi incidebat Feſtum proprias requirens Lectiones primi Nocturni, vel deſiderans de ſuo Communi, ut in Eccleſia S. Rochi, hodie ibi in primo Nocturno legitur dictum *Initium*, ut ſpecificando hanc Diem Octavam, docet Rubrica Breviarii poſita ante dictam Dominicam tertiam. Cæterùm ſi hodie alicubi incidat vel Dies Octava dignior, ut Inſulis Juſtinopolitanis in Hiſtria occurrit Dies Octava Dedicationis Eccleſiæ: vel duplex primæ claſſis, ut Venetiis contingit ipſum Feſtum Dedicationis in Eccleſia Parochiali & Abbatiali S. Gregorii Magni Papæ & Confeſſoris: vel etiam apud Regulares alicuius Civitatis veniat hac die Feſtum duplex ſecundæ claſſis, quale eſſe poteſt Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, Officium erit quidem de eo, ſed cum commemoratione in Laudibus de Die Octava S. Laurentii: & ſimul occurrente etiam Dominica, ac translato in Feriam ſecundam ſequentem Initio Libri *Sapientiæ*, ad Laudes fiet priùs commemoratio de Die Octava S. Laurentii, deinde de Dominica, quia illa eſt commemoratio de duplici; & conſequenter locum habet ab ipſa Dominica, quæ celebratur ſub ritu ſemiduplici, ita ut in Laudibus fiat commemoratio de Die Octava S. Laurentii, deinde de Dominica occurrente. Ad Primam verò in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es, &c.* ratione Octavæ Aſſumptionis.

Miſſa tamen in hac Die Octava, in multis eſt propria, & in multis ſumitur ex Die. Eſt igitur propria in Introitu, in Orationibus, in Graduali, & Communione: ſed in Epiſtola, & Evangelio nihil differt à Feſto. Et certè Introitus iſte valdè quadrat tempori Martyrii, dicitur enim in eo; *Probaſti, Domine, cor meum, & viſitaſti nocte*: ſiquidem paſſus eſt nocturno tempore, & à Domino viſibiliter viſitatus, unde

& Ty-

& Tyranno dicebat : *Mea nox obſcurum non habet , ſed omnia in luce clareſcunt* . Secunda verò pars ejuſdem Introitus ſatis clarè demonſtrat qualitatem Martyrii per illa verba : *Igne me examinaſti* , unde Perſecutori ſuo ſic loquebatur : *Aſſatum eſt jam , verſa , & manduca* . In hac Miſſa in colore rubeo celebranda dicitur *Gloria in excelſis* , cum ſecunda Oratione de Aſſumptione , cujus Octavæ ratione dicitur etiam *Credo* , imò & Præfatio . Si verò alicubi occurrat aliqua Dies infra aliam Octavam , fit etiam commemoratio de ea , ſed poſt illam Aſſumptionis , etiamſi eſſet commemoratio de Dedicatione Eccleſiæ , quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis , & ideò ſi ex dicendis ſuo locò *in capite quinto ſequenti* , cedit Dedicatio Aſſumptioni in ejus Feſto , cedere ei etiam debet in Diebus infra Octavam : & ſicuti non impedita hac die , fieret de Octava Aſſumptionis , & non Dedicationis , ſic impedita , debet præcedere in commemoratione , quæ locum haberet in Officio de Octava : quapropter benè agitur Torcelli propè Venetias , ubi hodie in Miſſa dicitur tertia Oratio de ſecunda Die infra Octavam Dedicationis Cathedralis : & eodem ordine ſervato , ſic Sarzanæ , ubi hodie incidit Dies ſexta infra Octavam itidem Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ.

Quòd ſi hæc Dies Octava S. Laurentii venerit in Dominica , in Miſſa , de Die Octava fit priùs commemoratio Dominicæ , deinde Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis , & in fine legitur Evangelium ejuſdem Dominicæ , quæ cùm non ſit ſemper eadem , dicemus tamen , quòd ſemper erit una ex quinque ſequentibus , ſcilicèt , vel decima , vel undecima , vel duodecima , vel decima tertia , vel denique decima quarta poſt Pentecoſten . Ubi autem in hanc diem decimam ſeptimam Auguſti incidit alia Dies Octava , quæ ſit dignior , prout eſt illa Dedicationis Eccleſiæ (de qua exemplum vidimus

mus ſupra, cùm de Officio in hac Die Octava ex occurrentia celebrando locuti ſumus) debet fieri priùs commemoratio de Die Octava S. Laurentii, deinde Aſſumptionis: & ſi occurrat Dominica, adhuc commemoratio de dicta Die Octava S. Laurentii facienda eſt ante illam Dominicæ, quia eſt commemoratio de duplici, quod certè locum habet à Dominica, ut ex eadem ratione ſic diximus ſupra in Officio. Idem dicendum, ubi hac die occurrit Feſtum duplex primæ claſſis, ut revera incidit Venetiis Dedicatio in Eccleſia Parochiali & Abbatiali S. Gregorii Magni Papæ & Confeſſoris. Imò idem ſervandum, ubi hodie venit Feſtum duplex ſecundæ claſſis, prout eſſe poteſt apud Regulares alicujus Civitatis Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis forſan hac die alicubi occurrens: ſed in utroque caſu præfatæ occurrentiæ omittitur commemoratio Aſſumptionis.

Quia verò ſecundæ Veſperæ finem imponunt 1020
huic Diei Octavæ S. Laurentii, ideò ut aliquid de his loquamur, omnia dicuntur, ut in ſecundis Veſperis Feſti, cum commemoratione Aſſumptionis, & S. Agapiti Martyris: at ubi occurrit ſimul aliqua Dies infra Octavam ut Imolæ, & Comacli incidit Dies infra Octavam S. Caſſiani Patroni, fit etiam commemoratio de ea ante illam Feſti ſimplicis. Ubi autem venit hodie Dies Octava Dedicationis, ut ejus occur-
1021 rentiam vidimus ſupra, in ſecundis Veſperis de illa Die Octava fit priùs commemoratio de Die Octava S. Laurentii, deinde Aſſumptionis, & poſtmodum S. Agapiti, etiamſi occurrat vel ſubſequatur Dominica, cujus commemoratio fiet ante illam de Aſſumptione. Quòd ſi die ſequenti alicubi fit Officium de duplici minori, vel de alia Die Octava, Veſperæ ſunt à Capitulo de ſequenti, cum commemoratione præcedentis, & Aſſumptionis, ac Feſti ſimplicis. Si verò cras fiat de Feſto duplici ſecundæ claſſis, in primis ejus Veſperis fit quidem commemoratio de præ-

cedenti Die Octava S. Laurentii, ſed non de Aſſumptione, nec de S. Agapito, nec de Dominica præcedente. Si tamen alicubi occurrat die ſequenti Feſtum duplex primæ claſſis, in ejus primis Veſperis Dies Octava S. Laurentii ſuam amittit commemorationem, ſicuti Dies infra Octavam Aſſumptionis, & S. Agapitus, imò & Dominica, ſi præcedebat, non autem ſi ſubſequatur.

DE
OCTAVA COMMUNI
ASSUMPTIONIS
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.
CAPUT QUINTUM.

Quinta ex Communibus, ſeu non Privilegiatis Octavis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, eſt illa præclariſſima de Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis. Deberemus profectò, juxta noſtrum Inſtitutum, ſtatim de Sacris Ritibus diſſerere ad hanc Octavam ſpectantibus, ſed ſinat quæſo devotus Lector, ut priùs ſaltem pauca de Aſſumptione loquamur, nos etenim aliquid vel breviter dicere, Aſſumptio ipſa compellit. Et revera, dum agitur de magna Solemnitate, finem debemus perſcrutari Feſtivitatis tam grandis, & cauſam inquirere tam univerſalis lætitiæ: etenim quænam eſt pars Orbis Catholici, ubi ejus Tranſitus & Aſſumptionis celebritas celeberrimo cultu annua quaque die non repetatur? ut verbis utar Cæſaris Cardinalis Baronii de Hiſtoria Eccleſiaſtica optimè meriti, *Annal. tom.* 1. *Anno Chriſti* 43. *ſub numer.* 9. *pagin.* 443. *juxta noviſſ. edit. Venet. de Anno* 1737. Itaque illa eſt Beatiſſima Virgo, quæ aſſumpta eſt virtute Chriſti aſſumentis, ad differentiam evolationis ad Sanctos ſpectantis, quæ fit miniſterio Angelorum, ut habet Michael Timotheus *de Divin. Offic. tract.* 3. *quæſt.* 118. *pag. mihi* 91. 1021

Quæ igitur in Terris erat gratia plena, nunc in Cœlis eſt & plena gloria: majora enim beneficia contulit Deus uni Deiparæ in ejus Aſſumptione, quàm contulerit toti militanti Eccleſiæ: cùm præſertim Theologi doceant; collectivè in Deipara Virgine eſſe omnis gratiæ & gloriæ dona, quæ Angelis & hominibus ſingillatim diſtributa fuerunt; inquit Gavantus *tom. 2. ſect. 3. cap. 8. ſub numer. 7.* Et revera, omnis gratia in Mariam confluxit, per quam gratia ad omnes defluxit, ait S. Bonaventura *in Spec. cap. 3.* ideoque ex plenitudine gratiæ quam habuit in Terris, metitur plenitudinem gloriæ quam habet in Cœlis; S. Bernardus *ſerm. 1. de Aſſumpt.* ubi idcircò ſic loquitur: *Quantum enim gratia in Terris adepta eſt præ cæteris; tantum & in Cœlis obtinet gloria ſingularis.* Quia tamen ſe humiliter geſſit in Terris, nunc exaltatur in Cœlis: dum enim eligitur Mater Dei, ſe appellat Dei Ancillam, & profitetur; *quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ:* majorem ergo cum plenitudine gratiæ præmiſit humilitatem, ut inde gloriam conſequeretur majorem: ſiquidem gloriam præcedit humilitas, ut habetur *Proverb. 15.* 1022

Hinc eſt, quòd Beata Virgo Maria non ſolùm *exaltata eſt ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia regna*, ſed etiam *aſſumpta eſt ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum ſtellato ſedet ſolio.* Quapropter quod Pharao dixit Joſepho Geneſ. cap. 41. verſ. 40. *uno tantùm Regni ſolio te præcedam*; dixit Deus Mariæ in ejus Aſſumptione: ex quo Joannes Gerſonius: *Virgo ſola conſtituit hierarchiam ſub Deo trino & primo Hierarcha.* Sanctus autem Petrus Damianus mente Cœlum ingreſſus dum vivit in Terris, ex illa extaſi ad nos reverſus, certiores facit de exaltatione Mariæ, aſſeveranter dicens. *Virgo inter omnes Sanctorum & Angelorum Choros ſupereminens & evecta, ſingulorum & omnium titulos antecellit*, ſerm. de Aſſumpt. tom. 1. ſerm. 92. Sed & S. Bernardinus *orat. 1. de dormit. Virg.* viſa intuitu mentis ſede ſublimi Mariæ in Cœ- 1023

Cœlo, nihil aliud ſcit nobis referre, niſi quòd illa evectio ſuper omnes; nullam admittit comparationem; ideòque devotè admiratus, ſic ait: *Virgo ſuper omnes Ordines tam hominum quàm Angelorum ſimul ſumptorum improportionabiliter fuit prælata*. Hanc verò improportionem recognoſcens Damaſcenus, ſic tract. 1. de dormit. Virg. effatur: *Inter Matrem Dei, & Servos Dei infinitum eſt diſcrimen*.

Dum autem Joannes in ſua extaſi audivit ab Angelo: *Veni, & oſtendam tibi Sponſam Agni*; hæc oſtenſio intelligenda creditur de Maria Virgine: ipſa enim eſt Filia Dei Patris, Mater Dei Filii, Sponſa Spiritus Sancti: Nullum opus à Deo exivit: major Maria omnibus creaturis; & ſolùm Deo minor: retinet in Cœlo ordinem à ſe ipſa ſola. Quapropter in ejus Aſſumptione verificata fuit illa Iſaiæ Prophetia nempè; *Erit in noviſſimis diebus præparatus Mons Domus Domini in vertice montium*: quam Prophetiam eſſe de præcellentiſſimâ dignitate Beatæ Mariæ Virginis in actu ſuæ Aſſumptionis acquiſitâ, explicat S. Gregorius *in* 1. *Reg. cap.* 1. clarè & præclarè dicens: *Mons in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſuprà omnes Sanctos refulſit: An non Mons ſublimis Maria; quæ meritorum verticem ſuprà omnes Angelorum Choros uſque ad ſolium Deitatis erexit*? Hanc Mariæ exaltationem probaturus Albertus, ſic devotè argumentatur: *Omnes Chori Angelorum ſunt de aliqua Hierarchia: Sed Beata Virgo eſt exaltata ſuper Choros Angelorum: ergo ipſa eſt ſuper omnem Hierarchiam*, ut refert Caſſanæus *de glor. Mund. par.* 3. *conſider.* 4. *pag. mihi* 220. Unde quidam ſacer Poeta cernens oculis mentis Mariam ſuper novem Angelorum ordines aſſumptam, piè canit; ſic eam reverenter ſalutando. 1024

Ave major cunctis Angelis,
Imo cunctis & Archangelis:

Tu Virtutes , Dominatus ,
Poteſtates , Principatus
Vincis , atque Cherubinos ,
Thronos quoque , & Seraphinos .

Dum ergo ad tale ſeparatum ſolium aſſumpta conſpicitur , Cœlum & Terra eam venerantur 1025
ut Reginam , & quidem ut Reginam Sanctorum omnium . Hinc S. Idelphonſus *lib. de Virginit. B. M.* ejus dignitatem contemplatus , tenerrimo & devoto colloquio ſic eam affatur : *Tu es electa à Deo , aſſumpta à Deo , proxima Deo , adhærens Deo , conjuncta Deo .* Nunc etenim clarè ei dicere convenit : *Dominus tecum* : quia in Aſſumptione fuit cum Domino ſuo , id eſt , Filio , ut eſt Dominus , nam antea non viderat Dominum tam manifeſtè in ſe , ut conſiderat Michael Timotheus *de Divin. Offic. tract.* 10. *quæſt.* 8. *pag. mihi* 134. Credi itaque poteſt , quòd in occurſum exercitus Angelorum gaudentium , Dux fuerit Archangelus Gabriel , qui devotiſſima ſalutatione iterum ei dixerit : *Ave Maria , gratia plena* : deinde oſtendens ei ſolium Deitatis , proſecutus fuerit : *Dominus tecum* , prout eſt in ſua gloria .

Quia verò electa eſt Regina Cœlorum , data eſt ei illa Regni pars, de qua Joannes Gerſonius 1026
tract. 4. in Magnif. *Mariæ datum eſt dimidium Regni , id eſt , Regnum Miſericordiæ .* Hinc eſt , quòd S. Antoninus *par.* 4. *tit.* 15. *cap.* 2. conſiderans quaſi Aſtronomicè ſyſtema Cœli in Aſſumptione Mariæ, videt Solem quidem in Leone , ſed proximum ad ingrediendum ſignum Virginis: & ideò ait : *Sol Juſtitiæ Deus noſter in veteri Teſtamento erat ut Leo rugiens , peccatores terribiliter puniens : ſed in uterum Virginis intrans , factus eſt totus benignus , ſuavis , & humanus .* Dum ergo Chriſtus natus eſt nobis , Sol fuit in Virgine , ſed dum aſſumitur Virgo , Virgo ingreſſa eſt Solem in Leone :

& tunc

& tunc Chriſtus accepit à Matre Miſericordiam, & Mater accepit Miſericordiam à Filio: quapropter, dum eam devotè ſalutamus, eam recognoſcimus Reginam, cujus regnum eſt Miſericordia, dicimus enim cum Eccleſia Catholica: *Salve Regina, Mater Miſericordia*.

Ecce igitur Regina in veſtitu deaurato, circumdata varietate Virtutum, varietate Meritorum, varietate Comitatus. Ecce pulcherrima inter Mulieres: pulchra per naturam: pulchrior per gratiam: pulcherrima per gloriam, ut eam ſic conſpicit Ricardus à S. Victore *ſerm. 9. inſtit.* Ecce Mater Miſericordię, Peccatorum ſolatium, clementiſſima Dei Genitrix, ut ſic eam appellat Thomas à Kempis. Hinc S. Bonaventura ex eo, quòd eſt *Mater Miſericordia* infert quòd ſit *Advocata noſtra*, inquit enim: *Devotiſſimè ac ſecurè tuam ei cauſam committas, quia Mater eſt Miſericordia*. Sed & piè credendum, quòd Animę in Purgatorio exiſtentes expectarent Aſſumptionem Marię, ut dum gaudet de ejus exaltatione exercitus Angelorum, ipſę quoque à vinculis abſolutę, gaudia ęterna poſſiderent, nam ut ait Joannes Gerſonius ſuper Magnificat: *Piè creditur in Virginis Aſſumptione Purgatorium evacuatum, quia Carceres aperiuntur, dum Princeps coronatur*. Dies verè gratiarum, ſiquidem S. Anſelmus *de laudib. Virgin. cap.* 12. conſiderans, quòd Deus in Aſſumptione Mariæ dederit quidquid illa vult, ſic devotiſſima apoſtrophe Virginem reverenter affatur: *Te ſic Deus exaltavit, ut omnia ſecum poſſibilia eſſe donarit; Tu velis, & nequaquàm fieri non poterit*. 1027

Sed & Dies reverà gaudiorum, multo antea figuratus in Arca Teſtamenti, quam magno inſtituto comitatu tranſtulit David cum muſicis, choris, & feſtivo jubilo: nam quòd hoc eſſet umbra Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, multi affirmant Sancti Patres, inter quos clariſſimè S. Antoninus 4. *par. tit.* 15. *cap.* 45. ubi loquens de Beata Virgine, ſic habet: *Eſt Arca, quam* 1028

David, id eſt, Dominus Jeſus reduxit in Jeruſalem in Aſſumptione cum ingenti gaudio. Stetit hæc Arca viva in Domo Obededon, quæ eſt Eccleſia, ait Lauretus *verb. Obededon*, implendo eam admirabilibus exemplis, doctrinis, & benedictionibus, donec melior David Chriſtus Jeſus determinavit eam ducere & collocare in Cœleſti Sion: & ideò convocat ſuos Angelos, ut cum muſicis celebrent triumphum & exaltationem Mariæ. Imò & Cornelius à Lapide eandem habet expoſitionem, inquit enim: *Arca ſignificat Beatam Virginem, quam verus David, id eſt, Chriſtus, cum jubilo Angelorum omnium, & Sanctorum, in Cœlum deduxit & aſſumpſit*, ut videre eſt apud ipſum *lib.* 2. *Reg. cap.* 6. Gaudeamus itaque omnes in Domino, Diem Feſtum celebrantes, qui licèt ſit nobis anniverſarius, Angelis tamen eſt perpetuus, dicente S. Petro Damiano: *Hæc eſt illa Dies, quæ Cœlorum officinas ſubliniori gaudio cumulavit: annua Mundo, Angelis continua*.

Quo tamen anno aſſumpta fuerit Maria in Cœlum, dum multæ adſunt opiniones, nihil certi retinemus. Cæſar Cardinalis Baronius ſic revera tradit *Annal. tom.* 1. *anno Chriſti* 48. *ſub num.* 4. *pag.* 440. *juxta noviſſ. edit. Venet. de Anno* 1737. 1029
„ Hoc Anno à Chriſto nato quadrageſimo octavo, Olympiade ducenteſima ſexta, Anno ſecundo, ſanctiſſimam Dei Genitricem Mariam „ aſſumptam eſſe in Cœlum Euſebius habet in „ Chronico his verbis: *Maria Virgo Chriſti Mater ad Filium in Cœlum aſſumitur, ut quidam fuiſſe ſibi revelatum ſcribunt*. Non poſſum non vehementer mirari, tantæ rei hiſtoriam, vel „ ſaltem tempus migrationis ejus eſſe à Scriptoribus prætermiſſum, ut opus fuerit, non quòd „ Scriptorum monumentis teſtatum eſſet, ſed „ horum penuria, quid huic vel illi de ea re „ fuerit revelatum, inveſtigare; & ut facit Euſebius, hiſtoricam veritatem incertorum hominum revelationi committere. Tolerandum

„ ta-

„ tamen eſſet, ſi omnes, quibus de ea re divi-
„ nitùs facta dicitur demonſtratio, æquè in ean-
„ dem ſententiam conſpirarent, vel ſi unius,
„ aut ſaltem alterius anni ſpatio inter ſe invi-
„ cem diſſiderent: at monſtroſa quædam inter
„ eos diſcrepantia reperitur. *Hucuſque Baronius*:
& iterum *loco citato*, *ſub numer.* 24. *pag.* 445.
proſequitur, ad rem dicens: „ Hactenùs de Aſ-
„ ſumptione Dei Genitricis Mariæ: quam qui-
„ dem non ſic recenſuimus hoc anno quadrage-
„ ſimo octavo, quaſi affirmare velimus, hoc ipſo
„ anno eſſe defunctam, & in Cœlum aſſum-
„ ptam; ſed quòd hoc anno ponatur ab Euſe-
„ bio, nobiſque quonam anno certo deceſſerit,
„ ſit inexploratum.

Quoad verò aſſertionem de Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis, non poſſumus non proſequi cum eodem Cardinale Baronio, qui *dicto tom.* 1. *Annal. & eod. anno* 48. *ſub numer.* 24. *pag.* 449. ſic revera habet & tenet: „ Sicut tam ex Græcorum, quàm Latinorum omnium (perpaucis exceptis, qui ex quadam Epiſtola decepti ſunt) aſſertione, ita etiam ex Romanæ Eccleſiæ uſu recepto, firmiter conſtanterque aſſerimus ac profitemur, ipſam ſanctiſſimam Dei Genitricem Mariam unà cum ſacratiſſimo illo corpore, quo impartita eſt Deo carnem, in Cœlum eſſe receptam. Quod quidem haud adeò mirum vel novum videri debet: cùm ſi cætera in illam collata penſentur beneficia, hoc levius cenſendum videatur, quod & aliis plurimis conſtat fuiſſe divina liberalitate conceſſum. Quòd ſi Chriſto reſurgente ex mortuis, *multa* ſubinde (ut ait Evangeliſta Matthæus 17.) *Sanctorum corpora ſurrexerunt, & introierunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis*, quos, penetrans ille Cœlos, duxit ſecum in altum, *captivam* (ut eſt apud Paulum, *Epheſ.* 4.) *ducens captivitatem*: quid, inquam, tam mirum, tam novum, ut Matri conceſſum ſit, quod compluribus Servis conſtat fuiſſe tributum? 1030

„ Sunt & aliæ innumeræ rationes, imò & ſanctorum oracula Prophetarum, quæ non id ſuadeant ſolùm, ſed & affirmare compellant: quæ cùm ab aliis pluribus ſint recenſita, in illis diutiùs non immorabimur.

Tu ergo, Beatiſſima Virgo, ex ſolio gloriæ tuæ, in quo ex die tuæ Aſſumptionis in Cœlum, ſedes diſtinctè tanquàm Regina, reſpice quæſo ſuper Servum tuum, tuo patrocinio magnoperè indigentem, in re præſertim ad majorem tuam gloriam pertinente. Tu, inquam, quæ inter ſpecioſam titulorum tuorum varietatem, illum etiam obtines, quo vocaris *Sedes Sapientiæ*, da mihi virtutem, ut Solemnitatem Aſſumptionis tuæ, unà cum tota ejus Octava, ita valeam tuo beneficio inchoare, ut, te non deſerente, ritè & rectè poſſim proficuè perficere. Tu denique, quæ *eruditis interes cogitationibus*, fac benignè ita me benè cogitare, ut de Sacris Ritibus ad eandem tuam Octavam ſpectantibus vera & digna ſapiam, vera & digna loquar, & quæcunque dicturus ſum, in omnibus & per omnia juxta mentem Eccleſiæ dicam: quod ut concedere digneris, ſuppliciter deprecor, & humiliter oro. 1031

§. I.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

FEſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis habet præcedentem Vigiliam, & cum Jejunio certè antiquiſſimo: ſiquidem Nicolaus Papa ſcribens ad Conſulta Bulgarorum *cap.* 4. dum commemorat Jejunia antiquitùs ſervari ſolita à Sancta Romana Eccleſia, recenſet inter ea Jejunium celebrari conſuetum ante Solemnitatem Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ut verbis utar Cæſaris Cardinalis Baronii *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub die* 15. *Auguſti*, *litt. a.* Licèt autem ex generali Conſuetudine vim præcepti & legis habente, aliqua celebrentur Jejunia in Pervigiliis quorundam Feſtorum, præſens tamen Jejunium in hac Vigilia Aſſumptionis, Jure profectò aſſervatur; quia de facto in Jure præcipitur, *cap. Ex parte*, *& cap. Conſilium*, *de obſerv. Jejun.* Ipſi quoque Græci, qui Vigilias appellant Profeſta, hoc ipſum ſervant Jejunium. Quòd ſi non eſt tutum celebrandas ſuſcipere Feſtivitates ſacras, niſi priùs præmiſſa abſtinentiæ purificatione, ut devotè ait S. Bernardus *ſerm. de S. Andrea*, multò minus ſuſcipienda eſt Solemnitas hæc principalis de Beata Virgine aſſumpta, abſque prævia Jejunii purificantis celebratione. 1032

Hæc tamen Vigilia nunquam celebrari poteſt cum Officio feriali, juxta morem aliarum Vigiliarum: ſiquidem ſemper eſt impedita ab Officio 1033

ſemiduplici de Die quinta infra Octavam S. Laurentii Levitæ & Martyris. Itaque hodie fit Officium de eadem Octava, quod ſumitur ex ejus Feſto, exceptis Lectionibus, quæ in primo Nocturno dicuntur de Scriptura occurrente, ſed in ſecundo & in tertio ſunt propriæ hujus Diei quintæ infra Octavam. Nona verò Lectio dicitur de Vigilia, ſcilicèt, de Homilia S. Auguſtini in Evangelium Lucæ, *Loquente Jeſu ad Turbas*. Ad Laudes autem, quæ ſunt de dicta Octava S. Laurentii, fit commemoratio ejuſdem Vigiliæ per Antiphonam, Verſiculum, & Reſponſorium de Feria occurrente, ſed Oratio eſt propria, nempè, *Deus, qui virginalem aulam*. Circa tamen hanc Vigiliæ Orationem, F. Angelus Rocca Camers, Sacrarii Apoſtolici dum viveret Præfectus, Vir certè eruditiſſimus, inter Scholia in Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ *pagin.* 608. tradit quid ſpeciale de modo legendi dictam Orationem Vigiliæ: Credit enim, quòd ſit legenda hoc modo, videlicèt: *Deus, qui, &c. da, quæſumus, ut ſua nos defenſione munitos, jucundos faciat* (Beata ſcilicèt Virgo) *ſuæ intereſſe Feſtivitati*: & ut magis intelligatur, ſtatim ſubjungit: *faciat* igitur, non *facias*; quod tamen remittit meliori judicio. Sed ego, ut verum fatear, arbitror nos ſequi debere pervetuſtum legendi modum, ea motus ratione, quia Oratio eſt directa ad Jeſum Chriſtum, quem Eccleſia præcatur, ut nos munitos defenſione Beatæ Virginis, ipſe faciat jucundos intereſſe Feſtivitati ejuſdem Beatæ Virginis: Et quia Eccleſia in dicta Oratione alloquitur Chriſtum, dicit idcircò *facias*, & conſequenter (ut reor) non *faciat*.

Ad dictas verò Laudes de Die quinta infra Octavam S. Laurentii, poſt Orationem Vigiliæ fit 1034
etiam commemoratio Feſti ſimplicis eo die occurrentis, nempè, S. Euſebii Confeſſoris. Ad Primam autem in Lectione Martyrologica annunciatur primo loco, *Aſſumptio Sanctiſſimæ Dei Genitri-*

tricis Virginis Mariæ. Ubi tamen die decima quinta Auguſti occurrit aliqua Dies Octava, veluti Dedicationis Eccleſiæ, aut alicujus Sancti Patroni, vel Titularis, illa erit in Martyrologio pronuncianda ſecundo loco, quia ſemper annunciandum eſt primo loco Feſtum illud, de quo agitur eo die principaliter Officium, ut in Eccleſia SS. Mm. Cyriaci & Sociorum, ubi cras occurrit Dies Octava illorum Titularium. Diverſimodè autem opinatur Guyetus *in Heortolog. lib. 2. ſect. 4. cap. 14. quæſt. 4. verſ. ſecundò, pag. mihi* 126. ubi ſibi videtur pronunciandam prius Diem Octavam, deinde Feſtum cæteroquin primariò celebrandum: Sed hoc non mihi ſatis probatur, nam tanta Aſſumptionis Solemnitas, quæ etiam Regulis Martyrologicis innititur, non debet de facili ſuum cedere locum, quem ſibi omni ratione acquiſivit. Hinc eſt, quòd ſi alicubi in Feſtum Aſſumptionis incidat ipſum Feſtum Dedicationis, illud erit in Martyrologio legendum ſecundo loco, quia, ut infra videbimus, Dedicatio cedit Aſſumptioni, nec erit publicanda de eo die, quo celebrabitur tranſlata, ex Regulis ipſius Martyrologii.

Quotieſcunque verò in hac Vigilia venerit Dominica, Officium erit de ea, ut in Pſalterio. 1035
In primo & ſecundo Nocturno dicuntur Lectiones de Dominica Menſuali, quæ ſemper recurret tertia Auguſti: ſed in tertio Nocturno ſumuntur de Dominica occurrente poſt Pentecoſten, & erit una ex quinque ſequentibus, nempè, nona, decima, undecima, duodecima, vel decima tertia, & non alia. Quia tamen in Dominica tertia Auguſti *Incipit Liber Sapientiæ*, ideo ubi hodie occurrit Feſtum duplex cum propriis Lectionibus primi Nocturni, & in illud incidat Dominica, ut interdum contingit alicubi, *Initium* illius Dominicæ ponetur in Feria tertia, quia ſecunda eſt impedita, ut clarè patet. *Ad Benedictus* autem in Laudibus Antiphona ſumenda eſt ex dicta Dominica poſt Pentecoſten, ſicu-

ti

ti & Oratio: deinde fiet commemoratio de quinta Die infra Octavam S. Laurentii, ac S. Euſebii Confeſſoris. Color verò hujus Dominicæ uſque ad Veſperas excluſivè, erit rubeus de Octava, cujus ratione Prima ſine Precibus, ſed cum Pſalmo *Confitemini*, & Symbolo *Quicunque*, ſuppoſito quòd Officium ſit de Dominica. In hujuſmodi autem occurrentia Dominicæ, Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis transfertur in Sabbatum immediatè præcedens, nec per hoc anticipatur ejus annunciatio in Martyrologio, juxta iſtius legem.

Anticipata tamen Vigilia, dicitur nihilominus ad Matutinum ejus nona Lectio in Officio de quarta Die infra Octavam S. Laurentii, & fit commemoratio in Laudibus, nec non SS. Mm. Hippolyti & Caſſiani: quidquid ſit de uſu ſpeciali Eccleſiæ Pariſienſis retinendi hanc Vigiliam Aſſumptionis etiam in Dominica, eo quòd ritum habeat ibi feſtivum, ut ait Carolus Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 12. *quæſt.* 1. *pagin.* 267. *juxta edit. Venet. de Anno* 1729. *poſt Pariſien. de Anno* 1657. etenim ſtare debemus legi præcipienti in caſu Dominicæ translationem Vigiliæ in dictum Sabbatum, ut videre eſt in Rubrica generali Breviarii Romani *de Vigil. tit.* 6. *ſub numer.* 2. Anticipata verò Vigilia in Sabbato ratione Dominicæ, ſi eo die decimatertia Auguſti fiat alicubi de duplici primæ claſſis, ut Immolæ fit de S. Caſſiano Patrono, non transfertur iterum in Feriam ſextam, ſed celebrato Jejunio, omittitur ex integro Vigilia, ut infra clariùs patebit. 1036

In hac tamen Vigilia Aſſumptionis fieri poteſt de omni & quocunque Feſto novem Lectionum, ſive illud ſit ſemiduplex occurrens, ſive duplex etiam translatum, tam ſi Vigilia celebretur die decimaquarta Auguſti in ſede propriꝗ occurrentiꝗ, quàm ſi fiat de ea anticipatè in Sabbato ratione Dominicꝗ, in loco ſcilicèt translationis aſſignato à Rubrica ſuperiùs citata. Itaque ſi fiat 1037

de

de Feſto ſemiduplici, vel duplici minori, aut majori, vel etiam de aliqua Die infra Octavam digniorem, ut alicubi poteſt eſse Dies infra Octavam Dedicationis, vel S. Claræ in Eccleſia propria ratione ritus primę claſſis, Officium profectò erit de illo Feſto, vel de illa Octava digniori aut altioris ritus, ſed ad Matutinum dicetur nona Lectio de Homilia Vigilię, & ad Laudes fiet quidem ejus commemoratio, ſed poſt illam de quinta vel reſpectivè quarta Die infra Octavam S. Laurentii, & ultimo loco de Feſto ſimplici, ſcilicet, vel S. Euſebii Confeſſoris, vel SS. Mm. Hippolyti & Caſſiani, juxta celebrationem Vigilię occurrentis vel translatę.

1038 At ſi in dicta Vigilia Aſsumptionis occurrente vel translata fiat alicubi de Feſto duplici ſecundę claſſis, fient quidem omnia, ut ſupra dictum eſt, ſed omittenda erit in Laudibus commemoratio S. Laurentii, eo quòd in duplicibus ſecundę claſſis non fit commemoratio de Octavis, vigore Rubricę *de Octavis*, *tit. 7. ſub numer. 3.* Si verò Feſtum illud in Vigilia celebrandum, fuerit duplex primę claſſis, tunc & eo caſu non anticipatur Vigilia, ſed ſervato Jejunio, omninò omittitur, ita ut nihil fiat de ea, nihil de Octava S. Laurentii, nihil de Feſto ſimplici. Unum tamen hoc loco reſtat dicendum, quod aliquibus videtur ſubtilitas, mihi autem clara veritas, & eſt, quòd ſi die decimaquarta Auguſti in propria occurrentia Vigilię agendum ſit de Feſto duplici primę claſſis occurrente, eo anno, quo ſimul incidit Dominica, Vigilia erit anticipanda in Sabbato precedenti, non quidem ratione duplicis primę claſſis occurrentis, ſed ratione Dominicę tunc incidentis: quia in tali ſimultanea occurrentia, quod negat una Rubrica, altera concedit: & ideò licèt duplex primę claſſis faciat deperdere Vigiliam, Dominica tamen tunc intrins facit eam anticipare: prout utrumque habetur in Rubrica Generali Breviarii *de Vigiliis*, *tit. 6. ſub num. 2.*

Quid

Quid verò agendum, ſi alicubi ratione plurium Feſtorum occurrentium transferri forſan contingat in hanc Vigiliam Aſſumptionis Feſtum S. Mariæ ad Nives? Caſus non eſt ita metaphyſicus, ut difficilè dari poſſit; nam die quinta Auguſti occurrere poteſt Dies Octava Dedicationis vel S. Marthæ Virginis: & in hujuſmodi occurrentia transferendum eſſe dictum Feſtum ad Nives licèt duplex majus, pro ipſa Die Octava S. Marthæ, docet Octavarium Romanum. Ut autem exemplo res clarior fiat, caſum ſupponimus Veronæ, in aliqua Eccleſia, in qua occurrat die quinta Auguſti Dies Octava vel Dedicationis vel S. Marthæ; cum incidentia Dominicæ in diem decimamtertiam ejuſdem Auguſti: ſic enim ibi ordinatur Officium uſque ad Vigiliam Aſſumptionis incluſivè, nempè: = *Die 5. Aug. Sabb. Oct. Dedic. vel S. Marthæ, dupl. = Die 6. Domin. Transfigur. D. N. J. C. dup. maj. = Die 7. Fer. 2. S. Cajetani Confeſſ. dupl. = Die 8. Fer. 3. SS. Mm. Cyriaci & Socior. ſemidupl. = Die 9. Fer. 4. SS. Firmi & Ruſtici Mm. dupl. = Die 10. Fer. 5. S. Laurentii Levitæ & Mart. dup. 2. claſſ. = Die 11. Fer. 6. S. Agapii Epiſc. Veronen. Confeſſ. dupl. = Die 12. Sabb. S. Claræ Virgin. dupl. = Die 13. Domin. de ea; ſemidupl. = Die 14. Fer. 2. Vigil. Aſſumpt. cum Jejun. Feſt. S. Mariæ ad Nives, dupl. maj. fuit 5. hujus.* 1039

Data igitur translatione Feſti S. Mariæ ad Nives in hanc Vigiliam Aſſumptionis, quomodo regulandum eo die Officium? Rubrica de Feſto Expectationis B. M. V. quod non nullis in Locis occurrit die decima octava Decembris, videtur dare normam noſtro caſui; ait enim: *Si hoc Feſtum venerit in Feria quarta Quatuor Temporum Adventus, loco ſequentis Homiliæ leguntur tres Lectiones de Homilia ejuſdem Feriæ quartæ*: deinde ad Laudes ponitur facienda ipſius Feriæ commemoratio. In caſu tamen noſtro neutrum videtur fieri poſſe; in quo quidem caſu Evangelium Feſti ad Nives eſt idem omninò cum illo Vigiliæ: 1040

nam

nam Homilia de Vigilia non habetur integra in Breviario, ut poſſint fieri de ea tres Lectiones neceſſariò dicendæ in tertio Nocturno S. Mariæ ad Nives: ſed neque reperitur in totò Octavario Romano inter tot Homilias de omnibus Octavis Beatæ Virginis: idcircò dum non poſſumus ſumere ad noſtrum libitum aliam Homiliam pro nona Lectione Vigiliæ, dicerem Homiliam tantummodò Feſti, omiſſa in omnibus reliquis Vigilia, ut fit in duplicibus primæ claſſis: nam & ejus commemoratio cùm tendat in idem, mihi non videtur facienda, juxta illud Rubriciſtarum Axioma: *De eodèm non fit bis in eodem Officio*: licèt enim Oratio Vigiliæ ſit in verbis diverſa, diverſitas tamen verborum non diverſificat objectum: ſiquidem utraque Oratio, Feſti ſcilicèt & Vigiliæ, reſpicit Beatam Virginem: & hoc ſæpè declaravit Sacra Rituum Congregatio, præſertim, quòd in Feſto SS. Nominis Beatæ Virginis Mariæ non fiat commemoratio de ejuſdem Nativitate, & in ſecundis Veſperis de Nativitate cadentibus in Sabbato omittatur commemoratio de prædicto SS. Nomine, licèt Orationes ſint diverſæ.

§. II.

§. II.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam & Veſperas in Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

SIve die decima quarta Auguſti in propria 1041
occurrentia Vigiliæ Aſsumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſive die decima tertia ejuſdem Menſis in anticipata dictæ Vigiliæ celebratione ob occurrentem Dominicam, actum ſit ex integro de Die infra Octavam S. Laurentii, vel alicubi de alia Die infra Octavam digniorem, aut altioris ritus (ut Sarzanæ de ſecunda vel reſpectivè tertia Die infra Octavam Dedicationis Cathedralis, aut apud Minores S. Franciſci Conventuales & Obſervantes ac Reformatos itidem de ſecunda vel tertia Die infra Octavam S. Claræ) Miſsa tamen ſemper dicitur de Vigilia, ſic præſcribente Rubrica Generali Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 2. Dicta autem Rubrica intelligenda eſt non ſolùm de Miſſa ſolemni ſeu Conventuali, ſed etiam de omnibus & ſingulis Miſſis privatis, quia juxta terminos Rubriciſtarum hæc Miſſa nuncupatur de Die, licèt diſcordet ab Officio: ita Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *libr.* 3. *capitul.* 29. *ſub numer.* 13. *pagin. mihi* 213. ita etiam Quartus in Commentariis ad Rubricas Miſſalis *par.* 1. *tit.* 18. *Dub.* 3. *pag.* 116. Rationem verò dicendi in hujuſmodi caſibus Miſſas omnes de Vigilia, tradit Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *titul.* 3. *ſub num.* 2. *litt. l.* quia ſcilicèt his Miſſis propriis convenit, ut cedat ea Miſſa, quæ

infra Octavam ſæpè repetitur : Populus etiam, qui ad Miſſam, & non ad Officium convenire ſolet, cum Miſſa de Vigilia ad pœnitentiam movetur & animatur.

In hac Miſſa de Vigilia Aſſumptionis Beatæ 1042
Mariæ Virginis color adhibetur violaceus, & ideò in ea non dicitur *Gloria in excelſis*. Quoad verò Orationes, ſecunda eſt de S. Laurentio, & tertia de Feſto ſimplici occurrente, ſcilicèt de S. Euſebio Confeſſore, ſi Vigilia celebretur propria die decimaquarta Auguſti : vel de SS. Mm. Hippolyto & Caſſiano, ſi anticipetur in Sabbato ratione Dominicæ. Ubi autem occurrit alias Dies infra Octavam, in Miſsa de Vigilia fit etiam commemoratio de ea, ante vel poſt commemorationem S. Laurentii, juxta altiorem vel æqualem ritum illius Octavæ particularis : ut ſi Feſtum habens Octavam ſit duplex primæ claſſis, prout eſt Dedicatio Eccleſiæ Sarzanenſis, quæ ibi occurrit die octava Auguſti, in Miſſa Vigiliæ fit commemoratio de ea ante illam S. Laurentii ; ſi verò Feſtum habens Octavam ſit duplex ſecundæ claſſis, prout eſt Feſtum S. Claræ apud Minores S. Franciſci Capuccinos, in Miſsa Vigiliæ fit priùs commemoratio de S. Laurentio, deinde de S. Clara, & quarto loco de Feſto ſimplici. Præfatio verò eſt communis, quam tamen habent propriam Ambroſiani ; ut patet ex eorum Miſsali, in quo Mediolani impreſſo ſic hodie legitur, videlicet : *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum : Et in hujus diei veneranda Feſtivitate gaudere : in qua ſancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem. Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum. Quem unà tecum laudant Angeli, &c.*

Hæc tamen Miſſa de Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, neceſſariò celebranda ſolemniter & privatim, ſi Officium ſit de Octava, 1043

non eſt ita rigoroſè intelligenda, ut excluſæ per eam remaneant Votivę privatę & pro Defunctis. Verum quidem eſt, quòd ſi quis hodie velit dicere Miſſam de Beata Maria, debet dicere de hac Vigilia, ut uno ore tenent Auctores: nec ratione Sabbati quandoque incidentis dici debet *Gloria in excelſis*, quia ſive dicatur ut Miſſa Vigiliæ, & ideò de Die, ſive ut Miſſa de Beata Maria; color ſemper adhibendus eſt violaceus, cum quo nunquam ſimul ſtat *Gloria in excelſis*. Sed neque dicendus eſt hic Hymnus Angelicus in Miſſa, quam aliquis optet celebrare de Octava S. Laurentii, quia cùm Miſſa de Die ſit hodie Miſſa Vigiliæ, Miſſa S. Laurentii fit ſtatim Votiva, & conſequenter more Votivarum celebranda, licèt Officium ſit de Octava, cum ſecunda quidem Oratione de Vigilia, & tertia de Feſto ſimplici; ſed in fine legitur Evangelium S. Joannis, non verò ejuſdem Vigiliæ. Non ſolùm autem non dicitur Hymnus Angelicus in dicta Miſſa de Octava, ſed neque Symbolum in Eccléſia S. Laurentio dicata, imò in nulla ex Eccleſiis in aliqua Urbe exiſtentibus, in qua S. Laurentius eſt Titularis Eccleſiæ Cathedralis, prout eſt Peruſiæ ex eadem ratione, quia ſcilicèt illa Miſſa de Octava cenſenda eſt Votiva: ſed in Votivis non dicitur *Credo*: ergo neque in iſta, ut citatis Auctoribus tenet doctiſſimus Merati, in Arte peritus, in novis additionibus ad Gavantum *tom. 1. par. 1. tit. 4. pag. 123. juxta primam edit. Roman. de Anno* 1736.

Quia verò in hac eadem Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis fieri poſt, ut ſupra vidimus in Officio, de Feſto duplici occurrente & etiam tranſlato, imò & de ſemiduplici ſi tamen occurrat, ideò in hujuſmodi caſibus Miſſæ privatæ dicuntur de Feſto, cum ſecunda Oratione S. Laurentii, tertia autem de Vigilia, & quarta de Simplici, & in fine legitur Evangelium ejuſdem Vigiliæ. Quòd ſi Feſtum fuerit duplex ſecundæ claſſis, in Miſſis privatis de eo, omiſ- 1044

ſa

ſa commemoratione S. Laurentii, dicitur ſecunda Oratio Vigiliæ, & tertia Simplicis occurrentis, & ſemper cum Evangelio Vigiliæ in fine. In Cathedralibus tamen & Collegiatis Eccleſiis cantantur duæ Miſſæ, vigore Rubricæ Generalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub num.* 2. una ſcilicèt de Feſto poſt Tertiam in colore Feſtivitati congruente, cum *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione S. Laurentii, & tertia de Simplici, niſi Feſtum ſit duplex ſecundæ claſſis, quia in ejus Miſſa ſolemni nihil fit de S. Laurentio, & itidem de Simplici nihil; ſed dicitur etiam *Credo*, ſi illud a Feſto requiritur: Altera verò Miſſa ſolemnis dicitur de Vigilia poſt Nonam in colore violaceo, ſine *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione de Spiritu Sancto, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, ac cum Præfatione communi, licèt occurreret Feſtum, quòd propriam haberet Præfationem, vel Dies Octava cum Præfatione itidem propria, ut quotieſcunque ratione Dominicæ anticipatur Vigilia: die decima tertia Auguſti Præfatio eſt propria Abulæ in Hiſpania, & in tota Congregatione Canonicorum Regularium SS. Salvatoris, ob Diem Octavam de Transfiguratione Domini. In fine denique utriuſque Miſſæ cantatæ legitur Evangelium S. Joannis.

Dictæ autem Cathedrales & Collegiatæ Eccleſiæ eximuntur ab onere cantandi in hac Vigilia duas Miſſas; ſi Feſtum illud in ea celebrandum, fuerit duplex primæ claſſis; quia cùm in hujuſmodi duplici nihil agendum ſit de Vigilia, juxta Rubricam Generalem Miſſalis *de Fer. & Vigil. tit.* 3: *ſub numer. 2. in fine*: omiſſa idcircò Vigilia, omittitur conſequenter ejus Miſſa: & tunc in unica Miſſa ſolemni de dicto Feſto duplici primæ claſſis, nihil fit de S. Laurentio, nihilque de Simplici, ſicuti & in Miſſis privatis, ut de utriuſque commemorationis omiſſione clarè loquitur alia Rubrica Miſſalis *de Commemor. titul.* 7. *ſub numer.* 1. Sed & alter caſus poteſt alicubi dari non cantandi in hac Vigilia duas Miſſas; li- 1045

ceet fiat eo die de Feſto, quod non ſit duplex primæ claſſis: Quotieſcunque enim in aliqua Civitate Feſtum S. Mariæ ad Nives transferri contingat in diem decimam quartam Auguſti, quæ eſt ſedes propria hujus Vigiliæ, vel in diem prę cedentem ſeu Sabbatum ratione Dominicæ, quę eſt dies aſſignata à Rubrica pro ejuſdem Vigiliæ anticipatione, unum Evangelium eſt omninò idem cum alio: ſicuti autem non eſt legendum in fine Miſsarum privatarum propter identitatem, ſic nec cantandæ ſunt duæ Miſsæ; ſed unica tantùm de Feſto, in qua nec eſt facienda commemoratio Vigiliæ, cùm ejus Oratio ſit itidem de Beata Maria: unde Vigilia videtur omnino omittenda, ſalvo tamen ſemper meliori judicio.

Notandum eſt hoc loco, quòd ſi alicubi in hac Vigilia Aſsumptionis occurrat Dies Octava, ea non accipitur ut Dies infra Octavam, ita ut dicenda ſit unica Miſsa de Vigilia, tanquàm Miſsa de Die, ſed cantandę ſunt duę Miſsę, ſicut in Feſtis: & hoc clarè patet ex Rubrica Miſsalis *de Fer. & Vigil. titul.* 5. *ſub numer.* 1. ubi inſeritur Octava (hoc eſt, Dies Octava) inter Feſta, in quibus duę Miſsę ſunt cantandę: unde Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *titul.* 3. *ſub numer.* 1. *litt. i* ait, quòd diverſa eſt ratio inter Feſtum, Diem infra Octavam, & Diem Octavam: Itaque ſi diverſa eſt ratio: ergo diverſo jure in eis eſt procedendum: ergo in Die Octava cantandę duę Miſsę. Hinc Paulus Maria Quarti *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *titul.* 7. *dub.* 3. *in fine, pag.* 69. tradit modum dicendi duas Miſsas Conventuales in Die Octava S. Cajetani Confeſsoris, ſuę Religionis Fundatoris, occurrente in hac Vigilia Aſsumptionis Beatę Marię Virginis: ſic enim ait: *In Miſſa Diei Octava Beati Patris Noſtri Cajetani fiat commemoratio Octava S. Laurentii, & S. Euſebii, abſque commemoratione Vigilia: & in Miſſa Vigilia, ſecunda Oratio dicatur de Spiritu Sancto, & tertia Eccleſia, abſque alia commemoratione*; Hęc ille. Sunt tamen ambę Conventuales & pręce- 1046

privæ:

ptivę : & alterutrius omiſſio facit amittere Diſtributiones : & ideò S. Carolus cum ſuis Provincialibus Epiſcopis in hęc verba decrevit: *Quibus diebus ex Miſsalis Romani Rubricarum præſcripto in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis duas Miſsas Conventuales celebrari oportet , eæ ambæ cantentur : Quòd ſi Capitulum præſtare omiſerit vel neglexerit, non ſolùm illius diei , in quo huic muneri defuerit , verùm etiam alterius diei , Diſtributionibus mulctetur* , ut habetur in Concilio Quarto Mediolanenſi Romę approbato.

Cùm autem Rubrica de dictis duabus Miſſis 1647
cantandis ſit præceptiva , eędem duę Miſsę Conventuales cantandæ ſunt ſub mortali , quando ratione Feſti & Vigilię occurrunt ſolemniter celebrari . Quando verò omittitur Miſsa Conventualis , omnes illi peccant , qui ſunt cauſa , ut non celebretur : quia quando omiſſio eſt peccaminoſa , qui eſt cauſa omiſſionis ; eſt cauſa peccati , ut pluribus relatis tenet Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom. 2. quæſt.* 894. *ſub numer.* 3. & 4. & iterum ibidem *quæſt.* 898. *ſub numer.* 1. *& ſeqq.* Sequitur ex dictis , quòd hęc Miſsa Vigilię cantari debet , Choro præſente , quia cùm ſit Conventualis , conſequens eſt ut cantetur : & ideò non ſufficit , ut una cantata de Feſto , altera dicatur legendo & privatim , Choro abſente , ut benè ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 3. *titul.* 11. *ſub numer.* 8. ubi optimè conciliat duas Rubricas Miſſalis , ſcilicèt primam *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 2. in qua dicitur , *cantantur duæ Miſsæ* : & alteram *de Commemor. titul.* 7. *ſub numer.* 2. in qua habetur , *dicuntur duæ Miſsæ* : ita ut hęc ſecunda Rubrica perinde habeatur , ac ſi exprimeret , *dicuntur cantando* : quod clariùs patebit ex iis, quę immediatè ſequuntur . Quapropter iſtæ duæ Miſsę dicuntur poſt Horam Tertiam & Nonam, Choro præſente : ſed iſtę duę Horę cantantur : ergo etiam duę Miſsæ , ut habeant correſpondentiam cum Horis cantatis . Nec deeſt altera major ratio : nam cùm hæc Miſsa Vigiliæ ex

 ſupe-

ſuperiùs dictis ſit Conventualis , conſequenter ſit publica : ſed nulla Miſſa eſt publica , niſi ſit cum cantu Sacerdotis & Chori : ergo non ſupplet privata . Sequitur ex dictis, quòd cùm duæ Miſsæ ſint cantandæ , & Rubrica *de Commemor. titul. 7. ſub numer. 2.* dicat *ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant*, certè duo vel tres, qui cæteroquin conſtituunt Congregationem reſpectivè vel Capitulum , juxta Gloſſam *in capitul. nullus, de elect.* ad effectum tamen cantandi Miſſam non ſufficiunt : ſub nomine enim duorum vel trium non venit illa Sacerdotum pluralitas , quam Rubrica requirit : nam ſi unus ex illo parvo numero amittat accidentaliter vocem , ut non raro contingit , alter vel etiam duo non poſſunt ſufficienter ſupplere : ergo in Choro debet adeſſe numerus Sacerdotum conveniens ad Miſſam cum decore cantandam.

1043 Denique non putamus abs re fore , quòd iſtæ duæ Miſſæ cantandæ ſunt etiam in Eccleſiis Regularibus , prout certè pluribus in Locis laudabiliter ſervatum vidi: ſiquidem Collegiatæ nuncupantur etiam Conventuales *capitul. cum terra, de elect.* & ſæpè ſic uſurpant Canoniſtæ : ex quo ſequitur , quòd ſicuti alias Conventuales de Collegiatis , ſic & de Regularibus Collegiatæ æquè poſſunt intelligi , ait & benè Guyetus *in Heortolog. libr. 3. ſect. 1. capitul. 30. quæſt. 3. pag. 240.* ubi idcircò refutatis rationibus negativæ opinionis , exiſtimat , Regulares Eccleſias tàm Monachorum S. Benedicti , quàm Canonicorum S. Auguſtini , aliaſque ejuſmodi , comprehendi hac lege cantandi duas Miſſas in diebus à Rubrica præſcriptis , & validis ac variis id probat rationibus itidem videndis . Excipit tamen Regularium Mendicantium Eccleſias tanquam non venientes ſub nomine Collegiatarum : imò & Parochiales ; licèt in eis plures quotidie Sacerdotes celebrent , ex ea , quam tradit , optima ratione , quia Parochiales Eccleſiæ non ſunt primò & per ſe ad Officium Canonicum totum cunctis

ctis

ctis diebus celebrandum deſtinatæ : *ſic ille* . Et revera nos Venetiis in noſtris nonnullis Parochialibus Eccleſiis etiam Collegiatis nuncupatis, licèt adſint in eis plures Sacerdotes , non tamen cantamus vigore Rubricarum iſtas duas Miſſas, quia cùm fiut cantandæ poſt aliquam Horam Canonicam in Choro cantatam , uſum non habemus dicendi quotidie Divinum Officium in Choro.

Poſt Miſſam in Vigilia Aſſumptionis Beatæ 1049
Mariæ Virginis privatim vel ſolemniter dicendam , accedunt Veſperæ in hac eadem Vigilia celebrandæ . Itaque hæ ſunt de Feſto ſequenti , ſeu primæ de ipſa Aſſumptione , ſemper , & ubique integræ ; quodcunque præcedat Officium, licèt Dedicationis Eccleſiæ , ut ex inferiùs dicendis clariùs patebit . In hiſce tamen primis Veſperis , quæ omninò dicuntur ut hodie in Breviario , Officiator , ſeu qui in Choro Officium peragit Veſperarum ſolemnium , ad Hymnum *Ave Maris Stella* , dum illum incipit , ſtat quidem , jungens , extendens , elevans manus , & caput inclinans versùs Altare , ſed poſt ejuſdem Hymni inchoationem genuflectit unà cum ſuis Aſſiſtentibus itidem versùs Altare , & genuflexus permanet , donec tota perſolvatur à Choro cantante prima ſtropha : deinde ſtat cum illis manibus junctis ad totum Hymnum , ut monet Michael Bauldryus *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par.* 2. *capitul.* 1. *articul.* 1. *ſub numer.* 25. *&* 26. *pag.* 94. ac etiam Joannes Baptiſta Halden *in Ephemerolog. par.* 2. *titul.* 1. *die* 23. *Januarii*. Hic autem Hymnus à Franciſco Coſſero tribuitur S. Bernardo , ut refert Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 5. *capitul.* 6. *ſub numer.* 5. & hoc de facili credendum eſt, ſiquidem hic Sanctus Abbas , Beatæ Virginis devotiſſimus , multa habet de hac Maris Stella , & præſertim *homil.* 2. *ſuper Miſſus eſt* , *circa finem*.

Poſt Orationem de Beata Maria Virgine aſſumpta , non fit in his primis Veſperis ulla commemoratio de Feſto præcedenti , niſi illud ſit du- 1050

plex primæ vel ſecundæ claſſis : ideoque non de Dominica , non de Semiduplici , non de Duplici minori vel etiam majori , non de aliqua Die Octava , ſi alicubi incidat in hanc Vigiliam, & multo minus de Octava S. Laurentii , vel de aliqua quavis Octava ſpeciali , licèt Dedicationis Eccleſiæ . Fit tamen commemoratio de Dominica ſequenti , cujus Antiphona erit *Omnis Sapientia* , ut in Sabbato ante Dominicam tertiam Auguſti , quia ſemper erit talis numero Dominica Menſualis occurrens , cum Oratione verò de illa Dominica , quæ eo anno recurret à Pentecoſte . Sed & alia occurrere alicubi poteſt in dictis primis Veſperis commemoratio , nempè , de Die Octava ſimul veniente in ipſo Feſto Aſſumptionis , ut in Eccleſia SS. Mm. Cyriaci & Sociorum .

In Cathedrali verò Eccleſia peragit Epiſcopus Veſperas Pontificales , licèt Aſſumptio non ſit Titularis , nam una eſt ex illis Solemnitatibus , de quibus loquitur Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *capitul.* 1. §. 2. *pagin. verò* 184. ubi revera ſic habetur : *Si Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam ſequenti die celebraturus , Veſperæ ſolemniùs peraguntur , quàm ſi non eſſet celebraturus : quod præcipuè in his Vigiliis obſervari ſolet , videlicèt , Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis , &c.* Quòd ſi Aſſumptio ſit Titulus Eccleſiæ Cathedralis , prout eſt Neapoli , Utini , Segniæ , Cremonæ , Torcelli , Lycii , Sarzanæ , Piſis , Piſauri , & alibi : majori ratione debet Epiſcopus has primas Veſperas Pontificaliter cantare ſui Titularis : unde dictum Cæremoniale *loco citato* , ſtatim addit de primis Veſperis Pontificalibus : *Et in Feſto Sancti Titularis Eccleſiæ* : & ideò & ratione Tituli , & ratione Patronatus , Eccleſia ornari debet , ut ſupra diximus in primis Veſperis de Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli . Poſt Pſalmorum decantationem à Canonicis , Beneficiatis , aliiſque de Choro Cathedralis faciendam cum cantu Gregoriano , dum Epiſcopus Hymnum *Ave Maris Stella* intonat , 1051

nat ,

nat., omnes genuflectunt, & ſtatim ipſe quoque Epiſcopus ibi in ſuo genuflexorio ante Altare, ſi adeſt, genuflectit: ſin minus, in ipſa ſua Sede ſuper aliquo pulvino ad id parato, permanens in genuflexione uſque ad finem primi verſus, quo finito, ſurgit, ſurgentibus pariter omnibus: deinde ſtat, quouſque perficiatur Hymnus cum Verſiculo & Reſponſorio: Poſtmodum alia fiunt, quæ præſcribuntur in eodem Cæremoniali *loco citato*, præſertim à §. 12. *pagin. mihi* 189.

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Hoc Feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis à Codino *lib. de Offic. Palatii*, & à Theodoro Balſamone *in Canon. 3. Apoſtolor.* dicitur *Dormitio Sanctiſſima Deiparæ*: In Novella Emmanuelis Comneni Imperatoris appellatur *glorioſiſſima Sanctæ Dei Matris Emigratio*: & in Euchologio Græcorum vocatur *Emigratio veneranda Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ*, teſte eruditiſſimo Viro Hugone Menardo in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *nota* 456. *pagin. mihi* 411. Sed Menologium Græco-Latinum, magnificè Urbini impreſſum anno 1727. & in tres Partes diſtributum, ſic revera habet *par. 3. ſub die 15. Auguſti*, prout modò lego: *Dormitio glorioſiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ*. Cæſar tamen Cardinalis Baronius 1052

Annal.

Annal. tom. 1. *Anno Chriſti* 48. *ſub numer.* 16. *pag, mihi* 445: reprehendit Uſuardum & Adonem & ſimul convincit, quòd in ſuis Martyrologiis *Dormitionem*, non verò *Aſſumptionem* appellent. „ Unde, quæſo (inquit) vobis iſta nomencla- „ tura noviter uſurpata, ut *Dormitionem*, non „ *Aſſumptionem* dicatis? Cùm præſertim pridie „ ejus diei ambo dixiſſetis, *Vigilia Aſſumptionis*, „ cur hæc incoſtantia ſermonis? Cogor quidem „ cum Apoſtolo dicere: *Currebatis benè, quis* „ *vos impedivit?* An fortaſſe moti eſtis exemplo „ Græcorum, qui item *Dormitionem* dixerunt? „ An non præcedebant, quæ ſectari debuiſtis, „ Romani Martyrologii veſtigia antiquiſſima, in „ quo non *Dormitio*, ſed *Aſſumptio* dicitur? qua „ voce ſemper Romana Eccleſia uſa eſt, ut eſt „ videre in Ordine Romano, Sacramentario S. „ Gregorii, aliiſque antiquis Ritualibus & Miſ- „ ſalibus Libris. *Hucuſque Baroniana & juſta re-* „ *prehenſio*.

Hungari autem, qui Beatam Virginem in Cœ- 1053
lum aſſumptam venerantur tanquam Regni Patronam à S. Stephano Hungariæ Rege devotiſſimo electam, dum dicunt *Diem magna Domina*, intelligunt de Die Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, etiam noſtris temporibus, quos ego ſæpè audivi ſic pronunciare & ſic intelligere, dum Budam illius Regni Metropolim volui perſonaſiter medius inter arma videre, anno ſcilicèt ſecundo poſt ejus expugnationem ab exercitu Leopoldi Primi Romanorum Imperatoris ſtrenuè factam. Magna revera Domina, cui ipſa cedit Eccleſiæ Dedicatio, ſi hac die forſan occurrat, ut clarè patet tum ex Rubrica Generali Breviarii *de translat. Feſtor, titul.* 10. *ſub numer.* 1. tum etiam ex primo Notando *poſt Tabell. de Occurren. in eod. Breviar.* Et rationem tradit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 8. *ſub numer.* 7. ubi ad rem ſequentia habet præciſa verba, videlicet: *Dignior erit Octavà Aſſumptionis Beatæ Virginis, quàm Octava Dedicationis, quia majora beneficia contulit Deus*

uni

uni Deiparæ in ejus Aſſumptione, quàm contulerit toti militanti Eccleſiæ : licèt ex D. Thoma *lect.* 5. *in capitul. Joan.* 10. majus ſit Feſtum Dedicationis Eccleſiæ, quàm alicujus Sancti. Unde celeberrimam Solemnitatem vocat Cæſar Cardinalis Baronius, *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub die* 15. *Aug. lit. a* : hoc enim Feſtum majus eſt omnibus aliis, quæ fiunt de illa : ſimiliter & de quolibet Sancto majus Feſtum eſt Tranſitus illius, quàm aliud de illo ; ait Durandus *in Ration. Divinor. Officior. libr.* 7. *capitul.* 24. *ſub numer.* 9. *pag.* 295. hinc eſt, quòd Piſcara ait, quòd Feſtum Aſſumptioni Beatiſſimæ Virginis ſacrum, inter omnes ejus Feſtivitates eſt celeberrimum : & ob præcipuam venerationem, quæ Dei Genetrici debetur, ſolemniter celebratur, & ideo jure merito illud ipſe ponit inter Feſta non ſolùm primæ claſſis, ſed etiam primi ordinis, juxta ſuam Feſtorum diviſionem, ut videre eſt apud eum in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *ca.* 29. *ſub numer.* 14. *pagin.* 217. *juxta edit. Neapolitan. de Anno* 1613.

Hoc autem Feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ 1054
Virginis, Feſtorum omnium ejuſdem antiquiſſimum eſt juxta & eminentiſſimum, ita ut Aliqui etiam ad Apoſtolicam inſtitutionem referant, prout ex Joanne Andrea *in cap. Licèt, de Feriis*, tradit Carolus Guyetus *in Heortolog. lib.* 2. *ſect.* 1. *ca.* 18. *quæſt.* 1. *verſ. Tertiò, in fine, pagin.* 138. Habet verò Octavam ex Leonis Quarti Romani Pontificis inſtitutione, ut ſcribit Sigebertus *in Chronic. anno* 847. apud Cæſarem Cardinalem Baronium *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub die* 22. *Auguſti* : qua tamen occaſione id ab eodem Pontifice fuerit inſtitutum, remittit Auctor Lectorem ad Anaſtaſium Bibliothecarium *in Actis ejuſdem Leonis Quarti* : & idem dicit, ipſumque citat Anaſtaſium Andreas Piſcara Caſtaldus in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *capitul.* 29. *ſub numer.* 17. *pagin. mihi* 217. Quia tamen neuter ex illis duobus Auctoribus cauſam aſſignat inſtitutionis hujus Octa-

væ,

væ, nos Lectori Eccleſiaſtico rem gratam factu-
ri, & ad ejus eruditionem, quod ipſi Auctores
ad Anaſtaſium remittunt, nos ab Anaſtaſio, fi-
deliter ſuis propriis verbis relato à Franciſco Pa-
gi ſtatim inferius citando, cauſam deſumentes,
eam hoc opportuno loco referimus.

Itaque Franciſcus Pagi, eruditiſſimus de Ge- 1055
ſtis Pontificum Romanorum Scriptor ſic revera
habet *in Breviar. tom. 2. ſæculo 9. de Leone Quarto*,
§. *III. & IV. pagin. 51. juxta edit. Venet. de An-
no* 1730. Ipſo Pontificatus Leonis initio; ſancti-
tas ejus miraculis eſt comprobata, nam, teſte
Anaſtaſio, Romę juxta ędem S. Lucię in Or-
phea, Baſiliſcus dirum ſerpentis genus, venęna-
to ſuo ſpiritu omnibus, qui ad cavernam ejus
accedebant, repentinum afferebat interitum. Ita-
que trepidantibus ad tantum periculum univer-
ſis, Pontifex, ſolemni jejunio ac precatione per-
fectis, in Die Aſſumptionis Virginis Marię, è
Patriarchio exiit cum Hymnis & Canticis, ſan-
cta Dei Matris præcedente Imagine, ad Baſili-
cam S. Hadriani Martyris, pedibus cum Clero
proceſſit; inde ad Baſilicam Sanctę Virginis ad
Pręſepe perrexit: & cùm ad ſpecum, ubi cu-
bare ſerpens dicebatur, appropinquaſſet, cater-
va Fidelium, qua ſtipabatur, ſubſiſtere juſſa,
impertertito animo ad os cavernę, unde peſti-
fer erumpebat afflatus, acceſſit, atque oculis &
palmis in Cœlum intentis, Deum omnipoten-
tem, ut tetra illa peſte Populum liberaret, ora-
vit. Quo facto, repentè ferum virus ſerpentis
evanuit.

Ab eodem die (ſunt verba Anaſtaſii à dicto Pa- 1056
gi eodem loco curſivis caracteribus relata) *ipſe
mortifer Baſiliſcus ita effugatus, & ab ipſis proje-
ctus eſt antris, ut ultra in illis locis nulla læſionis
ejus macula appareret*. Ut autem de tanto bene-
ficio Beatæ Virginis feſto die & ope Romanis
collato gratias rependeret Leo Pontifex, *Octa-
vam Aſſumptionis Beatæ Genitricis Diem* (proſequi-
tur Anaſtaſius) *quæ minimè Romæ antea coleba-*

tur

tur, Vigiliis, ſacriſque Matutinis cum omni Clero pernoctans laudibus in Baſilica ejuſdem ſemper Virginis Dominæ Noſtræ, quæ foris muros juxta Baſilicam Beati Laurentii Martyris ſita eſt, celebrari præcepit. Id autem Anno primo ſui Pontificatus, nempè, Anno 847. Leonem Papam ſtatuiſſe, ſcribit Sigebertus ſupra citatus ad eum Annum, hiſce verbis: *Decrevit, ut Octavæ Aſſumptionis Sanctæ Mariæ in Eccleſia Romana celebrarentur, quod antea non fiebat.* Et revera Leo Quartus ordinatus fuit Pontifex Romanus die undecima Aprilis ejuſdem Anni, quæ in Feriam ſecundam Paſchatis tunc incidebat: unde ſtatim, ſcilicèt, vix tranſactis quatuor menſibus, hoc inſigne dedit tuæ ſanctitatis ſignum, nobiſque reliquit cauſam inſtitutionis hujus Octavæ.

Hactenus locuti ſumus de Feſto Aſſumptionis 1657
ad eruditionem; accedamus modò ad rem noſtram, nempè, ad Sacros Ritus hodie juxta Rubricas obſervandos ſimul & ſervandos. Hoc igitur Feſtum eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Celebratur autem ſub ritu duplici primæ claſſis in colore albo. Non cedit cuivis duplici primæ claſſis occurrenti, quavis pompa, quovis concurſu, quavis ſolemnitate celebrando, licèt eſſet Feſtum Dedicationis in propria Eccleſia, ut ſupra vidimus ex Rubricis. Ex hoc videtur Privilegium ſoli Aſſumptioni conceſſum, non verò aliis ejuſdem Beatæ Virginis Feſtivitatibus, licèt ratione Tituli ſint quoad ritum æquales: quia Aſſumptio non gaudet hoc Privilegio, quia ejus Feſtum eſt duplex primæ claſſis, ſed ex ratione ſuperiùs tradita, & à Gavanto relata, qua moveor ad ſpecialitatem Privilegii adjudicandam. Videant tamen Epiſcopi, ne in Eccleſiarum Dedicatione aſſignent Diem ſemper impeditam, ita ut quandoque ratione plurium Feſtorum in aliqua Civitate celebrandorum, transferenda ſit Dedicatio extra totam ejus Octavam: & ideò ſi in Die Aſſumptionis contingat fieri ali-

aliquam Eccleſiæ Dedicationem, in actu Conſecrationis aſſignent aliam diem taliter liberam, ut etiam tota Octava, ſi fieri poteſt, valeat celebrari; nam in dicto actu hoc ſibi conceditur, juxta Decretum, de quo Gavantus *in Man. Epiſcopor. verb. Eccleſiæ Conſecratio*, *ſub num. 9.* & egomet retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin. 37. pagin. 15.* & noviſſimè tradit P. Merati *tom. 2. par. 1. in Indice, ſub numer. 1.*

Quoad Officium in hac Solemnitate Aſſumptionis peragendum, omnia dicuntur ut in Breviario. Ad Matutinum nonnullæ Galliæ Cathedrales recitant Hymnum proprium, ſicuti & ad Laudes; quos tamen Hymnos à ſe emendatos, & ad formam correctionis Urbanæ redactos, ſic recitandos; cum prævia tamen approbatione, deſiderat Guyetus *in fine ſuæ Heortolog. pagin. 277.* Ad Laudes dicitur unica Oratio; niſi occurrat Dominica; nam & ad Matutinum dicenda eſt nona Lectio; & ad Laudes facienda ejus commemoratio. Quia verò Dominica illa erit ſemper tertia Auguſti; in qua *Incipit Liber Sapientiæ*, de quo hodie non poteſt recitari; ideo hoc *Initium* in hujuſmodi occurrentia ponendum erit in Feria ſecunda ſequenti: & ſi fuerit etiam ipſa impedita, ut Torcelli apud Venetos ob Dedicationem Cathedralis, vel in Eccleſia S. Rochi, inchoabitur dictus *Liber Sapientiæ* in Feria tertia. Itidem in dictis Laudibus fit commemoratio de aliqua Die Octava alicubi forſitan occurrente, ſi non ut die decimaquinta Auguſti, ſaltem ut in tali Dominica Menſis ejuſdem, interdum in Die Aſſumptionis recurrente, ut de Die Octava Dedicationis, vel quovis Anno in Eccleſia SS. Mm. Cyriaci & Sociorum. De Die verò infra Octavam, quæcumque illa ſit, nulla facienda eſt commemoratio: unde Imolæ nihil de tertia Die infra Octavam S. Caſſiani Patroni, Sarzanæ nihil de quarta Die infra Octavam Dedicationis Cathedralis, & in Eccleſia Univerſa

1058

li nihil de ſexta Die infra Octavam S. Lauren-
tii .

Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur ho- 1059
die & per totam Octavam Verſiculus , *Qui na-
tus es de Maria Virgine*. Ubi verò die ſequenti fit
de S. Rocho Confeſsore (ut fit in pluribus Ci-
vitatibus & Diœceſibus , quarum longam ſeriem
texere , nimio forſan eſset tædio Lectori noſtro)
in Martyrologio ante elogium S. Hyacinthi , pro-
nunciatur primo loco de eo , videlicèt : *In Gal-
lia-Narbonenſi apud Montem Peſſulanum depoſitio bea-
ti Rochi Confeſsoris , qui multas Italiæ Urbes à morbo
Epidemiæ ſigno Crucis liberavit : cujus Corpus Venetias
poſtea translatum , in Eccleſiâ ejus nomine conſecrata
honorificentiſſimè conditum fuit*. Duplex elogium ha-
betur hodie in Martyrologio , Urbis ſcilicèt &
Eccleſiæ : Urbis quidem , ad quam translatum :
Eccleſiæ verò , in qua reconditum . De transla-
tione tamen hujus Sacri Corporis , Cæſar Cardi-
nalis Baronius *in Notation. ad Martyrolog. Roman.
ſub die* 16. *Aug. litt. i. in fine* , ſic habet : *Transla-
tum ejus Corpus Venetias ferunt anno Domini* 1485.
Itaque S. Rochus , perluſtravit in Peregrinatione
multas Urbes , ut cum Spiritu perveniret ad Ci-
vitatem Dei , & cum Corpore ad Civitatem Ve-
netiarum . Eccleſia autem , in qua requieſcit ,
& ad quam tota Civitas devotè accurrit , hiſce
noſtris temporibus in nobiliorem formam à fun-
damentis redacta cernitur , non ſine magnis ex-
penſis. Ceterum Hymni omnium Horarum , tam
hodie quàm infra Octavam , clauduntur cum ſtro-
pha de Beata Maria , nempè , *Jeſu tibi ſit gloria ,
qui natus es de Virgine*.

§. IV.

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam & Veſperas in Feſto Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ.

Miſsa in Feſto Aſsumptionis Beatę Marię Virginis eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, cum unica Oratione, niſi incidat Dominica, quę ſumitur à numero poſt Pentecoſtèn recurrente, & ſemper erit una ex quinque ſequentibus, ſcilicèt, vel nona, vel decima, vel undecima, vel duodecima, vel denique decima tertia. Itaque in hujuſmodi occurrentia, ſecunda Oratio erit de illa Dominica, cum ejus Evangelio in fine. Itidem dari poteſt & alia commemoratio eo ordine, & illis caſibus, de quibus ſupra diximus in Officio. Incidente verò in hoc Feſtum Aſsumptionis Dominica, Ante Miſsam majorem facienda eſt aſperſio Aquę benedictę, non tamen in Eccleſia Cathedrali, in qua hodie cantat Pontificaliter Epiſcopus, juxta Cęremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. *&* 4. *pag.* 397. *juxta noviſs. edit. Roman. de Anno* 1729. ſub Benedicto XIII. ultimo ejuſdem Cęremonialis Recognitore, ut ex ejus Bulla, quę incipit *Licèt alias*, edita *anno* 1727. *ſub die* 7. *Martii*, in fronte dicti Cęremonialis appoſita. 1060

Epiſtola eſt propria hujus Miſsę, & adeò ſolemnitati conveniens, ut in nulla alia Miſsa legatur, ſive de Feſtivitatibus, ſive de Votivis Beatę Marię in Eccleſia Univerſali. Requies 1061

enim, quam Beata Virgo quęſivit, fuit vita ęterna jam acquiſita in ejus Aſſumptione, quando in hęreditate Domini morata eſt: Et quia Chriſtus requievit in utero Virginis tanquam in Tabernaculo, Dominus, dum eam ad ſe aſſumpſit, dedit Tabernaculum ſuum grande, ut in electis ſuis mitteret radices, exaltando illam ſuper Choros Angelicos. Hęc de convenientia Epiſtolę. Quoad verò Evangelium, quod hodie legitur, ſępè requiſitus fui, cur hac die illud ſit de duabus Sororibus Maria Magdalene & Martha? Ad quod etiam ſępè reſpondi omnibus id ipſum, quia ſcilicèt Martha ſignificat Vitam activam, unde dicitur in Evangelio, quòd *ſatagebat circa frequens miniſterium*, & congreſſa eſt, quòd *Soror ſua reliquit eam ſolam miniſtrare*. Maria verò Magdalene ſignificat Vitam contemplativam, ſiquidem ſemper *audiebat verbum illius*, ideſt, Domini: & ideo dicitur in ejus Actis, quòd ipſa aſſueta Orationi & Pedibus Domini, ut poſſet Cœleſtem Beatitudinem *contemplari*, in vaſtam altiſſimi Montis ſpeluncam ſe contulit. His præmiſſis, utramque Vitam, Activam ſcilicet & Contemplativam ſemper fuiſſe in Beata Virgine Maria, ſatis clarè patet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis.

Perrexit itaque Beata Virgo in Montana, & 1062
quidem cum feſtinatione, ad præſtandum Cognatæ ſuæ auxilium, & ad exercenda per tres Menſes officia charitatis. Itidem ſuſcepit iter ad obediendum Cæſari Auguſto univerſalem præcipienti totius Orbis deſcriptionem, & inde ad exequendam Circumciſionis legem. Fugit poſtmodùm cum ſuo Sponſo in Ægyptum, & iterum de Ægypto venit in terram Iſrael. Ecce Vita Activa Beatæ Virginis. Videamus Contemplativam. Semper intenta verbis Domini, *conſervabat omnia verba hac, conferens in corde ſuo*. Quid eſt autem, *conferens in corde ſuo*, niſi *contemplari*? Unde Venerabilis Beda ait, quòd *eadem Dei Genitrix, & inde quidem Beata, quia*

Verbi incarnati miniſtra facta eſt temporalis: ſed inde multo Beatior, quia ejuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna. Hinc eſt, quòd agendo & contemplando, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Sed & Euſebius Emiſſenus ſuper eodem Evangelio idem obſervat, nam *ſerm. de Aſſumpt.* *Meritò*, inquit, *Sancti Patres conſtituerunt, ut in hac Solemnitate Beatæ Virginis Mariæ hoc Evangelium legeretur, quia ſpecialiter per has duas Mulieres ſignificatur: Ipſa enim inter omnes creaturas Beatiſſima Virgo utriuſque Vitæ, Activæ ſcilicèt & Contemplativæ, plus cæteris omnibus privilegia cuſtodivit*.

Diximus ſupra, quia Maria *conſervabat omnia* 1063
verba hæc, conferens in corde ſuo, ſcilicèt, cuſtodiebat omnes gratias, omnes inſpirationes, & omnibus aſſentiebatur: & quanto magis Spiritus Sanctus ei ſuggerebat, tanto magis Maria operabatur: & ideò *omnia verba hæc*, quæ audiebat tam extrinſecè, quàm intrinſecè. Sed etiam contemplabatur dormiendo: nam S. Bernardus *tom. 2. ſerm. 51. ſub numer. 1. cap. 2.* ſic habet: *Somnus, qui ſepelit in nobis rationis, & liberi arbitrii actus, non credo, quòd talia in Virgine fuerit operatus, ſed Anima ejus liberè ac meritorio actu tendebat in Deum: unde illo tempore erat perfectior Contemplatrix, quàm unquam fuerit aliquis alius, dum vigilaret*. Inſuper in hodierno Evangelio dicitur, quòd Martha *excepit illum in Domum ſuam*: ſi uniantur iſtæ duæ Mulieres in Beata Virgine, hæc propter convenientiam etiam Nominis (quia huic erat Soror nomine Maria) hæc inquam excepit Chriſtum in uterum ſuum, & in propriam Domum ſuam, non aliquibus vicibus, ut Martha, ſed per novem Menſes: unde Guarinus Abbas ſerm. 4. de Aſſumpt. *Illa ſiquidem* (ſcilicet Martha) *Dominum hoſpitio recepit: hæc* (nempè Beata Virgo Maria) *thalamo ſuſcepit uteri*: ideò etiam ob hoc benè quadrat hodiernum Evangelium Feſtivitati Aſſumptionis, quia Deus recordatus manſionis ſuæ in utero Virginis,

hiis , aſſumpſit eam in Cœlum tanquàm in Domum ſuam.

In hac Miſſa de Aſſumptione Beatæ Virginis 1064
Mariæ dicitur etiam *Credo* , quod in ſolemni totum à Choro eſſe cantandum ſine Organi interpoſitione , alibi diximus , ubi etiam quòd dum cantatur , non debet Celebrans continuare in Miſſa , ſed expectare integram ejuſdem Symboli decantationem . Præfatio verò eſt de Beata Maria cum Verſiculo , *Et te in Aſſumptione* . Priſcis tamen Eccleſiæ temporibus dicebatur in hodierna Miſſa Præfatio propria , quæ habetur in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pag.* 123. & erat ſequens , videlicèt : *Verè dignum & juſtum eſt ; æquum & ſalutare , nos tibi ſemper , & ubique gratias agere , Domine ſancte , Pater omnipotens , æterne Deus : Et te in veneratione ſacrarum Virginum , exultantibus animis , laudare , benedicere , & prædicare : Inter quas intemerata Dei Genitrix Virgo Maria ; cujus Aſſumptionis diem celebramus , glorioſa effulſit : Quæ & Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit , & Virginitatis gloria permanente , huic Mundo lumen æternum effudit , Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum . Per quem , Majeſtatem tuam laudant Angeli , &c.* Benedictio verò , quam Epiſcopus tunc temporis ſolebat Populo impertiri (ut ſupra diximus *tom.* 1. *in Miſſa de Nocte Nativit. Dom.*) ex eodem Sacramentario Gregoriano deprompta , ſequentibus verbis hodie erat concepta , ſcilicèt : *Deus , qui per Beata Maria Virginis partum , genus humanum dignatus eſt redimere , ſua vos dignetur Benedictione locupletare .* Amen . *Ejuſque ſemper & ubique patrocinia ſentiatis , ex cujus intemerato utero Auctorem vitæ ſuſcipere meruiſtis .* Amen . *Et qui ad ejus celebrandam Feſtivitatem hodierna die devotis mentibus conveniſtis , ſpiritualium gaudiorum & æternorum præmiorum vobiſcum munera reportetis .* Amen , *Quod ipſe præſtare dignetur , cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum .* Amen . *Benedictio Dei Patris , & Filii , & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum ,*

Prolixam quidem, ſed pulcherrimam recita- 1065
bat hodie Præfationem propriam Eccleſia Galli-
cana Mille & ultra abhinc annis, ut refert ce-
lebris Mabilonius *in Liturg. Gallican. lib. 3. pa-
gin.* 212. quam ex eo loco fideliter tranſcriptam,
Eccleſiaſtico Lectori noſtro veterum Sacrorum Ri-
tuum ſtudioſo ſub oculos ponimus : & erat ea,
quæ ſequitur, nempè : *Dignum & Juſtum eſt,
omnipotens Deus, nos tibi magnas meritò gratias age-
re, tempore celeberrimo, die præ cæteris honorando :
Quo fidelis Iſrael egreſſus eſt de Ægypto : quo Virgo
Dei Genitrix de Mundo migravit ad Chriſtum. Quæ
nec de corruptione ſuſcepit contagium, nec reſolutio-
nem pertulit in Sepulchro : Pollutione libera, germine
glorioſa, Aſſumptione ſecura, Paradiſo dote prælata.
Neſciens damna de coitu, ſumens vota de fructu,
non ſubdita dolori per partum, non labori per tranſi-
tum : nec vita voluntate, nec funus ſolvitur vi natu-
ræ. Specioſus thalamus, de quo dignus prodit Spon-
ſus, lux gentium, ſpes fidelium, prædo dæmoniorum,
confuſio Judæorum, vaſculum vitæ, tabernaculum
gloriæ, templum cœleſte. Cujus juvenculæ melius præ-
dicantur merita, cùm veteris Evæ conferuntur exem-
pla. Siquidem iſta Mundo vitam protulit, illa legem
mortis invexit. Illa prævaricando nos perdidit, iſta
generando ſalvavit. Illa nos pomo arboris in ipſa ra-
dice percuſſit, ex hujus virga flos exiit, qui nos odo-
re reficeret, fruge curaret. Illa maledictionem in do-
lore generat, iſta benedictionem in ſalute confirmat.
Illius perfidia ſerpenti conſenſit, conjugem decepit,
prolem damnavit : hujus obedientia Patrem concilia-
vit, Filium meruit, poſteritatem abſolvit. Illa ama-
ritudinem pomi ſucco propinat, iſta perennem dulcedi-
nem Nati fonte deſudat. Illa acerbo guſtu natorum
dentes deterruit, hæc ſuaviſſimi panis blandienti cibo
formavit : cui nullus deperit, niſi qui de hoc pane ſa-
turari fauce faſtidit. Sed jam veteres gemitus in gau-
dia nova vertamus. Ad te ergo revertimur, Virgo
fœta, Mater intacta, neſciens virum puerpera, ho-
norata per Filium, non polluta. Felix, per quam
nobis inſperata gaudia ſucceſſerunt. Cujus ſicuti gra-
tula-*

tulati ſumus ortu, tripudiavimus partu, ita glorificamur in tranſitu. Parùm fortaſſe fuerat, ſi te Chriſtus ſolo ſanctificaſſet introitu, niſi etiam talem Matrem adornaſſet egreſſu; Rectè ab ipſo ſuſcepta es in Aſſumptione feliciter, quem piè ſuſcepiſti conceptura per fidèm: ut qua terræ non eras conſcia, non teneret rupes incluſa. Verè diverſis inſulis Anima redempta, cui Apoſtoli ſacrum reddunt obſequium, Angeli cantum, Chriſtus amplexum, nubis vehiculum; Aſſumptio Paradiſum; inter Choros Virginum gloria Principatum, per Chriſtum Dominum noſtrum: Cui Angeli atque Archangeli non ceſſant clamare, dicentes &c.

In Cathedrali tamen Eccleſia hodie Epiſcopus 1066
Miſſam cantat Pontificalem, non ſolùm ſi Aſſumptio eſt Titularis illius Eccleſiæ, prout eſt in nonnullis Cathedralibus ſupra enumeratis in primis Veſperis; ſed etiam prout eſt magna & univerſalis Solemnitas, quia hæc Miſſa comprehenditur inter expreſſas in Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. cap. 34. §. 2. pag. 416.* Cæterùm Piſcara tenet, quòd hæc Miſſa Aſſumptionis fieri poſſit infra Annum Votiva, præſertim cum aliquá mutatione in Introitu, ut loco *Diem Feſtum celebrantes*, dicatur *Memoriam celebrantes*, ut videre eſt in ſua Praxi Cæremoniarum *lib. 2. ſect. 6. cap. 4. de Miſſ. Vot. ſub num.* 1. Ei tamen adverſatur Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom. 1. quæſt.* 248. *verſ. Ex dictis colligitur*: ubi cum Gavanto *tom. 1. par. 4. tit. 17. ſub numer.* 8. negat abſolutè, hanc Miſsam Aſsumptionis dici poſse ut Votivam infra Annum: & ita habet etiam Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par. 1. tit. 4. de Miſſ. Votiv. Dub. 2. verſ. Decimo ſecundo, pagin. mihi* 49. Hoc autem eſt innegabile, ſtante Declaratione Sacræ Rituum Congregationis de ordine Pauli Quinti, in qua enumeratis nonnullis Miſſis non dicendis ut Votivis, inter eas nominavit expreſsè hanc Miſsam Aſsumptionis; ut habet Angelus à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſa Ritus, ſub num. 2. pag.* 332. Hoc tamen intelligitur infra Annum, non verò infra ejus O-

ctavam, ut ſuo loco dicemus.

Quia verò Aſsumptio Beatæ Mariæ Virginis 1067
inter magnas adſcribitur Anni Solemnitates, ideò hodie non poteſt celebrari in Oratoriis privatis, cùm hæc Dies ſit una ex ſpecificè exceptis in Decreto Sacræ Rituum Congregationis jam emanato *anno* 1607. *ſub die* 17. *Novembris*, de quo, citata Auctorum caterva illud referentium, dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 293. *pag.* 88. & ex me refert etiam Claudius La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *libr.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 128. ¶ Notandum tamen, quòd in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſsa fuerint, non licèt Regularibus cujuſvis Ordinis aut aliis quibuſcunque Sacerdotibus celebrare in diebus exceptis. In reliquis verò diebus, prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcunque, in præfatis Oratoriis celebrare non licet, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optimè informare: atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt meridiem: demandando præterea in omnibus hujuſmodi caſibus, Perſonas quaſcunque dictas Miſsas audientes, nullatenùs Eccleſiæ præcepto ſatisfacere, prout prohibet & declarat Clemens XI. in ejus Bullario particulari, *par.* 3. *Conſtitut.* 1. *quæ incipit*: Quoniam Sancta Sanctè, *edita anno* 1703. *ſub die* 15. *Decembris*.

At quia hæc Aſsumptionis Feſtivitas una eſt 1068
ex illis magnis Celebritatibus, de quibus loquitur Rituale Romanum *tit. de Exequ. rubr.* 5. ideò non eſt hodie cantanda Miſsa pro Defunctis in Die Obitus, in nihilo refragante Corporis præſentia. Et licèt variæ ſint Auctorum opiniones, diverſimodè nomen *Celebritatis* interpretantes: ſiquidem Alii intelligunt de omni & quocunque duplici primæ claſsis, inter quos Paulus Maria Quarti *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. part.* 1. *tit.* 9. *Dub.* 1. *Propr. Miſsar. ſolemn. ſub numer.* 7. *pag.* 56.

pagin. 56. *juxta edit. Venet. de Anno* 1727. Alii verò explicant de duplici quidem primę claſſis, ſed non de omni & quocunque, & ſic de ſolis ſolemnioribus, nec tamen inſerunt hanc Solemnitatem Aſſumptionis, inter quos Zacharias Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 285. *ſub numer.* 2. nihilominùs, ut ſervetur in omnibus Eccleſiis uniformitas, Sacra Rituum Congregatio *in Collen. anno* 1698. *ſub die* 5. *Julii ad* 8. *Dubium*, reſpondit & declaravit, in nullo duplici primę claſſis cantandam eſſe dictam Miſſam Defunctorum in Die Obitus, etiam præſente Corpore in Eccleſia: Ex quo conſequenter venit, quòd neque hodie cantari debeat, quia occurrit & magna Celebritas juxta dictum Rituale Romanum, & Duplex primæ claſſis juxta præfatam Declarationem.

Sed ſatis diximus, ut credimus, de Miſſa in Feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis celebranda: & ideò ad ſecundas Veſperas hujuſmodi Feſti ſtatim accedimus. Hæ igitur ſemper & ubique ſunt & eſſe debent omninò integræ, & quidem ut in Breviario, licèt alicubi ſequatur Feſtum duplex primæ claſſis, utcunque in illa Eccleſia ſolemne, & quovis apparatu vel concurſu celebrandum, licèt ſit Patroni Loci, vel Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ, nam jus, quod ſibi acquiſivit ipſa Aſſumptio in occurrentia, debet & in concurrentia retinere. Hinc eſt, quòd Aſturiæ in Hiſpania, & Torcelli propè Venetias rectè agunt in his ſecundis Veſperis ſolam commemorationem de ſequenti Dedicatione illarum Cathedralium. Sed neque Veſperæ dividendæ ſunt à Capitulo, ut ſequens ſolemnitas primæ claſſis habeat ſaltem medietatem Veſperarum, ut videtur placere aliquibus Calendariſtis, non enim agendum eſt quod placet, ſed quod fieri debet: unde Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 11. *ſub nu.* 13. ait, quòd de duplici primæ claſſis ſit commemoratio, quando concurrit cum alio digniore duplici primæ claſſis: ſed in noſtro caſu eſt di- 1069

gnius Feſtum Aſſumptionis: ergo de ſequenti facienda eſt commemoratio, & non diviſio à Capitulo: Et hoc eſt juxta Tabellam de Concurrentia *in Breviar. poſt Rubric. General.* ubi duplici primę claſſis concurrente cum duplici primę claſſis, reſpondetur: *Totum de digniori, commemoratio de minus digno*. Sed & Venetiis in Eccleſia S. Rochi, ubi interiùs & exteriùs magnus cernitur apparatus, magnoque totius Urbis concurſu celebratur Feſtivitas, Veſperæ ſunt ex integro de Aſſumptione, cum commemoratione illius Titularis, ut ad rem, & in præciſis terminis S. Rochi, docet Gàvantus *dicta ſect.* 3. *capitul.* 9. *ſub numer.* 3.

In dictis ſecundis Veſperis de Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis fit commemoratio de quocunque Feſto duplici etiam minori, ut de S. Hyacintho Confeſſore in Eccleſia Univerſali, vel de S. Rocho in pluribus Civitatibus, Diœceſibus, & Religionibus, in quibus celebratur ſub eodem ritu duplici minori. Fit etiam commemoratio de Die Octava alicubi hodie occurrente vel ſubſequente, & de Dominica ſive hac die occurrat, ſive cras, ſed non de Die infra aliam Octavam licèt ſit Dedicationis Eccleſiæ. Ubi autem Aſſumptio eſt Titulus Cathedralis (eſt enim pluribus in Locis ſupra enumeratis in primiś Veſperis hujus Feſti) hæ ſecundæ Veſperæ poterunt etiam per Epiſcopum eadem ſolemnitate celebrari, qua primæ: ſiquidem includuntur in ly *ſaltem* poſito in Cæremoniali Epiſcoporum *libr.* 2. *capitul.* 1. §. 3. *pagin.* 184. ubi inter alia Feſta, in quibus Epiſcopus *ſaltem* poterit ſecundas Pontificales Veſperas peragere, dicitur, *ac in Feſto Sancti Titularis Eccleſiæ*. Sed & deberet Epiſcopus haſce ſecundas Veſperas Pontificaliter celebrare, etiamſi Aſſumptio non ſit Titularis Cathedralis, nam cùm dictum ly *ſaltem* non ſit excluſivum aliarum ſolemniorum Anni Feſtivitatum, videtur inſerere etiam has ſecundas Veſperas Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, quià non eſt ſolùm magna Solemni- 1070

lemni-

lemnitas in aliqua Eccleſia Urbis ratione Tituli, ſed & in Eccleſiis totius Orbis ratione Myſterii.

§. V.

De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

OMnes Dies infra Octavam Aſſumptionis Bea- 1071
tæ Mariæ Virginis poſſunt ad ſummum eſſe tres in Eccleſia Univerſali, in quibus revera Officium ſit de Octava, nempè decima octava, decima nona, & vigeſima prima. Occurrente verò in aliquo ex illis Dominica, remanent duo. Alicubi tamen poteſt eſſe unus tantùm: ſic quando Dominica occurrit die decima nona, vel vigeſima prima Menſis, Bergomi in Longobardia Veneta, unus dumtaxat habetur dies infra Octavam, nam die decima octava ejuſdem Menſis fit ibi de S. Projectitio Martyre, Archidiacono illius Capituli, ſub ritu duplici minori: ita Veronæ, quando Dominica venit die decima octava vel decima nona ejuſdem Menſis, quia ibi die vigeſima prima Officium eſt duplex minus de S. Euprepio ejuſdem Urbis primo Epiſcopo. Alibi verò nullus datur Dies infra Octavam non impeditus: ita Piſis, quando Dominica occurrit die vigeſima prima, nam die decima octava fit ibi de S. Agapito Martyre ſub ritu ſemiduplici, & die decima nona de S. Hyacintho Confeſſore, cujus Officium eſt ibi affixum & aſſignatum huic Diei ex Decreto, quia die decima ſexta fit ibi de S.

Rocho

Rocho ſub ritu duplici minori: ita Aquilejæ & Concordiæ, quando Dominica venit die decima nona, nam die decima octava agitur ibi de S. Agapito ſub ritu ſemiduplici, & die vigeſima prima de SS. Donato & Sociis Martyribus ſub ritu duplici minori.

1072 Infra Octavam, quando Officium occurrit totum de Aſſumptione, omnia dicuntur ut in Feſto, ſub ritu ſemiduplici, cum colore albo, exceptis tamen omnium & trium Nocturnorum Lectionibus, quæ ſunt propriæ: Quia verò die decima octava Auguſti, quæ eſt quarta infra hanc Octavam, occurrit Feſtum ſimplex S. Agapiti Martyris, ideo ad Matutinum dicitur nona Lectio de eo, & ad Laudes fit ejus commemoratio, & ante eam præmittitur commemoratio de quacunque Die alicubi veniente infra aliam Octavam: ita Torcelli die decima octava, ſeu quarta infra Octavam fit commemoratio de Die tertia infra Octavam Dedicationis Cathedralis; Sarzanæ de ſeptima Die infra Octavam itidem Cathedralis Eccleſiæ, & utrobique etiam de S. Agapito: Sic die vigeſima prima, ſeu ſeptima infra Octavam Aſſumptionis, Genuæ in Liguria fit commemoratio de ſecunda Die infra Octavam S. Bernardi Abbatis & illius Civitatis Patroni: & eodem die Segniæ in Dalmatia fit commemoratio de Die itidem ſecunda S. Stephani Confeſſoris & Hungariæ Patroni. Quòd ſi alicubi occurrat aliud Feſtum ſimplex, fit ibi commemoratio de eo, ut Salisburgi die decima nona Auguſti ad Laudes de Octava fit commemoratio S. Magni Epiſcopi & Martyris. Ad Primam dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & Hymni omnium Horarum clauduntur cum ſtropha de Beata Maria, ſcilicet, *Jeſu tibi ſit gloria*, *qui natus es de Virgine*, excepto Hymno *Ave Maris Stella*, quia non eſt ejuſdem metri.

1073 At quia infra hanc Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis fit de quocunque Feſto duplici ſive occurrente ſive etiam tranſlato, imò & de ſemi-

ſemiduplici ſi tamen occurrat, ideò ſi fiat de Feſto, in cujus primo Nocturno non habeantur Lectiones propriæ, nec ſumendæ ſint ex ejus Communi, atque fiat de eo in aliqua ex ſupradictis tribus diebus infra Octavam, videlicet decima octava, vel decima nona, aut vigeſima prima Auguſti, ſeu quarta, vel quinta, aut ſeptima infra hanc Octavam, non dicuntur in dicto primo Nocturno Lectiones, quæ eadem die occurrunt infra Octavam, ſiquidem eæ ſpectant dumtaxat ad Beatam Virginem, in cujus tantùm Officio ſunt idcircò recitandæ, & cui conveniunt myſticè, ait Gavantus *tom. 2. ſect. 7. capitul. 10. ſub die 15. Aug.* Ergo in Feſtis dicendæ erunt Lectiones de Scriptura, quæ occurrent infra Hebdomadam tertiam, vel reſpectivè quartam Auguſti: Ita Venetiis die decima octava fit de S. Helena Vidua ſub ritu ſemiduplici, in cujus primo Nocturno dicimus Lectiones de Feria, non verò de Octava: Ita Peruſiæ die decima nona celebratur Feſtum duplex minus S. Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris, & in Directorio Diœceſano citantur Lectiones Scripturales occurrente, pro primo Nocturno & quovis anno, ego eaſdem noto Lectiones pro eodem Feſto S. Ludovici in Calendario Segnienſi: Ita Aquilejæ, & Parentii die vigeſima prima Auguſti in primo Nocturno pro Officio SS. Mm. Donati & Sociorum ponuntur Lectiones de Feria, & non de Octava.

Sicuti autem Dies infra Octavam Aſſumptionis 1074
locum habet in integro Officio non impedito, à quacunque alia Die alicubi infra Octavam ſpecialem incidente; etiam Dedicationis Eccleſiæ, ſic præferenda eſt in commemoratione, ſi fiat de aliquo Feſto: unde Sarzanæ die decima ſexta Auguſti in Feſto S. Hyacinthi ad Laudes poſt commemorationem Aſſumptionis fit in Civitate commemoratio de Dedicatione illius Cathedralis, & poſtmodùm de S. Laurentio. Notandum tamen eſt, quòd commemorationes de Octavis faciendæ

ſunt

ſunt juxta majorem earum dignitatem, vel juxta altiorem ipſarum ritum: ſic hæc Octava Aſſumptionis præcedit quamcumque aliam Octavam in æqualitate ritus, quia conſideratur dignior: Sic Octava S. Claræ modò præcedit; & modò cedit Octavæ S. Laurentii: Præcedit apud Minores S. Franciſci Conventuales, Obſervantes, & Reformatos, quia ejus Feſtum apud illos eſt duplex primæ claſſis, & ſic ritus altioris: Cædit verò apud Minores ejuſdem S. Franciſci Capuccinos, quia Feſtum apud ipſos eſt duplex ſecundę claſſis: unde primi poſt commemorationem Aſſumptionis in Feſto S. Rochi agunt commemorationem priùs de S. Clara, deinde de S. Laurentio: Secundi verò priùs de S. Laurentio, deinde de S. Clara: ut benè obſervat Corſettus *in Prax. Cæremon. tract. 1. par. 1. capitul. 24. ſub numer. 18.* & ideò modò ipſa Octava S. Clarę habet locum ab Octava S. Laurentii ratione altioris ritus: modò Octava S. Laurentii locum habet in paritate ritus ab Octava S. Clarę ratione majoris dignitatis. In quocunque tamen Officio de Feſto, ad Primam dicitur Verſiculus, *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*. Quòd ſi fiat infra hanc Octavam de Feſto plurimorum Martyrum cum Hymnis de eorum Communi, ut ſupra vidimus fieri Aquilejæ in Foro Julii, & Parentii in Hiſtria de SS. Mm. Donato & Sociis, ibi ad Hymnum Matutini non eſt varianda clauſula, quia cenſetur propria ex illis verbis, *Ut Martyrum conſortio jungas precantes ſervulos*.

Cæterùm fit commemoratio de Octava Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis ad Laudes cujusvis Feſti, niſi illud ſit duplex primæ vel ſecundæ claſſis: & ideò die vigeſima Auguſti Segniæ in Dalmatia ad Laudes de Feſto S. Stephani Confeſſoris, quod ibi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, nihil de Aſſumptione: & ideò die ſequenti vigeſima prima ejuſdem Menſis, in Congre- 1075

gre-

Digitized by Google

gregatione Regulari Olivetana ad Laudes de Feſto Beati Bernardi Ptolomæi, quod apud eam habet ritum duplicem ſecundæ claſſis, omittitur commemoratio ejuſdem Aſſumptionis. Guyetus tamen *in Heortolog. libr.* 4. *ſect.* 1. *capit.* 6. *quaſt.* 4. *pagin.* 251. videtur approbare conſuetudinem nonnullarum Galliæ Eccleſiarum à ſe ibidem nominatarum, faciendi commemorationem de Aſſumptione, quocunque Feſto adveniente: ſed hoc juxta Rubricas Romanas negat Gavantus, quia eſt Privilegium Octavarum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & SS. Corporis Chriſti tantùm, ut videre eſt apud ipſum *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 12. *ſub numer.* 25. Itidem dictus Guyetus, qui per eruditas quæſtiones vult omnia ſcire, quærit etiam *dicto libr.* 4. *ſect.* 2. *capitul.* 12. *quaſt.* 9. *pag.* 270. an aliquibus Octavis tribui poſſit, ut Feſta infra eas occurrentia transferantur, & in medium adducit conſuetudinem Pariſienſem, quæ immunem ab omni Feſto facit hanc Octavam Aſſumptionis: ſed reverà quoad hujuſmodi uſum ipſe cæteroquin digniſſimus Auctor requirit ad hoc jure faciendum vel Breviarium proprium, vel conſuetudinem legitimam, vel Privilegium Apoſtolicum, nec aliter nec alio modo. Nihilominus, ut verum fatear, habeo modò præ manibus, & ſub oculos teneo Directorium juxta Ritum Pariſienſem, & tamen die vigeſima Auguſti, quæ eſt ſexta infra Octavam Aſſumptionis, ponitur Feſtum duplex minus S. Bernardi Abbatis, cum commemoratione Octavæ: Impreſſio hujus Directorii facta eſt Pariſiis anno 1699. non impeditam in diem ſecundam certè poſt editionem Guyetanam Lutetię Pariſiorum primò factam anno 1657. Quidquid ergo ſit circa hoc, Octava Aſſumptionis non eſt privilegiata, & ideò admittit quodcunque Feſtum, non ſolùm occurrens & translatum, ſed etiam ſemiduplex ſi occurrat, imò & translatum infra Octavam, ſi veniat in ipſo Die Aſſumptionis, & in feriam ſecundam, ſi incidat in Dominicam infra Octavam, & feria

ſecun-

ſecunda non ſit impedita, ut infra dicemus ſuo loco.

Miſſa verò in tribus Diebus infra Octavam Aſſumptionis, ſi Officium fuit de ea; dicitur ut in ejus Feſto cum colore albo; in qua *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de Spiritu Sancto, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, niſi occurrat Feſtum ſimplex, ut die decima octava Auguſti, ſeu quarta infra Octavam in Eccleſia Univerſali, in quam incidit ſecunda Oratio S. Agapiti Martyris: & ſic Salisburgi, ubi die decima nona, ſeu quinta infra Octavam, in Miſſa de eadem Octava fit commemoratio de Feſto ſimplici ibi occurrente S. Magni Epiſcopi & Martyris, ut modò lego in Directorio illius pulcherrimæ Civitatis à me jam viſæ in perluſtratione Germaniæ: ergo in hujuſmodi occurentia dicitur tertia Oratio de Spiritu Sancto. Ubi autem occurrit alia Octava, etiam Dedicationis Eccleſiæ, Miſſa ſemper erit de Octava Aſſumptionis, cum ſecunda Oratione de altera Octava, & tertia de Feſto ſimplici eo die, quo occurrit, aliter tertia Oratio dicetur de Spiritu Sancto. Hæc denique Miſſa de Octava Aſſumptionis celebranda eſt etiam cum *Credo*, & in ea dicitur Præfatio de Beata Maria cum Verſiculo *Et te in Aſſumptione*. Et hæc quidem, ſi Miſſa ſit de Octava, tamquam de Die, & concordet cum Officio. 1076

Quòd ſi Officium fuerit de Feſto novem Lectionum, etiam Miſſa erit de eo, cum ſecunda Oratione Aſſumptionis, & tertia alterius Octavę ſi occurrat, vel Feſti ſimplicis incidentis, ut Univerſaliter die decima ſexta Auguſti in Miſſa S. Hyacinthi, in qua dicitur ſecunda Oratio de Octava Aſſumptionis, & tertia de Octava S. Laurentii: In Miſſa de quocunque Feſto dicitur *Credo* ratione Octavæ, licèt Feſtum per ſe illud non admitteret: ſed & Præfatio de Beata Maria cum Verſiculo *Et te in Aſſumptione*; quamvis Feſtum eſſet duplex primæ vel ſecundæ claſſis, in cujus Miſſa nihil fiat de Octava: niſi Feſtum haberet 1077

pro-

propriam Præfationem, ut ſi in aliqua Eccleſia Ambroſiana occurreret Dedicatio infra hanc Octavam, diceretur in Miſſa Præfatio propria de Dedicatione, quam ad Lectoris eruditionem extendere volumus, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnibus, æterne Deus: Qui hanc Eccleſiam Nomini tuo dicatam annua Feſtivitate illuſtras; atque myſticis ornatam virtutibus, de Terris mittis ad Cœlum. Hæc eſt enim; Domine, Mater viventium, vita, & ſalus in te credentium, Hæc eſt Sponſa Agni tui, mirabili ipſius illuſtrata decore: propter quam, clementiſſime Pater, Unigenitus tuus Crucem pertulit, & adverſarium vicit. Unde & à dextris tuis in cœleſtibus conſtituta, ac ſuorum Civium decorata virtute, Majeſtatem tuam trina voce interpellare non ceſſat. Quam laudant Angeli, atque Archangeli, &c.*

Quia verò die decimaoctava Auguſti, ſeu quarta infra Octavam Aſſumptionis, occurrit Feſtum 1078 ſimplex S. Agapiti Martyris, idcircò ſi eo die agatur alicubi de Feſto Virginis & Martyris cum Miſſa *Loquebar*, commutanda erit *Secreta* pro S. Agapito, quia omninò conveniet cum illa Feſti: & ideò illa ſola, & non aliæ, commutabitur cum alia de Communi, ita ut ſit diverſa, juxta Rubricam Generalem Miſſalis *de Commemor. tit. 7. ſub num.* 8. Poterit autem ſumi ex uno vel altero loco ejuſdem Communis, prout magis placuerit; ſiquidem *Secreta* Feſti non eſt revera de ſuo Communi. Quòd ſi eadem die decimaoctava alibi celebretur Feſtum de una Virgine tantùm, ſive de primo ſive de ſecundo loco & conſequenter cum Miſſa vel *Dilexiſti*, vel *Vultum tuum*, vel agatur de Feſto nec Virginis, nec Martyris, cum Miſſa *Cognovi*: commutanda erit pro S. Agapito *Poſtcommunio* propter ipſeitatem & identitatem utriuſque Orationis: & ideò ad varietatem ſumetur ex quovis loco de ejus Communi, ſive *Da, quæſumus* ex Miſſa *In virtute*, ſive etiam *Refecti* ex Miſſa *Lætabitur*,

quia

quia ubi Oratio commutanda non eſt de ſuo Communi, nihil officit, quòd potiùs dicatur de uno loco, quam de altero. Verum quidem eſt, quòd ſemel aſſumpta Oratione ex uno loco Communis, continuandum eſt in illo, juxta Axioma Legale: *quod ſemel placuit, nunquam diſplicere debet*. Sic apud Minores S. Franciſci, quia dicta die decima octava agitur de S. Clara de Monte Falco ſub ritu duplici minori, cum Miſſa *Dilexiſti*, ſemper commutatur Poſtcommunio S. Agapiti, ſemperque dicitur ad varietatem *Da*, *quæſumus* ex primo loco. Sic Venetiis, quovis anno (niſi occurrat Dominica) eadem die decima octava Auguſti fit de S. Helena Vidua ſub ritu ſemiduplici, cum Miſſa *Cognovi*, ibique Poſtcommunio pro S. Agapito eſt ſemper *Refecti* ex ſecundo loco. Ubi autem S. Agapitus celebratur cum Officio novem Lectionum, ut Aquilejæ & Piſis ac Parentii ſub ritu ſemiduplici, ceſſat dicta commutatio, ſicuti ſi occurrat Dominica, quia Feſtum ſemiduplex in Dominica occurrens, transfertur, loquendo de S. Helena apud nos, non verò de S. Clara de Monte Falco apud Franciſcanos, quia celebratur ſub ritu duplici minori remanente in Dominica.

Veſperæ denique de Die infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſemel dumtaxat poſſunt eſſe integræ, ſemel pariter à Capitulo, ſæpè ſolam habent commemorationem, & quandoque etiam illam deperdunt. Itaque erunt integræ die decima octava Auguſti, ſi Officium ſit tum eo die, tum etiam die ſequenti de Octava: & tunc dicuntur, ut in ſecundis Veſperis Feſti, juxta Rubricam Generalem Breviarii *de Octavis*, *titul.* 7. *ſub numer.* 5. Fit autem in eis commemoratio de quacunque Die alicubi occurrente infra aliam Octavam, & hæc poteſt eſſe unica (ut reor) commemoratio in his Veſperis de Die infra Octavam Aſſumptionis, niſi alibi daretur commemoratio de Feſto ſimplici, ut die decima octava Auguſti in Veſperis de Octava fit 1079

Salis-

Salisburgi commemoratio de Feſto ſimplici S. Magni Martyris. Dividi autem poſſunt Veſperæ à Capitulo, ubi dicta die decima octava occurrit Feſtum ſemiduplex, & die ſequenti Officium eſt de Octava ſiquidem ibi Veſperæ uſque ad Capitulum ſunt de Feſto Semiduplici, à Capitulo verò ſunt de Octava, cum commemoratione ejuſdem Feſti Semiduplicis. Sunt autem Veſperæ uſque ad Capitulum excluſivè de Octava, ſi die decima octava Officium fuit de ea, & die ſequenti occurrat Dominica.

In aliis tamen Diebus infra hanc Octavam Aſ- 108
ſumptionis occurrentibus & impeditis, Veſperæ habent ſolam commemorationem de Octava, ut die decima ſexta Auguſti, ſeu ſecunda infra Octavam, Veſperæ ſunt à Capitulo de ſequenti Die Octava S. Laurentii, cum commemoratione de præcedenti Feſto S. Hyacinthi, vel alicubi S. Rochi extra Eccleſiam propriam, deinde fit commemoratio de Octava Aſſumptionis. Tunc denique Dies infra Octavam amittit in Veſperis ſuam commemorationem, quando Officium factum eſt de duplici primæ vel ſecundæ claſſis: ita Segniæ in Dalmatia, & in omnibus Eccleſiis Hungaricis die vigeſima Auguſti fit de S. Stephano Confeſſore, Rege Hungariæ, & illius Regni Patrono, & quia eſt ibi Feſtum duplex primæ claſſis, in utriuſque Veſperis de eo nihil fit de Octava Aſſumptionis: ita Genuæ in Liguria fit eodem die de S. Bernardo Abbate, illius Civitatis itidem Patrono, & conſequenter ſub eodem ritu duplici primæ claſſis, & utrobique Veſperæ ſunt abſque commemoratione Aſſumptionis: ita die vigeſima prima ejuſdem Auguſti in Congregatione Regulari Olivetana fit de Beato Bernardo Ptolomæo ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & in primis ejus Veſperis omittitur commemoratio de hac Octava Aſſumptionis, ſed in ſecundis fit commemoratio, quia eſt de Die Octava. Attamen illud hoc loco notandum eſt, quòd ſi alicubi die decima ſeptima vel vigeſima Auguſti celebraretur Feſtum duplex

ſecundæ claſſis, & die decima octava, vel vigeſima prima ejuſdem Menſis Officium eſſet de Die infra Octavam, in ſecundis Veſperis de illo duplici ſecundæ claſſis facienda eſſet commemoratio Octavæ, vigore duarum Rubricarum, nempè, *de Commemor. titul. 9. ſub numer. 6.* & in tertio Notando *poſt Tabell. de Concurren.*

§. VI.

De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

HÆc Dominica infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis poterat uſque ad Annum 1738. ſuum ex integro habere Officium Dominicale tribus Diebus infra hanc Octavam in Eccleſia Univerſali, nempè modò decima octava, modò decima nona, & modò vigeſima prima Auguſti. Attamen hodie hæc eadem Dominica eſt ſemper impedita à Feſto S. Joachimi Confeſſoris, ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis Patris, quòd ex die vigeſima Martii tranſlatum fuit ſub ritu duplici majori in hanc Dominicam, ut clarè patet ex ſequenti recentiſſimo Decreto, in quo & Feſtum S. Annæ Conjugis ex ritu duplici minori elevatur ad ritum duplicem majorem: Eſt igitur Decretum tenoris ſequentis, videlicet: = *Urbis & Orbis*: = *Cùm enixè, ac ſæpiùs Sacra Cæſarea Majeſtas inſtiterit, ut Feſtum S. Joachim perindè, ac S. Annæ Conjugis, eſſet in Eccleſia Univerſali de præcepto: Sacra Rituum Congregatio, Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinale Gotto* 1081

reſe,

referente, re maturè, nec ſemel diſcuſſa; ita denique cenſuit annuendum, ut; ne Feſta de præcepto multiplicentur, debitus tamen honor Genitori Matris Dei non denegetur, Feſtum ejuſdem S. Joachim à die vigeſima Martii ad Dominicam poſt Aſſumptionem Beatiſſimæ Virginis ejus Filiæ transferatur, in eaque ſub ritu duplici majori, ut & Feſtum S. Annæ Conjugis ſub eodem ritu deinceps celebretur, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit: Die 20. Septembris 1738. = Facta igitur de prædictis per me infraſcriptum Secretarium eidem Sanctiſſimo relatione, Sanctitas Sua, ut Sanctiſſimorum Matris Dei Genitorum Cultus augeatur, libenter approbavit, atque ità in poſterum ſervari ubique mandavit: Die 3. Octobris ejuſdem Anni 1738. = C. Card. de Marinis Præf. = Loco ✠ Sigilli. = T. Patriarcha Hieroſolymitanus S. R. C. Secr. = Romæ, MDCCXXXVIII. ex Typographia Rev. Cam. Apoſt.

Hiſce præmiſſis, ad Primam in Officio Sabbati 1682
ante hanc Dominicam infra Octavam, annunciandum erit primo loco (ut reor) in Martyrologio Elogium S. Joachimi, ſcilicet: *In Judæa ſancti Joachim Patris Beatiſſimæ Virginis Genetricis Dei Mariæ*, quia hæc non eſt translatio Feſti impediti, ſed aſſignatio alterius Diei fixi tanquàm proprii. Quoad primas Veſperas, ſi hæc Dominica venerit die decima ſexta Auguſti, in ſecundis Veſperis de Aſſumptione fit commemoratio S. Joachim & Dominicæ ſequentis, translato juxta Rubricas Feſto S. Hyacinthi Confeſſoris. Torcelli verò, & in Eccleſia S. Rochi, quia die decima ſexta fit illic de Dedicatione Cathedralis, iſtic verò de ſuo Titulari; utrobique ſub ritu duplici primæ claſſis, ideò ibi transfertur Feſtum S. Joachimi; & nihilominùs in ſecundis Veſperis de Aſſumptione fit commemoratio ſequentis, improbata rationabiliter à Gavanto illorum opinione, qui recitant primas Veſperas integras de S. Rocho in ſua Eccleſia, cum commemoratione Aſſumptionis; ut videre eſt apud ipſum *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 9. *ſub numer.* 3. Quòd ſi Dominica

 occur-

occurrerit die decima ſeptima Auguſti, in Eccleſia Univerſali transfertur Feſtum S. Joachimi, & fit de Die Octava S. Laurentii, ita ut in ſecundis Veſperis de S. Hyacintho dicatur Capitulum de dicta Die Octava, cum commemoratione S. Hyacinthi, & Dominicæ, ac Aſſumptionis: ſed Torcelli, & in Eccleſia S. Rochi in ſecundis Veſperis de uno vel altero Feſto ibidem occurrente fit commemoratio de ſequenti Die Octava S. Laurentii, ſed non Aſſumptionis.

Si verò hæc Dominica infra Octavam inciderit in diem decimam octavam Menſis, Veſperæ in Eccleſia Univerſali ſunt de ſequenti Feſto S. Joachimi, & dicuntur ex Communi Confeſſoris non Pontificis, ſed poſt Hymnum, Verſiculus, Reſponſorium, Antiphona ad Magnificat, & Oratio ſumuntur interim ex die vigeſima Martii, donec Feſtum reponatur hoc loco in Breviariis noviſſimis: ſed poſt Orationem Feſti fit commemoratio de præcedenti Die Octava S. Laurentii, & Dominicæ, ac Aſſumptionis, nec non S. Agapiti. At veniente Dominica in die decima nona Auguſti, adhuc primæ Veſperæ ſunt de S. Joachimo, cum commemoratione Dominicæ, & Aſumptionis: Salisburgi verò additur commemoratio de Feſto ſimplici particulari S. Magni Epiſcopi & Martyris. Quòd ſi Dominica occurrat die vigeſima Menſis, translato in Eccleſia Univerſali Feſto S. Bernardi Abbatis, Veſperæ ſunt, ut ſupra die præcedenti: Genuæ verò in Liguria, ubi S. Bernardus celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, transfertur S. Joachimus, ſed Segniæ in Dalmatia à parte Imperii transfertur & S. Joachimus, & S. Bernardus, quia ibi eo die celebratur Feſtum duplex primæ claſſis de S. Stephano Rege Confeſſore, unde utrobique die vigeſima nona Veſperę ſunt ibidem de ſuo reſpectivè Patrono, cum ſola commemoratione Dominicæ. Denique ſi hæc Dominica veniat die vigeſima prima, primæ Veſperæ ſunt integræ de S. Joachimo, & fit in eis commemoratio tum Do-

1083

Dominicæ; tum etiam Aſsumptionis.

Quia verò hæc Dominica infra Octavam Aſſumptionis, de qua ſemper facienda eſt commemoratio; non ſemper habet eandem Antiphonam in ſuis primis Veſperis, ideò ſi venerit à die decima ſexta Auguſti incluſivè, uſque ad diem decimam nonam excluſivè, Antiphona pro primis ejus Veſperis erit *Omnis Sapientia*, quia ſemper occurret tertia Menſis Auguſti, cum Verſiculo tamen & Reſponſorio de Sabbato in Pſalterio. At ſi occurrerit à die decima nona incluſivè uſque ad vigeſimam primam itidem incluſivè, dicenda erit Antiphona *Sapientia clamitat*, quia ſemper erit quarta ejuſdem Menſis, cum Verſiculo & Reſponſorio, ut ſupra. Oratio autem pro ejuſdem Dominicæ commemoratione, non poteſt abſolutè aſſignari; qualis reverà illa eſse debeat, ſed hoc erit ſemper verum, quòd una recurret ex quinque ſequentibus poſt Pentecoſtem, ſcilicèt, decima, undecima; 12. 13. & 14. & non alia: quapropter ſpectabit ad Kalendariſtas Locorum citare in annuis Libellis Diœceſanis occurrentem Dominicam, cùm non ſit Rubriciſtarum aſſignare; niſi plures; quæ uno vel altero Anno occurrere poſsunt. 1084

Quoad Officium in dicta Dominica infra Octavam Aſsumptionis celebrandum; illud erit de Feſto S. Joachimi ſub ritu duplici majori. Omnia dicuntur, ut in Communi Confeſsoris non Pontificis, ſed Lectiones omnium & trium Nocturnorum ſumuntur interim ex die vigeſima Martii, quia cùm Decretum ſit noviſſimum; nondum haberi poſsunt hoc proprio loco in Breviario. Nona tamen Lectio dicenda eſt de Dominica occurrente poſt Pentecoſten: ſed hic adnotandum opportunè credimus, quòd benè erit, ſi ex octava & nona Lectione de Feſto fiat una, quia agitur ibi de S. Joachimo, ut in ſimilibus hortatur Gavantus *tom. 2. ſect. 5. capitul. 12. ſub numer. 18.* ex Rubrica Breviarii *de Lect. tit. 26. ſub num. 3.* Ad Laudes poſt Hymnum de Communi, dicitur Verſi- 1085

culus & Reſponſorium, ac Antiphona ad *Benedi-ctus*, cum Oratione, ut in primis ejus Veſperis: deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis, & Aſsumptionis, ac etiam Feſti ſimplicis, ſi occurrat, ut ſi Dominica veniat die decima octava, fit commemoratio etiam S. Agapiti: ſi verò incidat in diem decimam nonam, Salisburgi fit commemoratio de Feſto ſimplici particulari S. Magni Epiſcopi Martyris. Ubi autem occurrit aliqua Dies infra Octavam ſpecialem, fit itidem de ea commemoratio, ſed poſt illam de Aſsumptione, licèt eſset Dies infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ. Ad Primam verò in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es*, & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria*, &c.

Prædicta tamen valent, ſi fiat de S. Joachimo, nam & in Eccleſia Univerſali, & ſæpiùs in particulari transferri poteſt & debet hoc Feſtum S. Joachimi: & quidem in Eccleſia Univerſali, ſi hæc Dominica occurrat die decima ſeptima Auguſti in Die Octava S. Laurentii. In Eccleſia verò particulari; ſi Dominica veniat eo die, quo ibi fit de alia Die Octava, vel de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis: ſic ſi Dominica incidat in diem vigeſimam, Imolæ, & Comacli fit de Die Octava S. Caſſiani Epiſcopi & Martyris: & eodem die Genuæ in Liguria celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis Feſtum S. Bernardi Abbatis, & Segniæ in Dalmatia à parte Imperii occurrit ſub eodem ritu Feſtum S. Stephani Regis Conſeſsoris: & denique veniente Dominica in die decima nona Auguſti, in quolibet Ordine Minorum S. Franciſci fit de S. Ludovico Epiſcopo Confeſsore ſub ritu duplici ſecundæ claſſis: In quibus Locis & Eccleſiis, translato Feſto S. Joachimi, fit Officium de ſua reſpectivè Die Octava, & de ſuo Sancto, cum nona Lectione ad Matutinum, & commemoratione Dominicæ ad Laudes, non autem de Aſſumptione, niſi in Laudibus de Die Octava: & 1086

nihil-

nihilominus in quolibet Officio & ad Primam dicitur Verſiculus *Qui natus es*, & ad omnes Horas clauſula Hymnorum erit *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.*

Quia verò hæc Dominica infra Octavam poteſt eſſe modò tertia Auguſti, in qua *Incipit Liber Sapientiæ*, & modò quarta, in qua *incipit Liber Eccleſiaſtici*, cùm neutrum ex dictis duobus Initiis poſſit recitari in Feſto S. Joachimi proprias habentis Lectiones in primo Nocturno, ideò unum vel alterum occurrens ponetur in Feria ſecunda ſequenti: ſed translato Feſto S. Joachimi interdum occurrens in Die Octava S. Laurentii, ea die recitabitur illud *Sapientiæ* in primo Nocturno illius Officii, ut docet Rubrica Breviarii poſita ante Dominicam tertiam Auguſti: Idem dicendum de Initio Dominicæ quartæ, ſi occurrat die vigeſima, reſpectu Diei Octavæ S. Caſſiani in Eccleſiis Imolenſibus & Comaclenſibus. Non ſic tamen ſi Dominica incidat in Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, quia ſemper *Initium* erit impeditum, & conſequenter reponendum in Feria ſecunda, vel in tertia non impedita: Sic etiam erit transferendum, ſi alicubi in hac Dominica agendum ſit de Die Octava Dedicationis, tum quia Rubrica vult repetitionem Lectionum de Feſto: tum quia ſic noviſſimè reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Eiſidlen. ſub die* 5. *Maii* 1736. ubi ſic reſcripſit: *In Die Octava Dedicationis ſemper ſunt repetendæ Lectiones in primo Nocturno, quæ jam lectæ fuerunt in primo Nocturno Officii de ipſomet Feſto Dedicationis*, ut refert P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 308. Cæterùm ad Laudes cujuſvis Diei Octavæ poſt commemorationem Dominicæ fit etiam commemoratio Aſſumptionis, quæ tamen omittitur in duplici primæ & ſecundæ claſſis. 1087

Miſſa tamen in hac Dominica infra Octavam Aſſumptionis erit de S. Joachimo, & quidem propria, cujus Introitus *Diſperſit*, *dedit Pauperi-* 1088

bus, ſumenda interim ex die vigeſima Martii, donec reponatur hoc loco in Miſſali noviſſimo. Poſt Epiſtolam dicendum eſt Graduale juxta hoc tempus poſt Pentecoſten: & ideò recitato Pſalmus 111. *Diſperſit*, *&c.* dicitur ℣. *Potens in terra*, *&c.* in cujus fine adduntur duo *Alleluja*: deinde omiſſo Tractu & primo ℣. ſumitur (ut reor) ſecundus ℣. *O Joachim*, *ſancte Conjux Anna*, *Pater alma Virginis*, *hìc famulis confer ſalutis opem*, & ſtatim additur unum *Alleluja*. Poſt Orationem Feſti, omiſsa commemoratione tunc temporis occurrente & ibi citata, fit commemoratio Dominicæ occurentis, & Aſsumptionis, de qua etiam Præfatio, cum Evangelio ejuſdem Dominicæ in fine. Et hæc quidem, ſi Miſsa dicenda ſit de Feſto S. Joachimi: nam ſi Dominica impedita ſit ab aliqua Die Octava, vel à Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, etiam Miſsa erit de illa vel illo: ſed in Miſsa de Die Octava fiet commemoratio Aſsumptionis poſt illam Dominicæ, quæ tamen commemoratio Aſſumptionis omittenda erit in Miſsa de uno vel altero Feſto ex dictis ſolemnioribus. Quodcunque verò ſit Officium vel Feſtum in hac Dominica celebrandum cum translatione S. Joachimi, ſemper in Miſsa fit commemoratio Dominicæ, & in fine legitur ejus Evangelium, ac niſi habeatur Præfatio propria, dicitur illa de Octava *Et te in Aſſumptione*: Ante Miſsam tamen ſolemnem in Cathedralibus & Collegiatis, aliiſque Eccleſiis laudabilem conſuetudinem habentibus fit aſperſio Aquæ benedictæ.

Quoad tandem ſecundas Veſperas in hac Do- 1089
minica recitandas vel canendas, attendenda eſt Dies, in quam incidit ipſa Dominica: ſiquidem ſi occurrat die decima ſexta Auguſti, in ſecundis Veſperis dicendis de Communi Confeſsoris non Pontificis fit commemoratio de ſequenti Die Octava S. Laurentii, & Dominicæ, ac Aſsumptionis. Si verò veniat die decima ſeptima, & die ſequenti reponatur Feſtum translatum S. Joachi-

chi-

chimi, primæ Veſperæ erunt: integræ de eo, cum commemoratione de præcedenti Die Octava S. Laurentii, & Dominicæ, ac Aſſumptionis, nec non S. Agapiti. Quòd ſi Dominica occurrat die decima Octava, Veſperæ dicuntur de S. Joachimo, & fit in eis commemoratio Dominicæ, & Aſſumptionis: ſic dicendum, ſi Dominica incidat in diem decimam nonam, vel vigeſimam Menſis. De Dominica verò veniente in die vigeſima prima, dicemus in primis Veſperis de Die Octava Aſſumptionis. Ubi autem in Feria ſecunda fit de Feſto duplici primæ claſſis, in primis ejus Veſperis omittitur commemoratio de S. Joachimo, de Dominica præcedenti, de Aſſumptione, dictæque commemorationes] omittuntur Genuæ in Liguria, ſi Dominica veniat die decima nona, quia die vigeſima Feſtum S. Bernardi Abbatis eſt duplex primæ claſſis: & ſic in dicta occurrentia Dominicæ in die decima nona fit omiſſio dictarum commemorationum Segniæ in Dalmatia ob Feſtum duplex primæ claſſis de S. Stephano Rege Confeſſore in dicta Feria ſecunda tunc occurrens. Si verò in dicta Feria ſecunda veniat alicubi duplex ſecundæ claſſis, in primis ejus Veſperis facta commemoratione S. Joachimi, omittuntur aliæ ut ſupra: caſus autem hujuſmodi eſt apud Franciſcanos, ſi Dominica occurrat in die decima octava, quia in Feria ſecunda celebrant Feſtum S. Ludovici Epiſcopi Confeſſoris ſub eodem ritu duplici ſecundæ claſſis. Quid autem agendum de hac Dominica in ſecundis ejus Veſperis, ſi ſit impedita à duplici primæ claſſis admittente ejus commemorationem, & in Feria ſecunda fiat de duplici ſecundæ claſſis dictam Dominicæ commemorationem excludente in primis ſuis Veſperis? Videantur quæ ad hanc rem dicta ſunt in hoc *tom. 2. cap. 1. §. 8. ſub num. 711. pag. 88.*

At quid agendum, ſi in aliqua Civitate & Diœceſi affixum ſit huic Dominicæ infra Octavam Feſtum Patrocinii Beatæ Virginis Mariæ? 1090

nam

nam ex conceſſione Apoſtolica *de die* 4. *Aprilis* 1705. celebratur Patavii in Dominio Veneto, attributa Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Georgio Cardinali Cornelio tunc digniſſimo illius Civitatis Epiſcopo facultate aſſignandi diem ſibi benè viſum, & ipſe aſſignavit perpetuò hanc Dominicam, Reſpondeo: vel Patrocinium eſt in paritate ritus, & tunc fit de eo, cum translatione S. Joachimi: vel eſt duplex minus, & tunc fit de S. Joachimo, cum tranſlatione Patrocinii: erit tamen dumtaxat duplex minus, ſi in conceſſione dicatur tantùm *duplex*, ſine expreſſione maioris vel minoris, etiamſi conceſſio ad honorem Deiparæ facta fuerit, ut de ſuis conceſſionibus ſic emanatis intelligendum eſse declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Valentina ſub die* 2. *Octobris* 1683. & iterum *in Lauden. ſub die* 20. *Novembris ejuſdem Anni*. An verò ibi transferendum Patrocinium ſine tali expreſſione conceſsum, vel ſit omittendum, totum omninò pendet ex verbis Indulti, nam ſi nihil habeatur ſpeciale quoad ejus tranſlationem in caſu impedimenti, ſubintrat Decretum de omiſſione Feſti, in præciſis terminis etiam Patrocinii emanatum *anno* 1683. *ſub die* 20. *Martii*: Prædicta verò Decreta habentur in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. marginal.* 968. *&* 976. & illa poſt modum refert P. Merati in doctiſſimis Additionibus ad Gavantum *tom.* 2, *part.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 139. *&* 144.

Hujuſmodi autem Feſta, ſic, ut præfertur Dominicis affixa, omittuntur impedita, tanquàm particularia: nam quæ univerſalia ſunt, licèt affixa Dominicis, transferuntur ſi impediantur, prout iſtud noviſſimum S. Joachimi ita modò affixum huic Dominicæ infra Octavam Aſſumptionis: & clarè patet ex Feſtis Dominicam fixam habentibus SS. Nominis tum JESU, tum MARIÆ, tum etiam SS. ROSARII. Si verò dictum Feſtum Patrocinii Beatæ Virginis tanquàm duplex majus celebretur ratione majoris 1091

di-

dignitatis, quam habet in occurrentia S. Joachimi eundem ritum habentis, nihil fiet in Miſsa de Aſsumptione, eo prorsùs modo, quo nihil fit de Octava Nativitatis ejuſdem Beatæ Virginis in Miſsa de ejus SS. Nomine, nihilque de Conceptione in Miſsa de Translatione Almæ Domus Lauretanæ, ubi die decima Decembris celebratur ejus Feſtum: Prædictum tamen Feſtum Patrocinii, licèt tanquam dignius, locum habeat in paritate ritus à Feſto S. Joachimi, cedit tamen Diei Octavæ S. Laurentii Levitæ, ſi hæc Dominica infra Octavam incidat in illum diem, nam præter caſum de Feſto S. Mariæ ad Nives transferendo, ut celebretur Dies Octava S. Marthæ Virginis, juxta Octavarium Romanum: ita decrevit ad favorem Diei Octavæ Dedicationis occurrentis in Feſto duplici majori Viſitationis Beatæ Virginis, *in Aquilejen. anno* 1688. *ſub die* 21. *Auguſti*: & antea idem reſolverat pro qualibet Die Octava veniente in Feſto Præſentationis ejuſdem Beatæ Mariæ, quod ritum habet duplicem majorem, *in una Galliarum, anno* 1693. *ſub die* 10. *Januarii*: utrumque enim Decretum refert P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice, ſub num.* 181. *&* 244.

Si denique in hac Dominica infra Octavam Aſsumptionis occurrat alicubi Feſtum ſemiduplex, illud transfertur in Feriam ſecundam ſequentem, non tamen impeditam ab alio Feſto occurrente, ut dicitur in Rubrica Breviarii *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub num.* 5. etiamſi haberetur reponendum aliquod Duplex translatum etiam primæ claſſis, ut ex Declaratione Sacræ Rituum Congregationis fuſiùs diximus in hoc eodem *tom.* 2. *cap.* 1. §. 9. *per tot.* Unde apud nos Venetiis, quotieſcunque hæc Dominica infra Octavam veniat die vigeſima Auguſti, celebratur in Feria ſecunda ſequenti Feſtum ſemiduplex S. Samuelis Prophetæ Confeſsoris translatum ex Dominica heſterna, protracto ulteriùs Feſto duplici univerſali S. Hyacinthi itidem Confeſsoris, 1092

(quod

(quod occurrebat die decima ſexta præfati Menſis) à nobis ſemper translato ob occurrentiam S. Rochi Confeſsoris ritum duplicem minorem per Urbem habentis. Ultimus autem caſus noſtri Kalendarii ſeu Directorii contigit anno 1730. In nova verò Dominicæ hujuſmodi occurrentia in dicta die vigeſima Auguſti, quæ erit anno 1740. duo habebimus Feſta duplicia translata reponenda poſt noſtrum Feſtum ſemiduplex jam repoſitum in Feria ſecunda non impedita, nempe, dictum Feſtum S. Hyacinthi ratione S. Rochi, & illud S. Bernardi Abbatis ratione noviſſimi Feſti S. Joachimi tunc die vigeſima Auguſti in hac Dominica infra Octavam occurrentis.

§. VIII.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Dies Octava Aſsumptionis Beatæ Mariæ Virginis celebratur ſub ritu duplici in colore albo. Breviarium autem Pariſienſe hanc Diem Octavam parem facit Diei Octavæ Nativitatis Domini, ut ait Guyetus *in Heortolog. lib. 4. ſect. 2. cap. 12. quæſt. 9. pagin. mihi* 270. At quidquid ſit de illo uſu ſpeciali, certè juxta Rubricas Romanas hæc Dies Octava eſt tantùm duplex, quod quidem excludit etiam duplex majus; ut ex duabus Rubricis optimè infert Gavantus *tom. 2. ſect. 3. cap. 8. ſub numer.* 13. & nos pluribus in locis ſuperiùs nonnulla retulimus exempla ab Octavario Romano deſumpta, quibus 1093

pro-

probatur duplicium majorum excluſio in Diebus Octavis occurrentium. Attamen hæc eadem Dies Octava non procedit ulteriùs in excluſione Feſtorum duplicium primæ vel ſecundæ claſſis, ſi forſan incidant alicubi in eam, quæ idcircò celebrantur cum commemoratione Diei Octavæ. Heri tamen in Officio ad Primam Martyrologicus Lector poſt Kalendarum Lunariſque ætatis pronunciationem annunciavit primo loco *Octava Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis*. At quid dicendum, ſi in hac Die Octava veniat alicubi Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis? Guyetus adducit caſum hujus Diei Octavæ Aſsumptionis ad probandum, quòd in Eccleſia S. Symphoriani annuncianda ſit primo loco in Martyrologio dicta Dies Octava, deinde Feſtum illius Titularis, ut videre eſt apud ipſum *lib.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 14. *quæſt.* 4. *pag.* 126. ſed hoc, ut verum fatear, non ſatis mihi probatur: ſiquidem non eſt de facili diſcedendum à Regulis Martyrologicis, in quibus præſcribitur primo loco annunciatio illius Feſti, de quo principaliter eo die fit Officium.

1094 Quia verò Officium de Die Octava Aſsumptionis incipit à primis Veſperis, ideo de iſtis primò aliquid occurrit dicendum. Primæ igitur Veſperæ ſunt ſemper integræ in Eccleſia Univerſali, & dicuntur ut in primis Veſperis Feſti, cum commemoratione de Feſto ſimplici SS. Mm. Timothei & Sociorum: at ſi alicubi incidat Dies infra Octavam ſpecialem, fit etiam commemoratio de ea ante illam Feſti ſimplicis: Sic Genuæ in Liguria fit commemoratio de Octava S. Bernardi Abbatis, Segniæ in Dalmatia à parte Imperii fit commemoratio de Octava S. Stephani Regis Hungariæ & Confeſsoris, & ita apud omnes Ordines Minorum S. Franciſci fit commemoratio de Octava S. Ludovici Toloſani Epiſcopi & Confeſsoris, ſed in Eccleſiis particularibus præponitur Feſto ſimplici commemoratio de Die infra Octavam ibi ut ſupra occurrente.

At

At ſi die vigeſima prima Auguſti actum ſit alicubi de Feſto duplici minori, ut pluribus in Locis fit de Feſto translato S. Hyacinthi Confeſſoris, eo quòd ibi die decima ſexta Officium fuit de S. Rocco Confeſſore: vel dicta die vigeſima prima alibi occurrat aliqua Dies Octava, ut Comacli incidit Dies Octava Dedicationis illius Cathedralis: Veſperæ non ſunt dividendæ à Capitulo, ut inferendum videtur ex Rubrica *de Concurren. Offic. tit.* 11. *ſub num.* 2. *&* 7. ſed integræ ſunt de ſequenti Die Octava, cum commemoratione præcedentis Duplicis minoris, vel alterius Diei Octavæ, ac SS. Mm. ſiquidem ſic declaravit Sacra Rituum Congregatio in ſequenti Reſponſione, ſcilicet: *Pro parte P. Procuratoris Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium, nec non pro parte Prioris dictorum Canonicorum Regularium ad Pacem de Urbe, ſupplicata fuit Sacra Rituum Congregatio pro declaratione inter alia ſequentis Dubitationis, nempè: An Dies Octavarum Aſſumptionis, Nativitatis, aliarumque Feſtivitatum Beatæ Virginis Mariæ Octavam habentium, concurrentes cum Officio duplici minori, habere debeant integras Veſperas, ut videtur diſponere Rubrica, ex ordine hujus Sacræ Congregationis ultimò poſita in Officio Octavæ Conceptionis, ſi concurrat cum S. Lucia? Et Sacra eadem Rituum Congregatio ſub die* 1. *Martii* 1681. *ad tertium Dubium reſpondit, Affirmativè.* = *Pro Eminentiſs. D. Card. Facbenetto Nicolaus Cardin. Ludoviſius.* = *L.* ✠ *S.* = *Bernardinus Caſalius S. R. C. Secretar.* Et iterum idipſum declaravit eadem Sacra Congregatio *anno* 1691. *ſub die* 11. *Auguſti*, nempè, quòd *quæcunque Dies Octava Beatæ Mariæ Virginis debet habere integras utraſque Veſperas in concurrentia cum Officio duplici minori*, ut habet Clericatus *de Sacrific. Miſſæ, initio Operis, Decreto* 56. & refert etiam P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice, ſub num.* 167. 1095

Quòd ſi die vigeſima prima Auguſti alicubi actum ſit de Duplici minori, vel de aliqua Die Octava, & die ſequenti agendum ibidem de Feſto 1096

ſto duplici primę vel ſecundę claſſis, Veſperę erunt quidem de ſequenti, ſed priùs fiet commemoratio de Die Octava Aſumptionis, deinde de pręcedenti duplici minori, quia ſi dicta Dies Octava Aſumptionis habet locum in integris Veſperis in concurrentia cum pręcedenti duplici minori, debet etiam habere in commemoratione, ſed in hoc caſu nihil fit de Feſto ſimplici SS. Mm. Timothei & Sociorum. At ſi dicta die vigeſima prima actum fuerit de duplici primę claſſis, in ſecundis ejus Veſperis fiet commemoratio ſequentis Octavę, ſed non ſanctorum Martyrum, qui tamen ſuam gaudebunt commemorationem poſt illam de Die Octava Aſumptionis in ſecundis Veſperis de Duplici ſecundę claſſis alicubi forſan occurrente in ſępè dicta die vigeſima prima Auguſti. At ſi die vigeſima prima occurrat Dominica, quia in eam incidit ex noviſſimo Decreto ſupra relato Feſtum S. Joachimi Confeſsoris ſub ritu duplici majori, ideò Veſperę in dicta Dominica erunt ex integro ſecundę de eo, cum commemoratione de ſequenti Die Octava Aſumptionis, & Dominicę, ac Feſti ſimplicis: Patavii verò, ubi in hac Dominica fit de Feſto Patrocinii Beatę Marię Virginis, ſi ſit duplex majus, in ſecundis ejus Veſperis fit quidem commemoratio Dominicę, & Feſti ſimplicis, ſed non de ſequenti Die Octava Aſumptionis. Quòd ſi Dominica venerit in ipſa Die Octava Aſumptionis, tranſlato Feſto S. Joachimi, dicentur in Sabbato primę Veſperę de ſequenti Die Octava, cum commemoratione Dominicę, cujus Antiphona *Sapientia clamitat*, quia erit ſemper quarta Menſis Auguſti, Verſiculus tamen & Reſponſorium ſumetur ex Pſalterio in Sabbato, ſed Orationem dabit Dominica illa, quę eo anno recurret à Pentecoſte: & poſt commemorationem Dominicę fiet etiam commemoratio de Feſto ſimplici. Patavii tamen in dicta Dominicę occurrentia omittitur vel transfertur Feſtum Patrocinii, juxta verba Decreti de Conceſſione ſiqi facta.

Quo-

Quoad verò Officium in ipſa Die Octava Aſſumptionis celebrandum, illud fit ut in Die, exceptis omnium & trium Nocturnorum Lectionibus, quæ ſunt propriæ. Nona tamen Lectio dicitur de Feſto ſimplicis SS. Mm. Timothei & Sociorum, cum eorum commemoratione in Laudibus, ante quam fit alia commemoratio de aliqua Die infra Octavam ſpecialem, ſi alicubi occurrat. Quòd ſi hodie incidat Dominica, omiſſa ad Matutinum Lectione de Sanctis Martyribus, dicitur nona Lectio de Dominica occurrente, & fit ad Laudes ejus commemoratio, deinde Feſti ſimplicis. At quia in illa Dominica, quæ ſemper erit quarta Auguſti, *Incipit Liber Eccleſiaſtici*, qui hac die inchoari non poteſt propter Lectiones proprias primi Nocturni de Canticis Canticorum, ideò hujuſmodi *Initium* ſic ut præfertur impeditum, ponendum erit in Feria ſecunda immediatè ſequenti in Officio S. Philippi Benetii: in Eccleſiis verò S. Mariæ Servorum, in quibus Feſtum dicti S. Philippi celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, ponetur præfatum *Initium* in Feria quarta, quia in Feria tertia fit de Feſto Univerſali S. Bartholomæi Apoſtoli proprias vel tanquam proprias in primo Nocturno Lectiones habente: niſi dicti Regulares Servitæ morentur Romæ, vel alibi, ubi Feſtum S. Bartholomæi celebratur die vigeſima quinta Auguſti, quia ibi *Initium* recitabunt die vigeſima quarta in dicta Feria tertia. 1097

At ſi die vigeſima ſecunda Auguſti fuerit Sabbatum, fiet in eo de Vigilia anticipata S. Bartholomæi Apoſtoli cum Jejunio, ſi ejus Feſtum celebretur die vigeſima quarta ejuſdem Menſis: & ideò ad Matutinum dicetur nona Lectio de Homilia illius Vigilię, & fiet ejus commemoratio ad Laudes, deinde etiam SS. Mm. Timothei & Sociorum. Occurrente verò hodie alicubi Feſtum duplex primę claſſis, Officium quidem erit de eo, cum commemoratione de Die Octava Aſſumptionis, ſed nihil fiet de Feſto ſimplici, 1098

de

de quo tamen erit nona Lectio, & reſpectivè commemoratio, ſi Feſtum illud fuerit duplex ſecundæ claſſis. Quòd ſi Feſtum, ut ſupponitur, duplex ſive primæ ſive ſecundæ claſſis, fuerit forſan de Communi Confeſſoris Pontificis, cum Oratione *Da, quæſumus* ex primo loco, & hodie occurrerit Sabbatum, commutanda erit Oratio Feſti, dicendo *Exaudi* ex ſecundo loco ejuſdem Communis, & hoc ad varietatem, ne conveniamus cum illa Vigiliæ tunc anticipatæ, cujus Oratió conſideratur tanquam propria. Quòd ſi forſan alicubi occurrat in hac die vigeſima ſecunda Feſtum duplex primæ claſſis, & hodie ſit Sabbatum, ſervato ibi Jejunio, nihil fiet de Vigilia anticipata S. Bartholomæi Apoſtoli, ſi ejus Feſtum celebratur die vigeſima quarta Auguſti: & hoc vigore Rubricæ *de Vigiliis*, *tit.* 6. *ſub numer.* 2. Caſus autem eſt Cracoviæ in Polonia, ubi hac die vigeſima ſecunda fit de S. Hyacintho Confeſſore ſub ritu duplici primæ claſſis.

Ubi denique celebratur Feſtum de Patrocinio Beatæ Mariæ Virginis, huic Dominicæ affixum, 1099
ut Patavii, quotieſcunque in hanc Diem Octavam incidat Dominica, licèt ſit duplex majus, erit ibi omittendum, vel transferendum, juxta tenorem conceſſionis Apoſtolicæ. Nec enim valet exemplum de SS. Nomine Beatæ Virginis Mariæ, quod cæteroquin celebratur in Die Octava Nativitatis ejuſdem, ſi eo die occurrat Dominica: ſiquidem ille eſt caſus ſpecialis: caſus autem ſpecialis non facit caſum, nec traditur in exemplum. Itaque Innocentius Undecimus Romanus Pontifex, illius Univerſalis Feſtivitatis noſtris temporibus Inſtitutor, multa conceſſit huic Officio favorabilia, ut minùs, quàm fieri poſſet, transferretur, ne deperderetur memoria localis intra ſuum tempus illius celeberrimæ Victoriæ de Turcis reportatæ, cum totali liberatione Viennæ in Auſtria, propter quam profuſis gaudiis totus in orbe terrarum Mundus exultavit: & quam idcircò Urbem vix liberatam volui ſemel

atque iterum perſonaliter videre, ut præſens particeps fierem illius communis lætitiæ, quam abſentes ubique locorum ſine fine oſtendebant. Itaque celebratio illius Officii in hac Die Octava, ſi occurrat Dominica, eſt privilegium: quod autem conceditur per privilegium, ſine illo fieri non poteſt; l. Jus ſingulare 15. ff. *de leg.* Bald. *conſil.* 281. *numer.* 7. *lib.* 5. ſed & transfertur Feſtum Univerſale S. Joachimi, huic Dominicæ affixum, ſi hodie occurrat Dominica.

Miſſa verò in hac Die Octava Aſſumptionis 1100 Beatæ Mariæ Virginis, eſt omninò eadem, quæ in ejus Feſto; & in ea dicitur *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de SS. Mm. Timotheo & Sociis, & ante illam fiunt (ubi occurrunt) aliæ commemorationes, de quibus diximus in Officio ad Laudes. Dicitur etiam *Credo*, cum Præfatione de Beata Maria *Et te in Aſſumptione*. At ſi occurrat Dominica, in Miſſa de Die Octava fit commemoratio illius Dominicæ, quæ numerata recurrit à Pentecoſte, & legitur ejus Evangelium in fine, cum tertia Oratione de Simplici: & tunc ante Miſſam ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ, ut moris eſt in omnibus Dominicis. Eo tamen anno, quo in hanc Diem Octavam incidit Sabbatum, hodie occurrere Vigilia anticipata S. Bartholomæi Apoſtoli, ubi ſcilicet non celebratur ejus Feſtum die vigeſima quinta Auguſti, & ideò in Miſſa privata dicitur ſecunda Oratio ejuſdem Vigiliæ, & tertia de SS. Mm. ac in fine legitur Evangelium de eadem Vigilia: Sed in Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, ut præſcribit Rubrica Miſſalis *de Fer. & Vigil. tit.* 3. *ſub numer.* 1. (& ſic etiam habetur in Proprio Miſſarum de Sanctis, *ſub die* 23. *Auguſti*:) una ſcilicet de Die Octava poſt Tertiam in colore albo, cum *Gloria*, & cum ſecunda Oratione Feſti ſimplicis, etiam cum *Credo*, & cum Præfatione de Beata Maria *Et te in Aſſumptione*: altera verò Miſſa cantatur de Vigilia poſt Nonam in co-

colore violaceo, ſine *Gloria*, in qua dicitur ſecunda Oratio *Concede*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*; ſine *Credo*, & cum Præfatione communi: Sicut autem in neutra earum fit commemoratio alterius; ſic in utraque legitur in fine Evangelium S. Joannis.

Quòd ſi alicubi in hac Die Octava Aſſumptio- 1101
nis occurrat Feſtum duplex primæ claſſis; Miſſa quidem dicitur de eo; cum commemoratione Diei Octavæ; ſed nihil fit de Feſto ſimplici: at ſi incidat Feſtum duplex ſecundæ claſſis, in ſolis Miſſis privatis fit commemoratio de SS. Martyribus poſt commemorationem de Die Octava: & nihilominùs dicitur *Credo* ratione Octavæ, licèt Feſtum primæ vel ſecundæ claſſis illud non admitteret; imò & Præfatio de Beata Maria, quamvis nulla facienda ſit in hujuſmodi duplicibus commemoratio de Aſſumptione, ut dicitur in Rubrica Miſſalis *de Offertor. Secret. Præfat. & Can. tit.* 12. *ſub numer.* 3. Quæres tamen, cur impedita hæc Dies Octava à Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, in Cathedralibus & Collegiatis non cantentur duæ Miſſæ, ſicuti de Octava, & Vigilia? Reſpondeo, quia Miſſa de Die Octava eſt eadem cum Feſto, & cum Diebus infra Octavam: quæ igitur ſæpe repetita fuit, poteſt omitti: Præterquàm quòd ideò de Feſto & Vigilia cantantur duæ Miſſæ, quia in neutra earum fieri debet commemoratio alterius: ſed in Miſſa de Feſto benè ſtat commemoratio de Die Octava: & ſic fruſtra fieret per plura, quòd fieri poteſt per pauciora. Ubi denique celebratur Feſtum Patrocinii Beatæ Mariæ Virginis in Dominica infra hanc Octavam Aſſumptionis (ut Patavii in Dominio Veneto) ſi in hac Die Octava veniat Dominica, Miſſa non dicitur de eo, ſed de Die Octava, ex ratione ſuperiùs allata in Officio.

Concludamus tamen Miſſam cum identitate 1102
Orationum, forſan, ſed raró, alicubi commutandarum. Certè ſi hodie occurreret Feſtum du-

plex ſecundæ claſſis de Confeſſore Pontifice, cum Oratione *Da, quæſumus* ex primo loco illius Communis, quotieſcunque incideret Sabbatum, in Miſſa de Feſto commutanda eſſet Oratio ipſius Feſti, dicendo *Exaudi*, ex ſecundo loco ejuſdem Communis, quia conveniret cum illâ Vigiliæ tunc anticipatè in Sabbato celebrandæ, exceptis Locis, in quibus Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli celebratur die vigeſima quinta Auguſti. Quòd ſi Feſtum illud duplex ſecundę claſſis contingeret eſſe de una Virgine tantùm, ſive cum Miſſa *Dilexiſti* ex primo loco ejus Communis, ſive cum Miſsa *Vultum tuum* ex loco ſecundo in eodem Communi, in Miſſis privatis de Feſto commutaretur *Secreta* Sanctorum Martyrum eo die occurrentium, & diceretur *Secreta* vel *Munera* ex Miſsa *Sapientiam*, vel *Oblatis* ex Miſſa *Salus autem Juſtorum*, ut in eorum Communi. At ſi dictum duplex ſecundę claſſis eſset dę Virgine & Martyre cum Miſsa *Me expectaverunt*, ut in ejus Communi de ſecundo loco, varianda foret *Poſtcommunio* dictorum SS. Martyrum in Miſſis privatis de eodem duplici ſecundę claſſis, dicendo ejus loco vel *Praſta nobis, quæſumus* ex Miſsa *Sapientiam*, vel *Hæc nos communio* ex Miſsa *Salus autem Juſtorum*: & hoc eſset faciendum, juxta Rubricam Generalem Miſsalis *de Commem. tit. 7. ſub num. 7.*

Poſt Miſsam accedunt ſecundę Veſperę de Die Octava Aſsumptionis Beatę Marię Virginis, quę ſunt complementum totius Octavę. Hæ igitur ſecundę Veſperę ſunt & debent eſse integrę in Eccleſia Univerſali, & etiam in Eccleſiis particularibus, ſi die ſequenti agatur de Feſto duplici minori, juxta Privilegium quibuſvis Veſperis de quavis Die Octava Beatę Virginis Marię conceſsum, ut ſatis ſuperque diximus ſupra in primis Veſperis hujus Diei Octavę: unde in Eccleſia Univerſali fit ſola commemoratio de Feſto duplici minori S. Philippi Benitii: & ſic Torcelli fit ſola commemoratio de ſequenti Die Octa- 1103

va

va Dedicationis illius Eccleſiæ Cathedralis. Si verò hodie occurrat Dominica, in ſecundis Veſperis de Die Octava Aſſumptionis fit commemoratio Dominicæ poſt illam de S. Philippo Benitio in Eccleſia Univerſali, & Torcelli poſt illam de Die Octava Dedicationis: & ita agendum; ſi Dominica ſubſequatur. Quòd ſi hac die alicubi occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, in ſecundis Veſperis de eo fit priùs commemoratio de hac Die Octava Aſſumptionis, deinde de ſequenti Feſto duplici minori S. Philippi Benitii, quia ſi nullo occurrente hujuſmodi duplici, Dies Octava integras haberet ſecundas Veſperas, impedita debet habere præcedentiam in commemoratione. Ubi verò die ſequenti fit de duplici ſecundæ claſſis, ut apud Regulares Servitas tale eſt Feſtum S. Philippi Benitii, ibi in primis Veſperis de ſequenti fit commemoratio de præcedenti Die Octava Aſſumptionis, pro cujus ſola commemoratione ad Hymnum Completorii dicitur Clauſula de Beatâ Mariâ, ſcilicèt, *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*. At ſi die ſequenti occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, in primis ejus Veſperis non fit commemoratio de præcedenti Die Octava Aſſumptionis, quare, ſicuti nihil fit de ea, ſic videtur ad Completorium in Hymno tacenda prædicta clauſula.

Hoc unum pro corollario reſtat dicendum pro 1104
particulari Lectoris Eccleſiaſtici eruditione, quod fit in Gallia quovis anno in ſecundis Veſperis non quidem de Die Octava, ſed de Die Feſto, & hoc loco ponimus, tanquam ſeparatum ab uſu univerſali. Ut ſingulis Regnis ſuos dedit Deus Angelos tutelares, Daniel *cap.* 10. Dionyſius Areopag. *capit.* 9. *cœleſt. hierarch.* ita Regibus ac Principibus ſolemne eſt, è numero Sanctorum in Cœlo regnantium certos ſibi ſuiſque Civitatibus ac Regnis Patronos deligere; in quorum tutela ſint; Conſtantinus Imperator, cùm Bizantii ſedem ſui imperii collocare decreviſſet, eam Urbem Dei Genitrici dicavit. Eadem religione mo-

tus S. Stephanus, primus Hungarorum Rex, ut primùm regio diademate coronatus, ſe ac Regnum ſuum publico voto ſanctiſſimæ Virginis Mariæ nomini ac tutelæ conſecravit; inque ejus rei memoriam, Albæ, quæ regia eſt Hungarorum Civitas, Baſilicam inſigni opere atque ornatu ejus honori exædificavit, & exinde Solemnitatem Aſſumptionis *Feſtum Dominæ* appellarunt. Conſtantinianæ ac Stephanianæ Pietatis imitator Ludovicus Tertius decimus, Galliarum & Navarræ Rex inviciſſimus, everſa rebellantium hæreticorum conjuratione, Regni magna parte ab hæreſum contaminatione purgata, inſtauratis Templis atque Altaribus, legitimiſque ſacris reſtitutis, anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo, ſe, ac Populum, Regnumque ſuum in clientelam Deiparæ Virginis ſolemni voto dedit & dicavit, eamque Patronam Regni publico edicto declaravit, cujus ope ac præſidio ſingulari rem à ſe eo Bello proſperè geſtam plurimis experimentis cognoverat: atque in monumentum ejus rei, Proceſſionem per univerſam Galliam ſingulis annis die feſto Aſſumptionis ejuſdem Virginis fieri juſſit. Ita Jacobus Eveillon, Canonicus Eccleſiæ Andegavenſis *in Libro de Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, *edito Pariſiis anno* 1651.

DE

DE
OCTAVA COMMUNI
NATIVITATIS
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.
CAPUT SEXTUM.

SExta ex Octavis Communibus , ſeu non 1105
Privilegiatis , quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur , eſt illa ſatis conſpicua de Nativitatæ B. Mariæ Virginis. Antequàm autem deveniamus ad Sacros Ritus ad hanc ipſam Octavam ſpectantes , & in eadem ſervandos , aliquid de hoc Ortu digniſſimo volumus priùs de more diſſerere , & Lectorem noſtrum cenſemus libenter aſſentiri , & devotè expectare . Agendum ſiquidem eſt de illa Nativitate , quæ ſingularis eſt inter Sanctos & Sanctas , ſicuti inter Sanctos ſingularis eſt illa S. Joannis Baptiſtæ: nam nullius Sancti , niſi ſolius ejuſdem S. Joannis , feſto die recolere conſuevit Eccleſia ; eo quòd , ut ait S. Auguſtinus ſerm. 23. de Sanctis , *aliorum Sanctorum fides poſtea Domino adhæſit , ſed nullius illorum Nativitas Domino militavit* : Eſſetque adeò temeritatis , fortè & erroris damnandum , ſi quid ſecùs à quopiam tentaretur , inquit diligens inſtitutionis Feſtorum indagator Carolus Guyetus *in Heortolog. libr. 2. ſect. 1. capitul. 8. quæſt. 9. pagin. mihi* 50. Quòd ſi hoc dixit de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ , multo magis id aſſeruiſſet , ſi de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis locutus eſſet.

Naſcitur itaque Mundo illa Beatiſſima Virgo, 1106
quæ ab æterno ordinata fuit, & ex antiquis antequàm Terra fieret: Adhuc enim Deus Terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis Terræ: uno verbo: Dominus poſſedit eam in initio viarum, antequàm quidquam faceret à principio. Naſcitur, inquam, Mundo, & quidem ex regali progenie Maria exorta refulget. Ex progenie ſcilicèt Regis David, qua apud Hebręos nulla illuſtrior, nulla nobilior, nulla denique à Deo magis privilegiata. Sed & alia prærogativa condecorat hujus ſanctiſſimæ Virginis Natalia, oritur enim conjunctiſſima Sacerdotibus, nam Cognata ejus eſt Eliſabeth de Filiabus Aaron. Ut autem videamus ejus nobilitatem, Parentes fuerunt Joachim & Anna, qui in ſterilitate poſiti, hanc Deo pulcherrimam Filiam precibus impetrarunt, non minus, quàm antiquior illa Anna, quæ ſimilibus precibus in ſterilitate Samuelem procreavit.

Ambo; Joachim ſcilicèt & Anna, procedebant à progenie Davidica: ſiquidem de radice 1107
Jeſſe ortus eſt David, & de Tribu Regis David ſancta Virgo: ſancta, inquam, & Sanctorum Virorum Filia, cujus Parentes fuerunt Joachim & Anna, ut verbis utar S. Epiphanii Epiſcopi *Orat. de laud. Virg. ſub init.* Dum itaque ex his Parentibus orta eſt, & de Tribu Regis David, ergo Parentes erant de illa Tribu. Licèt autem Evangeliſta Matthæus nullam faciat de eis mentionem inter Generatores, dum autem à David deſcendit ad Joſeph Virum Mariæ, ſatis demonſtrat, Beatam Virginem ex regali progenie David ortam fuiſſe: Siquidem apud Hebræos lege cautum erat, ne Tribus ulla Uxores ex altera Tribu accerſeret: ac proinde Joſeph, qui ex Tribu Davidica ortum trahebat, ſanctam Virginem haudquaquàm præter legis præſcriptum deſpondiſſet: ob idque ſatis habuit Evangeliſta demonſtraſſe, unde Joſeph ortum traxerit, prout evidenter probat S. Joannes Damaſcenus *lib.*

4. *de*

4. de Fid. Orthod. cap. 15. de Domini genealog. & S. Dei Genitricis.

Dum ergo ſanctè vivebant Parentes ejus, per 1108
ſpatium viginti annorum ſterilitatem paſſi ſunt. Ut autem prolem obtinerent, Joachim precabatur in Monte, & Anna in Horto ſuo, ut liberarentur ab illa ignominia, in quam ex more Hebræorum ſterilitat m ventris exprobrantium incurrebant, ut de altera Anna a Phenenna exprobrata, Sacræ Paginæ loquuntur. Sed Deus, qui audit orationes cordium, eos dignatus eſt exaudire: licèt enim altum ſit Cœlum, Deus audit, & exaudit. Sed vide, Lector, quàm devotiores & efficaciores ſint prèces, quæ fiunt in ſolitudine: ſeparatim etenim deprecabantur, & Deus conjunxit eorum orationes, & accepit: & dum orabant in abſcondito, Deus, qui videbat in abſcondito, reddidit illis. Firmiſſimè tamen tenendum eſt, omnes virtutes & ſcientiam Sanctorum in illis fuiſſe, & Deum, qui decreverat Unigenitum ſuum ex ſanctiſſima eorum prole naſciturum, omnes eis gratias contuliſſe, ex quibus mererentur tantam Filiam procreare, ut Anna eſſet Mater Matris Dei, & ejus Pater Joachim: Unde Eccleſia, quæ in Anna recognoſcit omne Donum perfectum deſcendens à Patre luminum, devotè ad Deum converſa, ſic eum alloquitur: *Deus, qui Beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Unigeniti Filii tui Mater effici mereretur, &c.*

Lætetur igitur omnis ordo Cœleſtium Spiri- 1109
tuum, quia orta eſt *Cœlorum Regina*: Gaudeat & Peccator, quia naſcitur *Refugium Peccatorum*: Metuant Portæ Inferi, quia nata eſt *Janua Cœli*: Sed & quotquot ſunt Hæreticorum ſectæ pertimeſcant, nos enim illius veneramur incunabula Virginis, quæ cunctas hæreſes ſola interimit in univerſo Mundo. Probabile tamen eſt, quòd ſicuti Mariæ Nativitas Angelos lætificavit, & gaudium annunciavit univerſo Mundo, ſic etiam miſerit Deus Angelum ſuum uſque ad Limbum,

bum, ut illi quoque Sancti Patres gauderent de Ortu Virginis, ex qua expectabant Meſſiam, ne ampliùs tam frequentia ederent ſuſpiria, dicentes: *Veni ad liberandum nos, jam noli tardare*, cum aliis ſex conſimilibus Antiphonis, quas duplicatas ante Nativitatem Domini recitamus, & ſignificare iterata illorum Sanctorum Patrum ſuſpiria, omnes tenent Rubriciſtæ, ex quorum numero præcipuus eſt Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *capitul.* 2. *ſub numer.* 2. ubi ſub numero præcedenti quærit, cur ad *Magnificat* recitantur? nam ad Laudes congruentiùs videbantur recitari poſſe ad Canticum Zachariæ; & reſpondet ex Amalario Fortunato *de ordin. Antiphon. capitul.* 13. eas ſpectare magis ad Beatam Virginem, quam ad Zachariam.

Quòd ſi cupis veram ejuſdem Beatæ Virginis 1110
poſtmodùm grandiuſculæ Effigiem cernere, illam diligenter characteribus pinxit Nicephorus *hiſtor. lib.* 2. *capit.* 23. & ex eo exemplar fideliter traxit Cæſar Cardinalis Baronius *Annal. tom.* 1. *Anno à Chriſto nato* 48. *ſub numer.* 26. *pagin.* 443. *juxta noviſſ. edit. Venet. de Anno* 1738. Aſpice igitur, devote Lector, & venerare, eſt enim Effigies Beatæ Virginis Mariæ, cujus incunabulis „ modò genua flectimus. Erat in rebus omnibus „ honeſta & gravis: pauca admodùm, eaque „ neceſſaria loquens; ad audiendum facilis, & „ perquàm affabilis: honorem ſuum & venera„ tionem omnibus exhibens: ſtatura mediocri, „ quàmvis ſint, qui eam aliquantulùm mediocrem „ longitudinem exceſſiſſe dicant. Decenti dicen„ di libertate adverſus homines omnes uſa eſt, „ ſine riſu, ſine perturbatione, & ſine iracun„ dia maximè. Colore fuit triticum referente, „ capillo flavo, oculis acribus, ſuperflavas tan„ quàm oleæ colores pupillas in eis habens. Su„ percilia erant ei inflexa & decenter nigra, „ naſus longior, labia florida & verborum ſua„ vitate plena. Facies non rotunda & acuta, „ ſed aliquanto longior, manus ſimul & digiti

lon-

„ longiores. Erat denique faſtus omnis expers,
„ ſimplex, minimèque vultum fingens, nihil
„ mollitiei ſecum trahens, ſed humilitatem præ-
„ cellentem colens. Veſtimentis, quæ ipſa ge-
„ ſtavit, coloris nativi contenta fuit, id quod
„ etiamnum ſanctum capitis ejus velamen oſten-
„ dit. Et, ut paucis dicam, in rebus ejus o-
„ mnibus multa divinitùs inerat gratia.

Quam autem Nicephorus characteribus pinxit Beatiſſimæ Virginis Effigiem, coloribus antea fecit Sanctus Lucas Evangeliſta, ut teſtatur idem Nicephorus *hiſtor. lib.* 14. *capitul.* 2. qui profectò Evangeliſta licèt fuerit arte Medicus, fuit tamen devotione Pictor: & talem revera videmus Imaginem ab eo pictam, qualem deſcribit Nicephorus. Non ſolùm ergo Sanctus Lucas ſanavit medendo, verùm etiam pingendo: imò magis operatus eſt pictura, quàm medicina, ſiquidem ex pluribus hujus Sanctiſſimæ Virginis Imaginibus, quæ modò hinc inde in variis Eccleſiis per Orbem diffuſis decenter aſſervantur & devotè exponuntur, traxit ex cordibus etiam ſaxeis contritionem, ſanavit delictorum vulnera: unde de hoc ſancto Evangeliſta, reſpectu devotarum Imaginum ab ipſo pictarum, dici poteſt cum S. Maximo Epiſcopo: *Quantos intrinſecùs vulneratos ab infirmitate curavit!* Sed & Beatiſſima Virgo virtutem ſepiſſimè præbuit eiſdem Imaginibus ſacris, ſiquidem per eas benigniſſimè aſſiſtit in opportunitate & tribulatione. 1111

Interim, Virgo Beatiſſima Maria, accipe quæſo libenter quæ de tua Nativitate hactenus à me dicta ſunt: & quem habes ante tua incunabula genuflexum, adjuva differentem de re ad majorem tui digniſſimi Ortus honorem ſpectante: ut quæ de ſolemnitate tuæ Nativitatis, deque tota ejus Octava, dicenda ſunt, ritè & rectè dicantur: Et dum naſceris omnium Auxiliatrix, fac, ut & ego quoque ſentiam tuum juvamen, qui tuam nunc ſanctam celebro per Sacros Ritus Feſtivitatem. Quia verò naſceris etiam interventura 1112

pro

pro Clero, intercede pro Sacerdote, ut quæ orientur forſitan Dubia in ſcribendo, per tuam præclaram Nativitatem, qua omnes illuſtrantur Eccleſiæ, auxilio tuo ſolvantur. Quod ut facere digneris, humillimè rogo, & devotiſſimè deprecor.

§. I.

De iis, quæ dici poſſunt circa Profeſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

HOc Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Vir- 1113
ginis non habet Officium Vigiliæ, imò nec Jejunium Inſtitutionis, ſed poteſt nihilominùs habere Devotionis, ut veluti exhortans ad jejunandum dicit Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 7. capitul. 28. ſub num. 3. pagin.* 296. ac etiam Joannes Belethus *in Explicat. Divin. Offic. capitul.* 149. *circa med.* Et revera in nonnullis Hiſpaniarum & Luſitaniæ Civitatibus jejunatur, forſan vigore Conſtitutionum Synodalium, vel ex pervetuſta Conſuetudinem vim Legis habente, & cæteroquin commendanda ratione Devotionis, ut in Caurienſi, Bracharenſi, Eborenſi, Conibricenſi, Egitanienſi, Portucalenſi, Viceenſi, Algarbienſi, Ulyſſiponenſi, Mirandenſi, & Lauretana in Piceno, ac forſan in aliis Urbibus, quarum Directoria ſeu Calendaria non teneo, ſicuti de præfatis modò lego. Sed & in aliquibus Locis ſeu Eccleſiis fit Officium & Miſſa de Vigilia: ita in Gallia Eccleſia Andegavenſis habet hodie Vigiliam Nativitatis cum Officio, quam tamen non anticipat, ſi oc-

currat

currat in Dominica, ſed juxta ſuam conſuetudinem celebrat in Dominica ipſa, ut refert Guyetus *in Heortolog. lib. 4. ſect. 1. capitul. 12. quæſt. 1. pagin.* 267. juxta edit. Venet. *de Anno* 1729. poſt Pariſien. *de Anno* 1657.

Gregorius tamen Undecimus (qui creatus fuit anno 1370. die 30. Decembris & obiit anno 1378. die 27. Martii) ordinavit, quòd Nativitas Beatæ Mariæ Virginis haberet Vigiliam cum Jejunio, pro qua etiam Officium proprium Miſſæ ordinavit, ait Franciſcus Pagi in ſuo erudito Breviario Pontificum Romanorum, *tom. 4. de geſtis Gregor. XI. ſub numer.* 32. *pagin.* 184. *juxta noviſſ. edit. Venet. de Anno* 1730. & concordat Ludovicus Thomaſſinus *in commentar. de Dier. Feſtor. celebrat. lib. 2. capitul.* 20. *ſub numer.* 4. *in fine*, ubi revera ſic habet: *Gregorius XI. pervigilium addidit*. Dictus verò Pagi proſequitur, dicens, quòd Vigiliam Nativitatis Beatæ Mariæ, ſedente Urbano Sexto (qui creatus fuit anno 1378. die 18. Aprilis, & obiit anno 1389. die 16. Septembris) Gregorii ſucceſſore, Jejunio celebratam eſſe oſtendit Andreas Victorellus *in Notis ad Ciacon.* ex Conſtitutione Bonifacii Noni (qui creatus fuit anno 1389. die 2. Novembris, & obiit anno 1404. die 1. Novembris) & incipit *Superni*, inquiens: *Suaſit etiam & conſuluit idem prædeceſſor noſter, ut ipſius Feſti Nativitatis Vigilia in obſervatione Jejunii devotiùs obſervaretur*. Radulphus de Rivo ſeu Tungrenſis *de obſervan. Canon.* 19. ait etiam, Gregorium XI. Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ addidiſſe Vigiliam: hodie tamen illius Feſti Vigilia caret Jejunio & Officio proprio, forſan quia Gregorius illud non præceperat, ſed tantùm ſuaſerat; ita Pagi *loco citato*. 1114

Certè Eccleſia Ambroſiana habet hodie Miſſam propriam de Vigilia Nativitatis Beatę Marię Virginis, cujus Ingreſſa, ut ipſi vocant, ſeu Introitus, ut nos dicimus, incipit *Ave, Maria, gratia plena, &c.* & in eadem Miſſa ſequentem recitant Præfationem, ex eorum Miſſali Mediola- 1115

ni

hi impreſſo a me fideliter tranſcriptam, ſcilicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi in omnium Sanctorum tuorum profectu gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Et præcipuè pro meritis Beatæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ gratia plenæ, tuam omnipotentiam laudare, benedicere, & prædicare, per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Cæterùm ad Primam in Officio, quodcumque illud ſit, die ſeptima Menſis Septembris celebrando, Martyrologicus Lector, pronunciata Calendarum quantitate, ac ætate Lunari, annunciat primo loco, *Nativitas Beatiſſimæ ſemper Virginis Genitricis Dei MARIÆ.* Quod ſi die octava Septembris occurrat alicubi Feſtum duplex primæ claſſis, veluti de Patrono Loci, vel Titularis, aut de Dedicatione Eccleſiæ in Martyrologio legitur primo loco de illo duplici primæ claſſis deinde elogium Nativitatis, juxta Regulam Martyrologicam, quæ primum locum in annunciatione tribuit Feſto, quod eo die principaliter celebratur cum integro Officio. Si verò in aliquo Loco occurrat ſimul dicta die Septembris Dies Octava vel Dedicationis, vel Patroni, vel Titularis, ut Lucæ in Tuſcia incidit Dies Octava S. Reguli Martyris, & Malacæ in Hiſpania Dies Octava Dedicationis Eccleſiarum Diœceſis, antè elogium Beatæ Mariæ Virginis (quia Officium ibi erit de Die Octava particulari,) pronunciatur etiam illa Dies Octava, nam ex pluribus Diebus Octavis generalibus in Martyrologio relatis, infertur legitimè ad omnes Dies Octavas particulares alicubi occurrentes.

Primæ Veſperæ de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis ſunt ſemper integræ in Eccleſia Univerſali, & dicuntur omninò ut in Breviario. Ad Hymnum *Ave Maris Stella*, videantur quæ ſupra dicta ſunt in primis Veſperis de Aſſumptione. Nulla fit in eis de præcedenti commemoratio, quæ revera generaliter loquendo non habetur, 1116

nam

nam etiamſi die ſeptima Septembris occurrat Dominica, non ſit in his primis Veſperis ejus commemoratio; quia Feſtum Nativitatis eſt duplex ſecundæ claſſis. Quòd ſi Dominica ſubſequatur, ſeu ſimul incidat in Feſtum, tunc & eo caſu ejus commemoratio erit facienda per Antiphonam, quæ habetur in Sabbato ante Dominicam ſecundam Septembris (ſemper enim veniet Dominica Menſis ſecunda) & incipit *In omnibus his*, ſed cum Oratione Dominicæ eo anno recurrentis poſt Pentecoſten, quę cùm non ſit ſemper eadem, aſſignari idcircò non poteſt, niſi dicendo quòd ſemper erit una ex ſex ſequentibus, nempè vel decima tertia, vel decima quarta, vel decima quinta, vel decimaſexta, vel decima ſeptima vel denique 18. Cęterùm in Eccleſiis & Locis particularibus omittitur commemoratio de Die infra aliquam Octavam: ita Venetiis die ſeptima Septembris ad Veſperas non fit commemoratio de ſexta die infra Octavam Dedicationis noſtrę Eccleſiæ Patriarchalis. Sed neque fit in hiſce primis Veſperis commemoratio de præcedenti Feſto Semiduplici: & ideo Piſis in Tractu Piſano in Tuſcia non fit commemoratio de S. Hermete Martyre, cujus Officium eſt ibi Semiduplex, & à Sacra Rituum Congregatione affixum illi diei ſeptimæ Septembris.

In dictis tamen primis Veſperis de Nativitate 1117
Beatę Mariæ Virginis fit commemoratio de quocumque Feſto duplici minori præcedente: ut Aquilejæ in Foro Julij, Targeſtę in Dalmatia, Parentij in Hiſtria fit commemoratio S. Anaſtaſii Martyris, cujus Feſtum occurrens die ſeptima Septembris habet ibi ritum Duplicem minorem. Sed & fit commemoratio de quacunque Die Octava, ſi alicubi præcedat: ita Vicentię in Dominio Veneto, Piſauri in Ducatu Urbinatenſi, Malacæ in Hiſpania, & Conimbriæ in Luſitania fit commemoratio de pręcedenti Die Octava illarum Eccleſiarum Cathedralium. Et multo magis commemoratio de Die Octava ſequenti, ſeu

ſimul

ſimul occurrente in ipſo Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis : ita per Diœceſim Malacitanam in Hiſpania in primis Veſperis de Nativitate fit commemoratio de ſequenti Die Octava Dedicationis Eccleſiarum illius Diœceſis ſimul unitarum ; ita Piſis in Tractu Piſano in Tuſcia fit commemoratio de ſequenti Die Octava S. Reguli Epiſcopi & Martyris , cujus Corpus requieſcit in illa Eccleſia Archiepiſcopali ; ita quando die octava Septembris occurrit Dominica , quę ſemper erit ſecunda Menſis , in omnibus Statibus Auſtriacæ Ditionis incidit Dies Octava Sanctorum Angelorum Cuſtodum . Quòd ſi in dictis primis Veſperis fit commemoratio de pręcedenti duplici minori , (ut jam ſupra diximus,) majori ratione fiat de duplici majori : & ideò Eugubii in Ducatu Urbinatenſi fit commemoratio de pręcedenti Feſto duplici majori S. Laudenſis Epiſcopi Confeſſoris.

De quocunque verò Sancto vel Sancta fiat die 1118
ſeptima Septembris Officium ſub ritu duplici ſecundę claſſis , adhuc Beata Virgo habet integras ſuas primas Veſperas , cum commemoratione de illo pręcedenti duplici ſecundę claſſis , quia in paritate ritus Veſperę ſunt de digniori cum commemoratione de minus digno . Quis autem non videat digniorem eſſe Beatam Virginem quovis Sancto , quæ exaltata eſt ſuper Choros Angelorum ? Hoc tamen loco Dubium inſurgit , cui dandę ſint integrę Veſperæ, ſi in aliqua Eccleſia die ſeptima Septembris agendum ſit de Dedicatione ſub ritu duplici ſecundę claſſis , & conſequenter in paritate ritus cum Feſto ſequenti . Caſus dari poteſt apud Regulares illius Civitatis , in qua forſan dicta die occurreret dedicatio Eccleſię Cathedralis , quam Regulares tenentur celebrare , ſed ſub dicto ritu duplici ſecundæ claſſis . Ego darem integras Veſperas Dedicationi , cum commemoratione ſequentis : & ratio eſt , quia non ſumus amplius inter Dominam & Sanctos , ſed inter Dominum & Dominam. Neque

que valet argumentum : Aſſumptioni Beatæ Virginis cedit Dedicatio : ergo in paritate ritus cedet Nativitati: Reſpondeo : Aſſumptio habet locum à Dedicatione non ratione ritus, ſed ratione Myſterii & Privilegii : ait enim Gavantus de Aſſumptione *tom. 2. ſect. 3. cap. 8. ſub num. 7. Dignior eſt Octava Aſſumptionis Beatæ Virginis, quàm* Octava Dedicationis : ſed vide ejus rationem : *quia majora beneficia contulit Deus uni Deiparæ in ejus Aſſumptione, quam contulerit toti militanti Eccleſiæ* : ergo videtur Privilegium illi ſoli Feſtivitati Aſſumptionis conceſſum, & conſequenter non ceteris ejus Feſtivitatibus : ergo non Nativitati, licèt in paritate ritus.

Ubi autem Feſtum Nativitatis Beatæ Mariç Virginis eſt Duplex primæ claſſis, prout eſt Abulæ & Toleti in Hiſpania, OEttingiæ in Bavaria, & Laureti in Piceno, & in pluribus Orbis Eccleſiis, in quibus eſt Feſtum Titulare, primæ Veſperæ ſunt ſemper ibi integræ de eadem Nativitate, licèt in aliqua Eccleſia ex illis vel forſan aliis Civitatibus præcedat Feſtum duplex primç claſſis, niſi ſit Feſtum Dedicationis ſub eodem ritu, juxta ea, quæ paulo ante diximus: unde in dictis primis Veſperis nihil fit de Dominica, vel ſemiduplici, vel duplici minori aut etiam majori, nihilque de Die Octava, ſi alicubi in Civitatibus & Diœceſibus, in quibus, ut ſupra diximus, Feſtum Nativitatis eſt Duplex primç claſſis, forſan præcedat. Verum quidem eſt, quòd ſi fuerit Titulus Eccleſię Cathedralis, ornanda erit decenter Eccleſia eo prorſus modo, de quo ſupra diximus de Titulo S. Laurentii Levitę : ſed & Epiſcopus ipſe Pontificales faciet primas Veſperas, tum præcedenti ſuorum Canonicorum & Dignitatum aſſociatione. Ubi verò conceſſa ſit Indulgentia a primis hiſce Veſperis uſque ad Diem ſequentem, ea non extenditur ad totam Octavam, niſi Breve Apoſtolicum faciat ſpecialem mentionem de Octava. Tranſlato tamen Feſto Nativitatis ob Dedicationem in 1119

illud alicubi occurrentem cui aſſignatâ fuerit vel dies 8. Septembris, vel Dominica ſecunda Menſis interdum occurrens, non transfertur Indulgentia, niſi ſuper hoc habeatur ſpeciale Indultum, ut habent Minimi pro Sancto Franciſco de Paula, & Caſſinenſes pro S. Benedicto.

§. II.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

ANno ab Orbe condito 4038. ab Urbe verò Roma condita anno 737. ſed ante Chriſtum natum anno 15. Maria Virgo Dei Genitrix, ex Davidis Proſapia, & ex Parentibus Joachimo, & Anna naſcitur in Pago alias Civitate Nazareth, ut ex Cæſare Cardinale Baronio *in Apparatu Annal. tom.* 1. refert Caſſerius *in Synthen. vetuſtat. ſub die* 8. *Septembris*, *pag. mihi* 262. *juxta edit. Roman. de Anno* 1667. Feſtum hoc eſſe antiquiſſimum in Eccleſia Dei, omnes fatentur: nec tamen tempus introductionis clarè ſcitur: ſiquidem Aliqui putant, celebratam fuiſſe hanc Feſtivitatem ante S. Auguſtinum qui ſanctitate & doctrina floruit quarto, & quinto ſæculo, & obiit anno 430. ea inducti ratione, quòd in Eccleſiaſticis Officiis hujus diei legatur ſermo de eadem Solemnitate: ſed Cardinalis Baronius *Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub hac die* 8. *Sept. litt. a*, oſtendit, ſermonem illum eſſe revera S. Auguſtini, ſed non habitum in Natali Dei Genitricis, ſed eſſe de Annuntiatione, & mutatis paucis verbis accommodatum Nativitati. Ordo verò Romanus *de Divin. Offic. pag.* 1120

24.

24. mentionem tantùm facit de Litaniis hac die fieri ſolitis ex inſtitutione Sergii Papæ, qui vixit in Pontificatu circa annum 701. Unde aſſerendum videtur cum eodem Baronio Antiquitatum Eccleſiaſticarum ſatis notò perquiſitore, hiſce præciſis verbis in dictis Notationibus concludente: *Quoniam autem potiſſimum tempore fuerit hujuſmodi Solemnitas inſtituta; nuſquam expreſſum reperi; nec quid certi affirmare auſim.*

Licèt autem non agnoſcatur Inſtitutionis origo, 1121 recognoſcitur tamen cauſa Inſtitutionis, quam cæteroquin ſequenti tribuunt Revelationis miraculo. Quidam enim Religioſus Vir; ſanctitate (ut tenendum eſt) clarus, pluribus annis Angelos audivit in hac nocte ſolemnizantes in Cœlis: cui cauſam quærenti revelatum eſt, Angelos gaudere, quoniam Beata Virgo nata fuit in illa nocte. Ex hac igitur revelatione Feſtum hoc Nativitatis celebrari juſſum fuit, ut in ſolemnizando; Cœleſti Curiæ conformemur, ait Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 7. cap. 28. ſub num. 2. pag. mihi* 296. Sed & per extenſum hanc deſcribit Revelationem Petrus de Natalibus *hiſtoria. lib.* 8. *cap.* 51. & ex eo meminit[illegible]ntùm, non tamen narrata Revelatione, C[illegible] Cardinalis Baronius *in dd. Notation. ſub hac die* 8. *Septembris, litt. a*: mentionem quoque facit de hac re ex aliis deducta Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 11. *die* 8, *Sept.* Non tamen per hoc nos ſcimus præciſum tempus Inſtitutionis; nec conſequenter à quo Summo Pontifice hęc ſit introducta Solemnitas. Itaque miraculum credimus Revelationis, Solemnitatem celebramus Nativitatis, adhuc tamen originem Inſtitutionis neſcimus; & nihilominùs antiquitatem in Inſtitutione veneramur; de qua certiores nos faciunt Sermones ſuper hoc Feſto habito à S. Joanne Damaſceno; qui floruit circa annum 730. imo ante eum reperitur hoc Feſtum in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, qui creatus anno 590. die 3. Novembris, obiit anno 604. die 12. Mar-

 tii,

tii, ut paulo poſt videbimus Prefationem propriam ex dicto Sacramentario Gregoriano deſumptam: Ex quibus omnibus patet, Inſtitutionis originem ante eos fuiſſe; dum loquuntur de jam introducta Solemnitate.

Quoad verò Sacros Ritus, Nativitas Beatæ Mariæ Virginis eſt Feſtum preceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus: Celebratur autem ſub ritu duplici ſecundæ claſſis in colore albo. Licèt autem Officium in hoc ejus Die Feſto ſit duplex dumtaxat, (ut diximus,) ſecundæ claſſis, ſolemniter tamen celebratur, & cum apparatu Eccleſiæ omniumque illius Altarium, tanquam ſi eſſet primæ claſſis, ut pro Eccleſiis ſuæ Religionis ſic ordinat faciendum Piſcara in Ceremoniali *lib.* 3. *cap.* 30. *ſub num.* 3. *pag.* 219. in quo (ut reor) ubique ſequendus eſt. Officium hodiernum eſt omninò proprium in Breviario, in quo ad Matutinum dicitur nona Lectio S. Adriani Martyris, niſi alicubi transferatur cum Officio novem Lectionum, ut transfertur Torcelli prope Venetias ſub ritu ſemiduplici, & Lucæ in Tractu Piſano in Tuſcia ſub ritu duplici. In hoc tamen translationis caſu, ad Matutinum in Officio Nativitatis docet Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 11. *die* 8. *Sept.* quia deficit nona Lectio, duobus modis poſſe ſuppleri, vel de octava & nona Lectione fiant tres, vel prò nona Lectione legatur ſeptima Diei ſequentis infra Octavam, nam parùm refert, ſi cras eadem repetatur. Sed, ut verum fatear, magis placet diviſio Lectionis octavæ in duas, & nona incipere poteſt ab illis verbis: *Notandum in genealogia Salvatoris*, ne fiat ſaltus ad aliam diem. Si tamen occurrat Dominica, nullus amplius inſervit ex prædictis duobus modis, quia nona Lectio erit de ipſa Dominica. 1122

Attamen in Laudibus de dicto Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis ſit commemoratio S. Adriani Martyris (niſi transferatur, ut ſupra dictum eſt ad Matutinum) & occurrente Dominica, 1123

nica ; ſit priùs commemoratio de ea , deinde de Feſto ſimplici . Quòd ſi alicubi occurrat hodie aliqua Dies Octava Feſti Octavam habentis (ut incidit Lucæ in Tuſcia Dies Octava Sancti Reguli, Malacæ in Hiſpania Dies Octava Dedicationis omnium Eccleſiarum ſimul ſumptarum illius Diœceſis , & Venetiis in Eccleſia Monialium Clariſſarum vulgo *Dei Miracoli*) in Laudibus fit priùs commemoratio de illa Die Octava , & poſtmodùm de S. Adriano ; & ſi veniat Dominica, fit de ea quidem commemoratio , ſed priùs de Die Octava tanquam de duplici , & ultimo loco de Feſto Simplici : Non tamen fit commemoratio de Die alicubi occurrente infra Octavam ſpecialem : & ideò apud nos Venetiis nihil hodie fit de ſeptima Die infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ noſtræ Patriarchalis: & ideò Legione in Hiſpania nihil hodie de Die itidem ſeptima infra Octavam S. Antonini Martyris . Si verò in hoc Feſto Nativitatis alicubi occurrat Officium ſemiduplex , ut Torcelli occurrit Feſtum S. Adriani Martyris (quod in Eccleſia Univerſali incidit in hodiernam diem ſub ritu ſimplici) illud transfertur in diem immediatè ſequentem non impeditam, cujus rei rationem tradimus ſatis ſupra in Feſto Aſcenſionis Domini.

Aſt ubi in hac die Octava Septembris occurrit 1124
Dedicatio Eccleſię, ſive ut tali numero die Menſis , ſive ut Dominica ſecunda ejuſdem Menſis , quotieſcumque veniat , transfertur ibi Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis , non ſolùm ſi Dedicatio eſt duplex primæ claſſis, verùm etiam (meo judicio) etiam ubi eſt duplex ſecundæ claſſis , prout ; in una eademque Civitate poteſt occurrere ſimul ſub utroque ritu, nam ſi ſit Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis , apud Clerum Sæcularem eſt duplex primæ claſſis , ſed apud Clerum Regularem in eadem Urbe commemorantem eſt duplex ſecundæ claſſis . Ubi autem Nativitas eſt duplex primæ claſſis (ut eſt Toleti & Abulæ in Hiſpania , ac Friſingiæ in Bavaria ,

nec non in pluribus Eccleſiis ratione Tituli, ut Venetiis in duabus Eccleſiis Monialium, ſcilicet Auguſtinianarum vulgo *le Vergini*, & Capuccinarum vulgo *di S. Girolamo*) omittitur ibi ad Matutinum nona Lectio S. Adriani, & ejus commemoratio ad Laudes, ibique ſervantur ea, quæ ſupra dicta ſunt, ut recitetur nona Lectio, quæ ibi deficit.

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Miſſa in Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis eſt propria, in qua dicitur *Gloria in Excelſis*, cum ſecunda Oratione S. Adriani, niſi transferatur cum Officio novem Lectionum, ut Lucę & Torcelli. At ſi incidat alicubi Dies octava, cujus occurrentiam vidimus ſupra in Officio, ſecunda Oratio erit de ea, & tertia S. Adriani. Occurrente verò Dominica, ſecunda Oratio erit de eadem Dominica, & tertia de Feſto ſimplici: & ſi veniat in aliqua Eccleſia Dies Octava, ſecunda Oratio erit de illa Die Octava tanquàm de duplici, tertia verò de Dominica, & quarta de S. Adriano: non tamen fit commemoratio de Die alicubi occurrente infra Octavam ſpecialem. In Miſſa ſolemni non fit commemoratio Feſti ſimplicis, & in occurrentia Dominicę ante Miſſam cantatam fit Aſperſio Aquę Benedictę, excepta Eccleſia, in qua Pontificaliter cantat Epiſcopus. Legitur Epiſtola *Dominus poſſedit me*, ut ſciatur, quòd Deus ab æter- 1125

no

no prælegit Mariam Virginem pro Matre Unigeniti Filii ſui. Dicitur etiam *Credo* quod in Chòro totum decantat Clerus ſine Organi interpoſitione, nec interim Sacerdos proſequitur Miſſam, ſed expectat totam Symboli decantationem. Evangelium eſt de genealogia Chriſti, ut ex Sancto Joſepho inferatur nobilitas Mariæ, de qua jam diximus initio hujus Capitis. Præfatio verò dicenda in hac Miſſa, eſt de Beata Maria, cum verſiculo, *Et te in Nativitate*. Dicta tamen Præfatio, quæ communis eſt omnibus Feſtis & Miſſis de Beata Maria, cum ſola varietate Verſiculi, olim erat propria hujus Diei, ut patet ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ *pagin. mihi* 127. de qua, antiquitatem oſtenſurus hujus Feſti, dumtaxat tamen citando, meminit Cæſar Cardinalis Baronius *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub hac die* 8. *Sept.* prout eam ipſe legit manuſcriptam in Bibliotheca Vaticana, quia forſan tunc temporis non erat impreſſa, ut eſt modò: quia tamen eſt eadem cum illa quam ſupra extendimus in Miſſa de Vigilia particulari Eccleſiæ Ambroſianæ, ibi videatur, ne multiplicentur entia ſine neceſſitate.

At quia ſolebat Epiſcopus hodie impertiri Populo Benedictionem inter Miſſarum ſolemnia, ut 1126
fuſiùs diximus *tom.* 1. *in Miſſ. de nocte Nativit. Dom.* ideò Benedictio in Miſſa hujus Feſti, licèt deficiat ſuo proprio loco in dicto Sacramentario Gregoriano, ea tàmen reperitur in alio Epiſcopalium Benedictionum ſupplemento *ibid. pagin.* 636. & erat illa, quæ ſequitur, videlicèt: *Deus, qui cùm Te non capiant Cœli, dignatus es in Templo uteri virginalis includi, ut Mater integra haberet & fructum de Spiritu, & incorruptionem de Partu: da huic Plebi Angelum cuſtodem, qui Filium Mariæ Fide concipiente prædixit*. Amen. *Sanctifica Gregem tuum illa Benedictione, qua ſine ſemine humano Redemptorem Virginis formavit in utero*. Amen. *Ut Te protegente exultet Eccleſia de congregato Populo, ſicuti Maria meruit gloriam de fructu Sacrato*.

 Amen.

Amen. *Et qui hac die Nativitatem Sacratiſſimæ Virginis tuæ Genitricis Mariæ celebramus devoti, quam ſuper choros Virginum Paradiſi ſedibus collocaſti, ejuſdem nos ſuffragiis poſt abjectam carnis ſarcinam, ad æterna jubeas regna perduci*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum*. Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum*. Miſſale tamen Ambroſianum Mediolani impreſſum habet hodie Præfationem & à Romana & à Gregoriana diverſam, quæ apud illam Eccleſiam eſt adhuc in viridi obſervantia, & ideò hac die recitatur in Miſſa illius ritus, ut infra ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Recenſemus enim præclariſſimæ Nativitatis diem, quo glorioſiſſima Dei Genitrix, Virgo Maria, Stella coruſca & admirabilis, Mundo effulſit. Quæ nobis perennis vitæ janua, quam Eva in Paradiſo clauſerat, reſeravit: noſque de tenebris ad lucis antiqua gaudia revocavit, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Quòd ſi Dedicatio Eccleſiæ incidat alicubi in hoc Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis: poteſt enim duobus modis hujuſmodi occurrentia contingere, vel ut die octava Septembris, vel ut Dominica ſecunda Menſis interdum occurrens in dicta die octava: quovis ex prædictis duobus modis occurrat, Officium erit procuIdubio de Dedicatione, ſed cantantur duæ Miſſæ, ut in hiſce præciſis terminis de tali occurrentia decrevit Sacra Rituum Congregatio *in Ariminen. anno* 1604. *ſub die* 16. *Octobris*, referente Bartholomæo Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 8. *capitul.* 5. *ſub numer.* 4. & tradunt Carolus Guyetus *in Heortolog. libr.* 4. *ſect.* 1. *capitul.* 6. *quæſt.* 5. *verſ. Tertiò, pagin. mihi* 252. Marcus Antonius Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Adnotat. ad Sept. litt. D. ſub nu.* 1. *pagin.* 247. Egomet in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 225. *pag.* 71. *juxta* 1127

ta noviſſ. edit. Patavin. de Anno 1730. & ex me ſumpſit Claudius La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub numer.* 2055. *Decreto* 3. ac noviſſime Reverendiſſimus P. Merati, *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice ſub numer.* 17. Et hoc intelligitur etiam de quocunque Feſto Sancti vel Sanctæ, ſi eo die occurrat, & celebretur ſub ritu duplici primæ claſſis, nam ſemper erunt ibi cantandæ duæ Miſſæ. Dictum autem Sacræ Rituum Congregationis Decretum inhæret Rubricæ Generali Miſſalis *de translat. Feſtor. titul.* 6. ubi inter dies exceptos, in quibus cantari non poſſunt duæ Miſſæ, non includitur Dedicatio Eccleſiæ.

Hæc tamen Miſſa de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis non poteſt fieri infra Annum Votiva, nam licèt aliquid retineat commune Votivis de Beata Maria, multa tamen habet huic dumtaxat Solemnitati accommodata; quæ propterea non conveniunt Miſſæ Votivæ: & hæc expreſsè & nominatim Miſſa reperitur inter alias, quas non poſſe dici uti Votivas, declaravit Sacra Rituum Congregatio de ordine Pauli Quinti, ut refert Angelus à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſa Ritus, ſub numer.* 2. *pagin. mihi* 332. Infra verò hanc ſuam Octavam fieri poſſe uti Votivam in Feſtis ſcilicèt ſemiduplicibus alicubi occurrentibus, pro indubitato aſſeremus, cùm de Diebus infra iſtam ipſam Octavam ſermo erit. Cæterùm licèt approbata ſit immemorabilis conſuetudo laudabiliter ſervata in Congregatione Valliſoletana Ordinis S. Benedicti de Hiſpania cantandi immediatè poſt Primam ſingulis diebus Miſſam Votivam de Beata Virgine, dummodo etiam celebretur Miſſa Conventualis, non tamen poteſt ibi cantari hodie dicta Miſſa Votiva; nam inter dies exceptos, etiam peculiare Feſtum in honorem ejuſdem Beatæ Virginis, juxta præſcriptum in Kalendario Romano, claris verbis incluſit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1633. *ſub die* 19. *Novembris*, ut habet Thomas Paſcuecius *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatelli par.* 2. *titul.* 1128

titul. de Miſſa Sacrificio, *pagin.* 52. *juxta edit. Venet. de Anno* 1716. *poſt Roman. de Anno* 1699. & egomet retuli in mea Collectione de Regularibus cujuſcunque Ordinis, *tom.* 2. *ſub numer. margin.* 2620. *pagin.* 537. & ratio eſt, quia hoc eſſet bis cantare de eadem Beata Virgine, contra Axioma illud Rubriciſtarum: *non fit bis de eodem una die.*

Sed neque in hoc Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis cantari poſſunt duæ Miſſæ, una de Feſto, & altera de SS. Sacramento occaſione Orationis quadraginta Horarum in aliqua Eccleſia exponendo, nam inter Feſta excepta, in quibus talis Miſſa SS. Sacramenti non eſt cantanda, etiam quæcunque duplicia ſecundæ claſſis inſeruit Clemens Undecimus in ejus particulari Bullario *par.* 2. *Conſtitut.* 9. §. 10. *pagin.* 312. *edita anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*, præcipiens, ut in tali occurrentia cantetur Miſſa Conventualis de Feſto illo duplici ſecundæ claſſis, cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione, & ita ſervetur inviolabiliter in omnibus Eccleſiis tam Sæcularium quàm Regularium. Patet ex dictis, quòd ſi hodie non poteſt cantari Miſſa de SS. Sacramento, quæ caput eſt Votivarum ſolemnium, nec poterit cantari alia quævis Votiva pro re gravi: nam ſi ex eo, quòd poſſit aliqua die cantari Votiva SS. Sacramenti, ad omnes alias Votivas cantandas infert Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 243. ergo ex eo, quòd non poſſit cantari dicta Votiva SS. Sacramenti, inferendum eſt ad alias omnes Votivas non cantandas; ergo etiam pro aliis omnibus Votivis ſervandus eſt ordo ſupra expreſſus, cantando Miſſam de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis, cum oratione de illa Votiva alibi occurrente, ſub unica concluſione. Dicta tamen Oratio, ſive de SS. Sacramento, ſive de alia quavis Votiva pro re gravi, non eſt addenda in Miſſis privatis, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in una Canonicorum Regularium Lateranenſium anno* 1684. *ſub die* 2. *Decembris*, 1129

pris, ut refert Franciſcus Monacellius *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *titul.* 13. *formul.* 1. *pagin.* 51. *ſub numer.* 2. ac etiam Marcus Antonius Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Adnotat. ad Sept. litt.* N. *ſub numer.* 4. *pagin.* 252. ac P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 471. Cantari tamen poteſt unica Miſſa pro Defunctis in Die Obitus, præſente tamen Corpore in Eccleſia, nam ſola duplicia primæ claſſis excipiuntur, ut Sacra Rituum Congregatio reſpondit *in Collen*, *anno* 1698. *ſub die* 5. *Julii*, *ad* 8. *Dubium*. In quacunque denique Cathedrali, quæ Nativitati Beatæ Mariæ Virgini eſt dicata, Miſſam Epiſcopus cantat Pontificalem, juxta Cæremoniale Romanum alibi à nobis relatum.

Secundæ denique Veſperæ de Nativitate Beatę Mariæ Virginis ſunt ſemper integræ in Eccleſia Univerſali; & omninò dicuntur ut in Breviario: & ad Hymnum *Ave Maris Stella* in ſolemnibus, vide quæ diximus ſupra in primis Veſperis. Poſt Orationem Feſti fit commemoratio S. Gorgonii Martyris: at ſi occurrat ſimul Dominica, fit etiam commemoratio de ea ante Feſtum ſimplex. Idem dicendum ſi Dominica incidat in diem ſequentem, nam licèt in ea celebretur Feſtum SS. Nominis de eadem Beata Virgine, cùm tamen nihil de illo in hiſce ſecundis Veſperis ſit faciendum, reſtat commemoratio Dominicæ ſequentis, & S. Gorgonii. In Eccleſiis verò particularibus dari poſſunt aliæ commemorationes, nempè de Die Octava ſimul occurrente, ut Lucæ in Tuſcia hodie occurrit Dies Octava S. Reguli, Malacæ verò in Hiſpania Dies Octava Dedicationis Eccleſiarum Diœceſis, & utrobique in hiſce ſecundis Veſperis de Nativitate fit commemoratio de dicta Die Octava, & de Feſto ſimplici: & ſi præcedat vel ſubſequatur Dominica, fit priùs commemoratio de Die Octava, deinde Dominicæ, & poſtmodum de S. Gorgonio. Quoad verò commemorationem ſequentis, dum fit commemoratio Feſti ſimplicis, ſequitur, quòd majori ratione 1130

fiat

fiat de quovis Feſto novem Lectionum ſive duplici, ſive etiam ſemiduplici : ita Salisburgi fit commemoratio de ſequenti Feſto duplici minori S. Corbiniani Epiſcopi Confeſſoris : ita apud nos Venetiis fit commemoratio de ſequenti Die Octava Dedicationis Eccleſię Patriarchalis, ita ubi die nona Septembris occurrit Feſtum ſemiduplex, fit de eo commemoratio in ſecundis Veſperis Nativitatis. Quod ſi alicubi dicta die nona fiat Officium de aliqua Die infra unam ex illis Octavis, quæ habent Feſtum principale ſub ritu duplici primæ claſſis ; in dictis ſecundis Veſperis de Nativitate fit commemoratio de illa Die ſpeciali infra Octavam ante commemorationem S. Gorgonii : non ſic tamen, ſi illa Dies infra Octavam particularem eſſet impedita à Feſto novem Lectionum ; ut habet Rubrica Breviarii *de Commemorat. titul.* 9. *ſub numer.* 6. & iterum in tertio Notando *poſt Tabell. Concurren.*

At ſi die nona Septembris occurrat alicubi Feſtum duplex primæ claſſis, Veſperæ proculdubio erunt de ſequenti, cum commemoratione de precedenti Nativitate, & nihilominus ad Hymnum Completorii dicitur clauſula *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*. Sed quid dicendum, ſi die ſequenti fiat de Dedicatione ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ? Ego quidem, ſalvo meliori judicio, darem integras Veſperas Dedicationi, & conſequenter ſolam facerem commemorationem de præcedenti Nativitate, ex ratione ſuperius allata in primis Veſperis hujus Feſti : & ideò in Portucalenſi in Luſitania ; quia dicta die nona occurrit Dedicatio illius Cathedralis, quæ eſt duplex primæ claſſis apud Clerum Sæcularem, & ſimul duplex ſecundæ claſſis apud Clerum Regularem illius Loci, utrobique (ut reor) deberent eſſe primæ Veſperæ de ſequenti, cum ſola commemoratione Nativitatis, omiſſa illa de S. Gorgonio. Quid verò ſi die ſequenti fiat de duplici ſecundæ claſſis minùs digno, & in die octava Septembris occurrat Dominica ? nam ſe- 1131

cundæ

cundæ Veſperæ Nativitatis admittunt commemorationem Dominicæ, primæ verò de ſequenti illam excludunt. Ego facerem commemorationem Dominicæ, ex ratione etiam alibi tradita, nam cùm de Feſto ſequenti minùs digno fiat ſola commemoratio, in integris ſecundis Veſperis de Nativitate non impeditur commemoratio Dominicę. Si verò ſequens Feſtum duplex ſecundæ claſſis eſſet dignius, ut de Dedicatione Cathedralis reſpectu Regularium in eadem Urbe commorantium, quis non videat, omittendam eſſe commemorationem Dominicæ præcedentis? quia ex contraria ratione in primis Veſperis dignioribus de ſequenti, ſicuti ſunt & debent eſſe integræ, ſic data Nativitati commemoratione, nullum jus habet Dominica præcedens.

Ubi autem Nativitas Beatæ Mariæ Virginis eſt Titulus Eccleſiæ, ſi die ſequenti fiat de Feſto ſemiduplici, in ſecundis Veſperis ſolemnibus de Nativitate omitti poteſt commemoratio de dicto Semiduplici ſequenti, juxta Gavantum: & licèt hoc parùm adhæreat Rubricæ nullam diſtinctionem facienti inter Veſperas ſolemnes & privatas, ut videre eſt *de Commemor. titul. 9. ſub numer. 4.* nihilominùs in favorem unius tantùm Eccleſiæ magna pompa ſuum ſolemnizantis Titularem, videtur admitti poſſe hæc excluſio. Dixi, *unius tantùm Eccleſiæ*, nam ſi Nativitas ſit Titularis Eccleſiæ Cathedralis, per hoc, quòd in tota Civitate celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, non ideò in omnibus Eccleſiis omittenda erit dicta commemoratio ſequentis Semiduplicis, ſed tantùm in Cathedrali, quia quod credimus tolerandum in Eccleſia propria, non eſt abſolutè tollerandum in aliis Eccleſiis illius Loci. Et ratio eſt, quia illæ Veſperæ in caſu propoſito ſunt reverà ſolemnes, quæ in aliqua Eccleſia ſolemnizantur, nam in Eccleſiis, in quibus non eſt talis Solemnitas, cantantur, non ſolemnizantur, & cum hac diſtinctione videtur intelligendus Gavantus. Quòd ſi Eccleſia Cathedralis ſit dicata Nativitati 1133

Beatæ

Beatæ Mariæ Virginis, deſcendere deberet Epiſcopus in ſuam Eccleſiam ad cantandas Pontificaliter etiam haſce ſecundas Veſperas, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *libr. 2. capitul. 1. §. 3. pag. mihi 184. juxta noviſſ. edit. Roman. de Anno* 1729. ſub Benedicto XIII. ultimo ejuſdem Cæremonialis Recognitore, ut patet ex ejus Conſtitutione initio poſita, *edita anno* 1727. *ſub die 7. Martii*, *& incipit* Licèt aliàs.

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

INnocentius iſtius nominis Quartus, qui non creditur inſtituor hujus Feſti, creditur tamen inſtitutor hujus Octavæ. Ratio autem inſtitutionis fuit ſequens; quam deſumpſimus ex Gulielmo Durando *in Ration. Divinor. Officior. libr. 7. capitul. 28. ſub numer. 3. pagin. mihi* 296. Vacante enim Romana Eccleſia per obitum Gregorii Papæ Noni ſecutum anno 1241. ſub die 22. Auguſti, Cardinales concordare nequeuntes; ob multiplices præſertim moleſtias, quas eis incluſis Romani inferebant, & ob quas Sedes Apoſtolica per longiſſimum temporis ſpatium ſuo extitit viduata Paſtore, Reginæ Cœli voverunt, quòd ſi ejus meritis concordarent, & liberè abire poſſent, Octavam ſuæ Nativitatis diù neglectam, celebrandam de cætero ſtatuerent: & ita etiam Oldoinus *in Addition. ad Ciacon.* Sicque voto facto, ad Cœleſtinum Papam Quartum convenerunt, & 1133

libe-

liberati ſunt. Sed quia idem Cœleſtinus vixit ſolùm octodecim diebus, non potuit votum implere, quod poſtmodum dictus Innocentius Quartus ejus immediatus ſucceſſor implevit, creatus anno 1243. ſub die 24. Junii. Nec diſcordat Cæſar Cardinalis Baronius quoad hanc Octavam à præfato Innocentio inſtitutam, ut videre eſt *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub die 15. Sept.* ubi licèt Lectorem remittat ad ea quæ ſupra dixit *die 8. ejuſd. Menſis*, remittit tantùm quoad ipſum Feſtum Nativitatis ab eodem Pontifice non introductum, non verò quoad inſtitutionem Octavæ, nam dicta die 15. ſic revera habet: *cujus Octavæ Officium Eccleſiaſticum ab Innocentio Quarto conſtitutum tradunt*: & meminit etiam Gavantus *tom. 2. ſect. 7. cap. 11. die 15. Sept.*

Sed & Ludovicus Thomaſſinus, eruditiſſimus 1134
Congregationis Oratorii Presbyter, erutis ex theſauro Eccleſiaſticæ Antiquitatis pretioſioribus Notitiis Hiſtoricis & Dogmaticis, ſic ad noſtram rem habet in ſuo laudabili Commentario *de Dier. Feſtor. celebrat. lib. 2. cap. 20. ſub num. 4. circa fin. pag. 89. juxta noviſs. edit. Venet. de anno 1729* in quo primùm ex Gallico idiomate dictus Commentarius Latinè editus fuit: hæc igitur ibi præciſa ſunt ejus verba: *Additi feruntur octo Dies ab Innocentio Quarto ob Vota Deo nuncupata à Cardinalibus, antequam renunciaretur Pontifex, qui Maximo Urbis Sacerdotio ante eum* (ſcilicèt ante Cœleſtinum Quartum) *auctus fuit*: Innocentius tamen, cognitis Federici Imperatoris machinationibus, Lugdunum in Gallias contendit, ubi celebravit Concilium Lugdunenſe Primum, & Generale Decimumtertium, *anno* 1245. in cujus tertia Seſſione habita *die 17. Julii*, poſt multa ibi dicta hinc inde & audita, antequàm ad Feſtum accederetur Nativitatis Beatæ Virginis glorioſæ, ordinavit Octavam, ſacro Concilio approbante, inquiunt Acta Vaticana, & ex eis refert Franciſcus Pagi in ſuo doctiſſimo Breviario Pontificum Romanorum *tom. 3. de geſtis Innoc.*

noc. IV. ſub num. 18. *pag. verò* 254. *juxta novisſ. edit. Venet. de Anno* 1730. ubi tamen addit, quòd dictus Innocentius in præcitato Concilio Lugdunenſi Octavam non inſtituit, ſed jam in aliquibus Eccleſiis inceptam, ad totam Eccleſiam extendit.

1135 Expoſita ad eruditionem hujuſce Octavæ inſtitutione, ſeu extenſione, nunc de Sacris Ritibus ad ipſam Octavam ſpectantibus differendum eſt. Itaque Dies infra hanc Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, in quibus fieri poteſt (non occurrente Dominica) Officium ex integro de Die infra Octavam, quatuor ſunt in Eccleſia Univerſali, nempè nona, undecima, duodecima, & decimatertia Septembris, ſeu ſecunda, quarta, quinta, & ſexta infra Octavam. In Officio autem, ſi fiat de Octava, omnia dicuntur ut in Feſto, ſub ritu tamen ſemiduplici, & in colore albo. Lectiones verò primi Nocturni ſumuntur ex Scriptura occurrente: ſed in ſecundo, & tertio Nocturno qualibet Die ſunt propriæ. Die tamen nona & undecima Menſis, ſeu ſecunda & quarta infra Octavam, ad Matutinum dicitur nona Lectio de Feſto ſimplici occurrente, hoc eſt, de S. Gorgonio, vel reſpectivè de SS. Proto & Hyacintho, niſi alicubi celebretur cum Officio novem Lectionum, ut de ſecundis fit Piſis ſub ritu duplici. Ad Laudes omnia itidem dicuntur, ut in Feſto, nec fit in eis commemoratio, niſi de Feſto ſimplici occurrente, quod intelligitur de Eccleſia Univerſali, nam in Eccleſiis particularibus dari poteſt commemoratio de aliqua Die infra Octavam æqualis ritus ſed minus digna, ut quando Dominica prima Septembris occurrit die tertia vel quarta ejuſdem Menſis, tunc die nona, ſeu ſecunda infra Octavam Nativitatis, in tota fere Germania, & in Regno Bohemiæ ad laudes in Officio de Octava Nativitatis fit commemoratio de Die ſexta vel ſeptima infra Octavam SS. Angelorum Cuſtodum, quorum Feſtum ibi celebratur ſub ritu

tu duplici ſecundæ claſſis, quia in paritate ritus attenditur major dignitas Perſonæ, quam procul dubio habet Beata Virgo, Regina Angelorum.

At ubi ſimul occurrit Dies infra Octavam De- 1136
dicationis, Officium erit de ea, cum commemoratione Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, non ſolùm quia eſt Feſtum, verùm etiam quia ritum habet altiorem, nam ſi Nativitas, ut duplex ſecundæ claſſis cedit Dedicationi in ſuo Feſto, debet etiam cedere infra Octavam, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis: Et Sacra Rituum Congregatio in hiſce præciſis terminis de Dedicatione alicubi occurrente in Feſto Nativitatis, decrevit infra Octavam agendum de digniori, prout ſic decreviſſe *anno* 1604. *ſub die* 16. *Octobris*, teſtatur Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 8. *cap. ſub numer.* 4. & ex eo refert etiam Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 6. *quaſt.* 5. *pag.* 252. & ratio eſt, quia ſicuti in paritate ritus attenditur major dignitas Perſonæ, ſic ubi eſt ritus diſparitas, attenditur ipſe major ritus; ex quo ſequitur, quòd non ſolùm Octava Dedicationis locum habet ab Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, verùm etiam alia quævis Octava Sancti vel Sanctæ, ſi ejus Feſtum principale ſit duplex primæ claſſis, ut ſi alicubi incideret infra hanc Octavam Feſtum Patroni Loci, vel Titularis Eccleſiæ, ut in terminis de Octava Patroni Loci, & de Octava ſimul occurrente cujuſvis Feſti de Beata Virgine ſub ritu duplici ſecundæ claſſis celebrandi, extat ſequens Declaratio: *Propoſitis in Sacra Rituum Congregatione ad humillimas preces Decani & Capituli Cathedralis Curienſis ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinale Coloredo variis Dubiis*, inter ea fuit ſecundum tenoris ſequentis, videlicèt: *Quando duæ Octavæ ſimul occurrunt, ſcilicèt Patroni Principalis ſub ritu duplici primæ claſſis, & Beatæ Mariæ Virginis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, de quo infra Octavam eſt dicendum Officium?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio

ad ſecundum Dubium reſpondit, *recitandum Officium de Patrono Principali, cum commemoratione de Octava Beatæ Mariæ Virginis*: *Et ita declaravit die* 19. *Junii* 1700. Hæc autem Declaratio apud me reperitur in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de manu propria Illuſtriſſimi D. Secretarii.

Quòd ſi in aliqua Eccleſia Nativitas Beatæ 1137
Mariæ celebretur ſub ritu duplici primæ claſſis, ut ubi eſt Titulus, & eodem die occurrat Dedicatio Cathedralis, erit ne propria die agendum de Dedicatione, cum translatione Nativitatis in Eccleſia propria, vel de Nativitate, cum translatione Dedicationis Cathedralis? Reſpondeo, ſi attendenda eſt major dignitas Perſonæ in æqualitate ritus, Dedicatio in caſu propoſito eſt Feſtum Domini, Nativitas verò eſt Feſtum Dominæ: nec Feſtum Aſſumptionis valet pro quolibet alio Feſto Beatæ Mariæ Virginis, quia de Aſſumptione alibi probavimus eſſe Privilegium ſpeciale: quod autem fit per Privilegium, ſine illo fieri non poteſt, *l. Jus ſingulare* 15. *ff. de leg.* Baldus *conſil.* 281. *ſub num.* 7. *lib.* 5. Conſequenter infra Octavam, ſi caſus ſimultaneæ occurrentiæ eſt in Civitate, fit de Dedicatione Cathedralis, cum commemoratione Nativitatis: unde Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub numer.* 6. ſic revera docet. *Si duæ occurrant Octavæ ſimul celebrandæ, in eadem claſſe attende Perſonam hoc ordine, Chriſtum, Beatam Virginem, Angelos, & alios juxta ordinem Litaniarum*: & ideo ſupra diximus, quòd Octava SS. Angelorum Cuſtodum debet cedere Octavæ Nativitatis, ubi eorum Feſtum celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis in Dominica prima Septembris, quando dicta Dominica occurrit die tertia vel quarta ejuſdem Menſis; quia tunc die nona fit Officium ibi de ſecunda Die infra Octavam Nativitatis, cum commemoratione de Die ſexta vel ſeptima infra Octavam de dictis SS. Angelis Cuſtodibus. Sive autem infra Octavam fiat de Nativitate, ſive de

De-

Dedicatione ; ſive de aliquo Sancto Patrono vel Titulari, ad Primam dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*.

Cæterùm infra hanc Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis fieri poteſt de quocunque Feſto duplici etiam tranſlato, imò & de ſemiduplici occurrente, & in eo fit commemoratio Octavæ ad Laudes, & Feſti ſimplicis ſi occurrat. Dantur tamen caſus omittendi dictam Octavæ commemorationem, ut quando alicubi incidit infra hanc Octavam Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis: ita die decima tertia Septembris, ſeu ſexta infra Octavam Nativitatis, Veronæ in Dominio Veneto fit de Dedicatione illius Cathedralis ſine commemoratione Octavæ: ita Regii in Ducatu Mutinenſi eadem die decima tertia celebratur Feſtum duplex ſecundæ claſſis de S. Venerio Abbate Patrono Secundario, & non fit commemoratio de Nativitate: Et hæc commemoratio omittitur etiam ubi celebratur aliud diſtinctum Feſtum ejuſdem Beatæ Virginis, ut Auguſtæ Vindelicorum in Rhætia die itidem decima tertia hujus Menſis celebratur ſub ritu duplici Feſtum de Triceſimo Beatæ Mariæ, & in eo non fit commemoratio Octavæ. Quia verò in quocunque Officio de Feſto dicenda eſt ad Hymnos ejuſdem metri clauſula de Beata Maria, excipitur tamen Feſtum, ſi alicubi celebratur, de pluribus Martyribus, nam ad Matutinum retinetur clauſula, ut in eorum Hymno de Communi, quæ conſideratur propria ex illis verbis, *Ut Martyrum conſortio jungas precantes ſervulos*. Ubi autem fit Octava de SS. Angelis Cuſtodibus à Dominica prima ad ſecundam Septembris, ut in toto ferè Regno Germaniæ, & Bohemiæ, quando eorum Dies Octava occurrit infra hanc Octavam Nativitatis, retinetur tantùm ad Laudes clauſula Hymni, ut clarè patet ex ſequenti Declaratione facta pro illis Locis & Ec- 1138

cleſiis, ſcilicèt: *Utrum in Feſto, & per Octavam SS. Angelorum Cuſtodum, Hymni ejuſdem Metri terminari poſſint, ſicut terminatur eorum Hymnus in Laudibus per ſtropham, = Deo patri ſit gloria, qui quos redemit Filius, & Sanctus unxit Spiritus, per Angelos cuſtodiat?* Et Sacra Rituum Congregatio in Curienſi ad quartum Dubium reſpondit, *Negativè, & ita declaravit die 19. Junii* 1700. ut modò lego Declarationem, quam Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de manu propria Illuſtriſſimi D. Secretarii.

Ubi tamen Nativitas Beatæ Mariæ Virginis 1139 alicubi eſt transferenda ob Feſtum Dedicationis, vel aliud primæ claſſis ibi ſimul occurrens, ipſa Nativitas reponitur die ſequenti infra Octavam, niſi occurrat Dominica, vel aliquod Feſtum novem Lectionum, alioquin in aliam diem non impeditam: & tunc non erit forſan neceſſaria diviſio octavæ Lectionis, nam ſive reponatur die nona vel undecima Septembris, ſeu ſecunda vel quarta infra Octavam, erit prompta nona Lectio S. Gorgonii, vel SS. Mm. Proti & Hyacinthi. Debet autem ſecunda Die infra hanc Octavam non impedita reponi Feſtum ſemiduplex, quod heri alicubi occurrebat in ipſo Feſto Nativitatis, ut Torcelli prope Venetias occurrit Feſtum S. Adriani ſub eodem ritu ſemiduplici, etiam ante quodlibet Feſtum duplex antea translatum, etiam ipſius Nativitatis impeditæ à Dedicatione Eccleſiæ, vel alio Feſto duplici primæ claſſis, & hoc juxta ea, quæ ſupra diximus in Die Aſcenſionis Domini. Denique infra hanc Octavam non fit de Officio ſemel in Hebdomada conceſſo, niſi ad hoc habeatur ſpeciale Indultum.

§. V.

§. V.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Diebus infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Miſſa in Die infra Octavam Nativitatis Bea- 1140
tæ Mariæ Virginis, ſi Officium factum ſit de Octava; dicitur ut in Feſto, cum *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione de Spiritu Sancto; ac tertia Eccleſiæ vel pro Papa. Quòd ſi occurrat Feſtum ſimplex, ut die nona & undecima Septembris, ſeu ſecunda & quarta infra hanc Octavam; tunc ſecunda Oratio erit de Simplici; & tertia de Spiritu Sancto: Si verò alicubi ſimul incidat alia Dies infra Octavam ſpecialem, & quidem de Feſto ejuſdem claſſis cum Nativitate; ſed minus diguo, in Miſſa dicetur ſecunda Oratio de illa Octava ſpeciali, & tertia de Spiritu Sancto, vel reſpectivè de Feſto Simplici: ſic in Regnis Hungarico, Germanico, & Bohemico, in quibus Feſtum SS. Angelorum Cuſtodum celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis cum Octava à Dominica prima ad ſecundam Septembris, quando dicta Dominica venerit die tertia vel quarta Menſis, ibi die nona Septembris in Miſſa de Octava Nativitatis dicitur ſecunda Oratio de ſexta vel ſeptima Die infra Octavam dictorum SS. Angelorum Cuſtodum, & tertia de S. Gorgonio, prout adnotavi in Directorio Segnienſi pro An-

no 1724. in Dominica prima Menſis quæ occurrebat die tertia, & pro Anno 1735. in quo incidebat in diem quartam Septembris: ſic etiam in omnibus & ſingulis Ordinibus Fratrum Minorum S. Franciſci, apud quos Feſtum S. Roſæ Virginis Viterbienſis celebratur die quarta Septembris ſub ritu duplici ſecundæ claſſis cum Octava, ibi die itidem nona Menſis in Miſsa de Die ſecunda infra Octavam Nativitatis dicitur ſecunda Oratio de ſeptima Die infra Octavam dictæ S. Roſæ, & tertia de Feſto Simplici.

In dicta Miſsa de Die infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis dicitur etiam *Credo*, cum Verſiculo in Præfatione, *Et te in Nativitate*. In Congregatione verò Valliſolitana Ordinis S. Benedicti in Hiſpania, cui confirmata fuit immemorabilis conſuetudo cantandi ſingulis diebus Votivam de Beata Maria (ut dixi ſupra in ipſo Feſto Nativitatis) non tamen omiſsa Conventuali Diei ſeu Feſti currentis: quia tamen inter dies exceptos includuntur dies omnes, in quibus celebrari debet peculiare Feſtum in honorem Beatæ Virginis, juxta præſcriptum in Calendario Romano, videntur excepti etiam omnes dies infra eandem Octavam, ſi in illis Eccleſiis fiat Officium de ea, quia finis exceptionis eſt, ne bis eodem die cantetur de Beata Virgine: ubi enim adeſt eadem ratio, eadem regula eſt ſervanda. Quòd ſi alicubi occurrat Octava de Dedicatione Eccleſiæ, vel de alio duplici primæ claſſis, Miſſa erit de illa Octava, ſi Officium fuit de ea, cum ſecunda Oratione de Octava Nativitatis, & tertia *Concedo* ac Præfatio dicitur de Nativitate Beatæ Mariæ, niſi forſan Octava illa propriam Præfationem haberet. Et hæc credimus ſatis de Miſſa Dierum infra Octavam, ſive Nativitatis, ſive Dedicationis, vel alterius Feſti ſub ritu duplici primæ claſſis celebrandi. 1141

Quia tamen ex ſuperiùs dictis poteſt infra hanc Octavam fieri de quovis Feſto duplici etiam tranſlato, 1142

lato, imò & de Feſto ſemiduplici occurrente, hinc eſt, quòd etiam Miſſa debet concordare cum Officio: ideoque dicenda eſt de Feſto occurrente, cum ſecunda Oratione de Nativitate, & tertia de Feſto ſimplici, ſi occurrat: ſi verò non occurrat, & Officium fuit de Feſto ſemiduplici, tertia oratio dicitur de Spiritu Sancto, quia in ſemiduplicibus occurrentibus infra Octavas Sanctæ Mariæ dicitur ſecunda Oratio de Octava, & tertia de Spiritu Sancto. Si verò eo die, quo fit de Feſto ſemiduplici aliquis Sacerdos dicere vellet Miſſam de Beata Maria, debet dicere de hac Octava, ſed ritu Votivo, ſine *Gloria*, cum ſecunda Oratione de illo ſemiduplici, & tertia de Spiritu Sancto, vel de ſimplici, ſi eo die occurrat, nec dicitur *Credo*, ut alibi diximus: Dicetur autem *Gloria* ſi eo die, quo fit de Semiduplici, veniat Sabbatum, quia tunc ratione Sabbati in Miſſa Votiva de Octava dicitur Hymnus Angelicus. Non ſolùm autem infra hanc Octavam dici poteſt in Feſto Semiduplici Miſſa Votiva de Nativitate, verùm etiam quæcunque alia Votiva privata, & pro Defunctis, tam ſi fiat de ſemiduplici, quàm de ipſa Octava. In Miſſa verò de Feſto fit commemoratio ſemper de Nativitate, & de Simplici occurrente, niſi Feſtum illud ſit duplex primæ vel ſecundæ claſſis, vel alicubi occurrat aliud Feſtum diſtinctum de eadem Beata Maria: itaque ſi occurrerit duplex ſecundæ claſſis, nihil fit in ejus Miſſa de Octava, ſed ſi veniat eo die, in quo habetur Feſtum ſimplex, omiſſa commemoratione Octavæ, in Miſſis tantùm privatis fit commemoratio Simplicis: ſecus verò ſi fiat de duplici primæ claſſis, nam in ejus Miſſa tam privata, quàm ſolemni, nihil de Octava, nihilque de Feſto Simplici. In Miſſa denique de quovis Feſto dicitur *Gloria*, ac etiam *Credo*, nec non & Præfatio de Beata Maria *Et te in Nativitate*, niſi Miſſa habeat Præfationem propriam, ut die decimaquarta in Feſto exaltationis S. Cru-

ctis, & Auguſtæ Vindelicorum in Rhætia, ubi die decimatertia fit de Triceſimo Beatæ Mariæ Virginis ſub ritu duplici, ſine con memoratione Octavæ, & cum Præfatione *Et te in Feſtivitate*, licèt dicatur Miſſa, ex ſpeciali conceſſione, ut ſupponitur, de Aſſumptione.

Veſperæ denique de Die infra Octavam Nati- 1143
vitatis Beatæ Mariæ Virginis bis poſſunt eſſe integræ, non occurrente Dominica: nunquam dividuntur à Capitulo, ſæpè ſolam habent commemorationem, & quandoque etiam commemoratione privantur, & hoc in Eccleſia Univerſali. Sed ut res clarior fiat, diſponamus dietim Veſperas. Itaque die nona Septembris, ſeu ſecunda infra Octavam, Veſperæ ſunt de ſequenti Feſto duplici minori S. Nicolai de Tolentino, cum commemoratione Octavæ. Die decima, ſeu tertia infra Octavam, in ſecundis de eodem S. Nicolao fit commemoratio Octavæ, & Feſti ſimplicis, ſeu SS. Proti & Hyacinthi. Die undecima ſeu quarta infra Octavam, Veſperæ ex integro dicuntur de Octava, niſi die ſequenti occurrat Dominica, & omnia ſumuntur ex ſecundis Veſperis Feſti, juxta Rubricam Breviarii *de Octavis, tit.* 7. *ſub numer.* 5. Die verò duodecima, ſeu quinta infra Octavam, niſi in diem ſequentem incidat ſimiliter Dominica, Veſperæ ſunt itidem integræ de Octava. Die autem decima tertia, ſeu ſexta infra Octavam, Veſperæ ſunt de ſequenti Feſto duplici majori Exaltationis S. Crucis, ad cujus Hymnum proprium non mutatur clauſula ob illa verba, quæ faciunt clauſulam propriam, videlicèt, *Quibus Crucis victoriam largiris, adde præmium*: & genuflectitur ad ſextam ſtropham ejuſdem Hymni, in qua dicitur, *O Crux ave ſpes unica*, ex Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 1. *ſub numer.* 4. ac etiam Guyetus *in Heortolog. lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 7. *verſ. ſecundò, pag.* 174. & in dictis primis Veſperis Exaltationis S. Crucis fit commemoratio de Octava. Die denique decimaquarta Septembris ſeu ſeptima infra

fra Octavam ceſsat in Veſperis commemoratio de Die infra eandem Octavam, nam in ſecundis Veſperis de dicta Exaltatione S. Crucis fit commemoratio de ſequenti Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, cui additur & illa de Feſto ſimplici itidem ſequenti S. Nicomedis.

In Eccleſiis verò particularibus nonnullæ contingere poſsunt varietates in Veſperis. Ubi enim 1144
ſumus infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ, vel alterius Feſti ſub ritu primæ claſſis celebrandi, & cum Octava, ut quando Dominica ſecunda Septembris occurrit poſt diem quartam ejuſdem Menſis, Venetiis in Eccleſia Parochiali SS. Euphemiæ & ſociarum die nona dicti Septembris fit de Die infra Octavam Dedicationis illius Eccleſiæ, & ideò in ſecundis de Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ fit ibi commemoratio de illa Die infra Octavam Dedicationis, juxta Rubricam *de Commemor. tit. 9. ſub numer. 6.* & iterum in Notando tertio *poſt Tabell. Concurren.* deinde fit in diem etiam commemoratio S. Gorgonii. Quòd ſi Dedicatio occurrat in ipſo Feſto Nativitatis, & Nativitas transferatur in diem ſequentem, in ſecundis Veſperis de Dedicatione fit commemoratio de ſequenti Nativitate, ſed non S. Gorgonii, quæ omittitur tam ratione Dedicationis, quæ eſt duplex primæ claſſis, quàm etiam ſequentis Nativitatis, quæ eſt duplex ſecundæ claſſis. Si verò die undecima vel duodecima Septembris occurrat alicubi Feſtum ſemiduplex, & die ſequenti Officium fit de Octava, Veſperæ dividuntur, & fiunt à Capitulo de Octava, cum commemoratione Semiduplicis præcedentis, qui caſus non habetur in Eccleſia Univerſali: ita apud nos Venetiis die duodecima fit de Feſto ſemiduplici S. Niceti Martyris, & ideo Veſperæ (non occurrente Dominica in die ſequenti) ſunt à Capitulo de Octava Nativitatis, cum commemoratione S. Niceti præcedentis.

Deperditur autem, ſeu omittitur in Veſperis 1145
commemoratio de Octava Nativitatis Beatæ Ma-

riæ

riæ Virginis, ſi fiat alicubi de Feſto duplici primæ claſſis: ita Veronæ in Dominio Veneto die decimatertia Septembris ſeu ſexta infra Octavam, occurrit Dedicatio illius Cathedralis, & in utriſque Veſperis omittitur ibi commemoratio de Octava Nativitatis. Sed & in Veſperis nihil fit de dicta Nativitate, ubi celebratur Feſtum duplex ſecundæ claſſis, niſi de ſequenti Officium ſit de Octava, ut ſupra vidimus: ita Regii in Ducatu Mutinenſi, dicta die decima tertia Septembris fit de S. Venerio Abbate ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & tam in primis, quàm in ſecundis ejus Veſperis nihil fit de Octava, vigore Rubricæ Breviarii ſuperiùs citatę. Sed & nihil fit de hac Octava, ubi infra eam celebratur aliquod aliud Feſtum diſtinctum ejuſdem Beatę Virginis: ſic Auguſtę Vindelicorum in Rhętia ſępè dicta die decimatertia Menſis Officium eſt de Triceſimo Beatę Marię Virginis ſub ritu duplici, & ideo ibi in utriſque Veſperis omittitur commemoratio Octavę, quia in eadem Hora Canonica non fit de eodem, juxta Axioma Rubriciſtarum: ſed hoc clariùs patebit, cùm de Octava Conceptionis, infra quam pluribus in Locis fit de translatione Almę Domus Lauretanę, ſermo erit. Aſt ubi fit de duabus Octavis ſimul occurrentibus, & Officium die undecima vel duodecima Menſis ſit de Octava, in Veſperis de digniori fit commemoratio de minus digna. Pręcedentiam verò, quam habet Octava dignior, quando Officium eſt de Octava, retinet etiam in Veſperis de Feſto, quod non ſit duplex primę vel ſecundę claſſis, ita ut tam in primis, quàm in ſecundis Veſperis fiat priùs commemoratio de Octava digniori, deinde de minus digna.

Illud tandem notandum eſt in Veſperis, quod 1146
obſervant Auctores in Arte periti: Si enim hodie fiat de Feſto ſemiduplici, & cras de duplici minori vel majori infra hanc Octavam, in primis Veſperis de ſequenti duplici facienda eſt priùs

com-

commemoratio de ſemiduplici pręcedenti, deinde de Octava, licèt in concurrentia Feſti ſemiduplicis cum Die infra Octavam, ſemiduplex haberet commemorationem poſt Octavam, ut benè Gavantus *tom. 2. ſect. 3. cap. 11. de Commemor. ſub numer.* 39. ubi de ratione, quia ſcilicèt non ſumus in concurrentia ſemiduplicis cum Die infra Octavam, ſed ſemiduplicis cum duplici infra Octavam, in qua concurrentia Semiduplex Feſtum eſt nobilius per ſe loquendo (quia Feſtum eſt) quàm Dies infra Octavam quę eſt continuatio Feſti: & adducit caſum in terminis in ſecundis Veſperis S. Thomę Cantuarienſis, quando ratione Dominicę repoſitus in Feria ſecunda, concurrit cum Feſto duplici S. Silveſtri, ubi Veſperę ſunt integrę de ſequenti duplici, cum commemoratione S. Thomę ſemiduplicis, deinde Octavarum: Denique quod docet, ipſe ſervat in tabula tertia & quarta ordinis perpetui ubi die 7. Maii. In primis Veſperis de Feſto duplici majori Apparitionis S. Michaelis Archangeli citat priùs commemorationem S. Stanislai tunc ſemiduplicis (nam modò eſt Feſtum duplex, elevatum à Clemente XII. ſub die 13. Martii 1736.) deinde Octavę Aſcenſionis Domini. Hanc autem Gavanti opinionem laudabiliter recipit & hoc veriſſimum dicit Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 13. *quaſt.* 8. *verſ. Quod inſuper*, *pag.* 276. ubi affert pulcherrimum exemplum à ſe inventum, ibique videndum.

§. VI.

§. VI.

De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

HÆc Dominica infra Octavam Nativitatis 1147
Beatæ Mariæ Virginis, bifariam dividitur; & in Dominicam Menſis Septembris, & in Dominicam poſt Pentecoſten. Ut Dominica Menſis, poteſt eſſe modò ſecunda, modò tertia Septembris. Erit ſecunda, ſi occurrrerit die nona, decima, vel undecima: Erit verò tertia, ſi venerit die duodecima, decima tertia, aut decima quarta Menſis. Ut Dominica tamen poſt Pentecoſten erit ſemper una ex ſex ſequentibus, ſcilicet; decima tertia, decima quarta, decima quinta, decima ſexta, decima ſeptima vel decima octava. Sed hæc Dominica infra Octavam Nativitatis, *à die* 20. *Novembris* 1683. eſt ſemper impedita à Feſto SS. Nominis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quod in memoriam inſignis Victoriæ ab Armis Chriſtianis de Turcis reportatę, & Civitatis Viennę in Auſtria ab arctiſſima obſidione ſolutę, ad Univerſalem Eccleſiam ſub ritu duplici majori extendit Innocentius XI. Summus Pontifex, cujus ego Vitam conſcripſi, & de prędicta Victoria mentionem feci, nec non & de hujus Officii conceſſione ſeu extenſione. Hanc ego Civitatem, Auſtrię Metropolim, & Sedem Imperatorum, non multo poſt ejus liberationem volui perſonaliter videre medius inter Arma, ab illa excitatus exultatione, qua

extra

extra ſe videbatur Orbis Catholicus, imprimiſque tota Italia, nam Beatiſſima Virgo etiam per hujuſmodi liberationem ſua interceſſione ſecutam, gaudium annunciavit univerſo Mundo.

Quia verò dictus Innocentius Undecimus pro eodem Feſto de SS. Nomine Beatæ Mariæ Virginis, mutavit diem, quæ antea in pleriſque Eccleſiis erat decima ſeptima Septembris cum Indulgentiis, & novum in generali extenſione dedit Officium: orta fuere ſequentia Dubia, quæ ſic à Sacra Rituum Congregatione ſunt reſoluta, nempè, = Cùm Sanctiſſimus D. N. D. Innocentius Papa XI. per Univerſam Eccleſiam celebrari præceperit Feſtum SS. Nominis Beatiſſimę Mariæ Virginis in Dominica infra Octavam Nativitis ejuſdem Virginis Mariæ, cum Officio & Miſſa propriis, ſub ritu duplici majoris: Quod Feſtum jam antè ex Indulto Apoſtolico nonnullis in Locis cum Indulgentiis pro Chriſti fidelibus Miſſæ ſolemni intereſſentibus die decima ſeptima Septembris celebrabatur cum Officio & Miſſa propriis: Inſtitum fuit à Sacra Rituum Congregatione declarari: *Primò*: An ceſſare debeat in dictis Locis tam Officium proprium, quàm Feſtum SS. Nominis Mariæ jam ante à Sede Apoſtolica approbatum, ita ut idem Feſtum dicta die decima ſeptima Septembris, cum dicto Officio & Miſſa propriis, non poſſit ampliùs celebrari? *Secundò*: An dictæ Indulgentiæ etiam cenſeantur ceſſare, an verò intelligantur translatæ ad dictam Dominicam infra Octavam Nativitatis Beatiſſimæ Mariæ Virginis? *Tertiò*: An dictum Officium, & Miſſa de Nomine Beatiſſimæ Mariæ Virginis pro dictis Locis, aut Ordinibus Regularibus poſſint ampliùs reimprimi, ac illo poſthac poſſint iidem uti? *Et Sacra eadem Rituum Congregatio*, reſpondit ad dicta Dubia, ut infra, videlicet: *Ad primum*: ceſſare debere: *Ad ſecundum*: Indulgentias pariter ceſſare, & pro translatione ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo: *Ad tertium*: non lice- 1148

licere : *& ita decrevit , & ſervari mandavit* , *die* 17. *Junii* 1684. ut habetur in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis *tom.* 7. *poſt Conſtitut.* 16. *Innocentii XI.*

Poſita Univerſalis Feſtivitatis inſtitutione , ut incipiamus à primis Veſperis , à quibus ipſa Feſtivitas incipit , ſi hæc Dominica infra Octavam venerit die nona Septembris , in ſecundis Veſperis de Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, non eſt facienda commemoratio de ejus SS. Nomine , ut decrevit Sacra Rituum Congregatio *in Decreto General. de anno* 1684. *ſub die* 23. *Septembris* , ut dixi de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 982. & refert P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice* , *ſub numer.* 132. Non ſolùm autem ſic agendum eſt in Eccleſia Univerſali , in qua Officium eſt duplex majus , ſed etiam Viennæ in Auſtria , & in omnibus Dominiis , in quibus eſt duplex ſecundæ claſſis , nam ritus altior non tollit ipſeitatem Perſonæ : nec paritas ritus ejuſdem facit attendere majorem dignitatem in Feſto SS. Nominis , quàm in Feſto Nativitatis , ita ut in præfata concurrentia Veſperæ dicendæ ſint de ſequenti , abſque commemoratione præcedentis , cùm debeant eſſe de Nativitate ſine commemoratione SS. Nominis : In dictis tamen ſecundis Veſperis de Feſto Nativitatis cadentibus , in Sabbato facienda tamen & commemoratio de Dominica ſequenti , quæ ſicuti ſemper erit ſecunda Septembris , ſic ſemper Antiphona ſumetur ex Sabbato ante dictam Dominicam, nempè, *In omnibus his* , *&c.* cum Verſiculo & Reſponſorio de Pſalterio : ſed Oratio , cùm poſſit eſſe una ex jam ſupra enumeratis poſt Pentecoſten , ideò dicetur ea , quæ eo anno occurret : deinde fiet etiam commemoratio S. Gorgonii Martyris , antequam tamen illa erit præmittenda , quæ alicubi forſan poterit incidere de aliqua Die infra Octavam ſpecialem. 1149

Quòd ſi dicta Dominica infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis occurrerit die decima 1150

ma Septembris, in primis Veſperis de SS. Nomine fit commemoratio Dominicæ, ſed non Octavæ: & Feſtum S. Nicolai transfertur: Si verò inciderit in diem undecimam ejuſdem Menſis, in primis Veſperis de SS. Nomine fit commemoratio de præcedenti Feſto S. Nicolai, & Dominicæ, ac etiam de ſequenti Feſto ſimplici SS. Mm. Proti & Hyacinthi, non tamen de Octava Nativitatis. Veniente verò Dominica infra Octavam in die duodecima Septembris, in primis Veſperis de ſequenti fit commemoratio Dominicæ, quæ erit tertia Menſis, & ideò Antiphona ſumetur ex Sabbato ante dictam Dominicam, videlicet, *Ne reminiſcaris, &c.* cum Oratione de Dominica, quæ eo anno occurrit poſt Pentecoſten, & nihil de Nativitate. Quòd ſi hæc Dominica infra Octavam venerit die decima tertia, Veſperæ ſunt de SS. Nomine, cum commemoratione Dominicæ, ſed non Octavæ. Incidente verò Dominica in diem decimam quartam Menſis, fit Officium de Exaltatione S. Crucis, & ideò primæ Veſperæ erut de ea, cum commemoratione Dominicæ, & Octavæ: Feſtum verò SS. Nominis Beatæ Mariæ Virginis transfertur, ut in præciſis terminis hujuſmet occurrentiæ decrevit Sacra Rtiuum Congregatio *anno* 1686. *ſub die* 20. *Julii*, apud Marcum Antonium Fagioli *in Kalendario perpet. ration. in Adnotat. ad Septembrem, ſub litt. E. pagin.* 247. & habetur etiam inter Rubricas Breviarii Franciſcani, *tit.* 10. *de translat. Feſtor. ſub num.* 132.

Sicut autem incidente Dominica infra Octavam in diem decimam quartam Septembris, transfertur Feſtum ſanctiſſimi Nominis Beatæ Virginis, eo quòd in paritate ritus attenditur major dignitas Feſti, ita ubi Feſtum dicti SS. Nominis celebratur ſub ritu duplici ſecundę claſſis, ut Viennę in Auſtria, Segniæ in Dalmatia, & in pluribus Civitatibus & Diœceſibus Germanię, Hungariæ, & Bohemiæ, ibi in prædicta Dominicę occurrentia transfertur Feſtum Exaltationis S. Cru- 1151

Crucis, quia in ritus inæqualitate attenditur altior ritus: & ideò in primis Veſperis de eodem SS. Nomine fit commemoratio Dominicæ, non verò Octavę. Ubi verò Exaltatio S. Crucis celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, iterum transfertur Feſtum de SS. Nomine, & in primis Veſperis Exaltationis, omiſſa commemoratione de Octava Nativitatis, fit ſola commemoratio Dominicæ: ita Barcinone, & Oveti in Hiſpania, ubi dicta Exaltatio S. Crucis celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum Octava, & itidem Lucæ in Italia. Non ſolùm autem transfertur dictum Feſtum de SS. Nomine Beatę Mariæ Virginis in occurrentia ejuſdem Exaltationis S. Crucis, verùm etiam in occurrentia cujuſvis Diei Octavæ alicubi incidente, ſiquidem eſſe transferendum, etiam quando occurrit in Die Octava SS. Angelorum Cuſtodum (quod Feſtum celebratur per Germaniam, Hungariam, & Bohemiam ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, cum Octava, a Dominica prima ad ſecundam Septembris) declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1707. *ſub die* 22. *Januarii*, prout ex Piſarto *in Direct. Canon. capitul.* 8. *in Prop. Sanct. Menſis Septembris*, refert Joannes Baptiſta Halden *in Ephemerolog. Eccleſiaſt. par.* 1. *tit.* 44. *verſ. Sabb. infr. Oct. SS. Aug. Cuſt. circa fin.* Propterea & nos Venetiis die nona Septembris agimus de Die Octava Dedicationis Eccleſiæ Patriarchalis, & quotieſcunque in illam diem occurrit Dominica infra Octavam, transferimus dictum Nomen de Maria Virgine, juxta Rubricas: In hujuſmodi autem occurrentia, primis Veſperis de Die Octava datur commemoratio Dominicæ, & Octavæ Nativitatis, ac etiam Feſti ſimplicis occurrentis.

Quoad verò Officium de SS. Nomine Beatæ Virginis Mariæ in ipſa Dominica infra Octavam 1152
Nativitatis ejuſdem Beatæ Virginis, celebrandum, omnia ſunt propria in Breviario. Ad Matutinum dicitur nona Lectio Dominicæ, quę cùm non poſſit aſſignari abſolutè, eo quòd plures ſunt nu-

numero poſſibiles in occurrentia, ut jam ſupra aſſignavimus numerum occurrentium, quem præterire non poterunt. Ad Laudes fit commemoratio ejuſdem Dominicæ occurrentis, ſed non de Octava Nativitatis: ſed ſi Dominica venerit die nona, vel undecima Septembris poſt commemorationem Dominicæ fiet etiam illa de Feſto ſimplici: quòd ſi alicubi recurrat aliqua Dies infra Octavam ſpecialem, fit etiam commemoratio de ea poſt illam Dominicæ: ita in Civitate Portucalenſi in Luſitania, ſi Dominica venerit die undecima Menſis, ad Laudes de Feſto SS. Nominis fit commemoratio de Dominica, de tertia Die infra Octavam Dedicationis Cathedralis, ac de Feſto ſimplici SS. Proti & Hyacinthi. At ſi Dominica occurrat die decima quarta Septembris, tranſlato (ut ſupra diximus) Feſto SS. Nominis, fiet Officium de Exaltatione S. Crucis, cum nona Lectione Dominicæ ad Matutinum, & cum ejus commemoratione ad Laudes, cui addenda erit & illa de Octava Nativitatis, quia ſumus extra caſum ipſeitatis Perſonæ. Licèt autem Feſtum SS. Nominis cedat Exaltationi S. Crucis, non ideò habet locum in Die Octava alicubi occurrente, nam ſi Dies Octava locum habet ab Exaltatione S. Crucis, quod eſt majus, quia Feſtum Domini, multo magis debet habere à SS. Nomine, quod eſt minus, quia Feſtum Dominæ: & hoc loco valet regula illa ad favorem Diei Octavæ: *ſi vinco vincentem te, multo magis vinco te*.

1153 Quòd autem Exaltatio S. Crucis cedat Diei Octavæ alicubi occurrenti, arguitur à ſimili, nam Octavarium Romanum die ſexta Auguſti transfert Feſtum duplex majus Transfigurationis Domini, & eodem die ponit Officium de Die Octava S. Marthæ Virginis in Eccleſia propria: Exemplum verò habemus Brixiæ in Dominio Veneto, ubi die ſexta Auguſti, tranſlato in Civitate Feſto dictæ Transfigurationis, fit quovis anno de Die Octava Dedicationis illius Cathedralis.

Sed de SS. Nomine Beatæ Mariæ Virginis transferendo in occurrentia Diei Octavæ, plures extant Sacræ Rituum Congregationis Declarationes, quarum tamen duas volumus per extenſum ponere, tanquam recentiores. Prima igitur eſt tenoris ſequentis, videlicet: *Cùm Officium SS. Nominis Mariæ celebrandum ſit in Dominica infra Octavam Nativitatis ejuſdem ſub ritu duplici majori, in quam Dominicam ferè ſingulis annis incidit in Diœceſi Curienſi Dies Octava SS. Angelorum Cuſtodum ſub ritu duplici minori: Utrùm liceat transferre Feſtum SS. Nominis Mariæ in primam diem non impeditam; & in Dominica præfata celebrare Officium de Die Octava SS. Angelorum Cuſtodum?* Et Sacra Rituum Congregatio in Curien. ad tertium Dubium reſpondit: *Affirmativè: & ita declaravit. Die 19. Junii 1700.* & hæc Declaratio eſt apud me in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii. Altera verò ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis Declaratio eſt *de anno 1707. ſub die 22. Januarii*, in qua reſponſum fuit, quòd quotieſcunque occurrerit in Ordine Minorum S. Franciſci Dies Octava S. Roſæ Viterbienſis in Dominica infra Octavam Nativitatis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, fiat Officium de dicta Die Octava S. Roſæ, protracto ulteriùs Feſto dicti SS. Nominis: & hoc Decretum pluribus in Locis impreſſum eſt, ac noviſſimè refert P. Merati *tom. 2. par. 1. in Indice, ſub num. 244.*

Quia verò hæc Dominica infra Octavam poteſt eſſe tertia Septembris, in qua *Incipit Liber Tobiæ*, ut ſi venerit die duodecima, vel decima tertia, ejuſdem Menſis, erit ſemper tertia: cùm igitur ſit Dominica impedita à dicto Feſto SS. Nominis Beatæ Mariæ Virginis, in cujus primo Nocturno habentur Lectiones propriæ de Parabolis Salomonis, incipientes *Ego Sapientia*: ideò dictum *Initium Tobiæ* nunquam propria die legendum, poni debet in Feria ſecunda immediatè ſequenti, & ſimilibus propriis Lectionibus impedita, 1154

pedita, ponetur in Feria tertia, ut quando Dominica occurrerit die decima tertia Septembris, Officium diei decimę quartę & decimę quintę eſt impeditum à Lectionibus propriis primi Nocturni *de Libro Numeri*, & reſpectivè *de Canticis Canticorum*: quapropter *initium* illud *Tobiæ* in hujuſmodi caſu ponendum erit die decima ſexta in Feria quarta in primo Nocturno de Feſto ſemiduplici SS. Mm. Cornelii & Cypriani, & hoc in Eccleſia Univerſali & idem dicendum, ſi Dominica incidat in diem decimamquartam ſemper impeditam. Sed in Eccleſiis particularibus protrahi poteſt ulterius uſque ad Feriam ſextam illius Hebdomadę; ſeu uſque ad diem decimam octavam Septembris in primo Nocturno de Feſto S. Thomę de Villanova, prout in prędicta Dominicę occurrentia in die decima tertia Septembris caſus contingit Malacę in Hiſpania; ubi die 14. Fer. 2. Exalt. S. Cruc. = Die 15. Fer. 3. Oct. Nat. B. M. V. = Die 16. Fer. 4. Feſt. S. Euphemię V. m. dup. 1. claſs. = Die 17. Fer. 5. Stigmat. S. Franc. = Die 18. Fer. 6. S. Thomę de Villanova quod ibi celebratur ſub ritu duplici minori, In 1. noct. *Incipit Liber Tobiæ* ex Dom. precęd. Ita in dicta occurrentia Dominicę in die decimatertia Septembris fit Pragę in Bohemia, ubi die 16. celebratur Feſtum S. Ludmillę Vid. m. ſub ritu dup. 1. claſſ. & ibi die 17. fer. 5. in Officio S. Lamberti Epiſcopi Martyris dicitur dictum *Initium Tobiæ*.

§. VII.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Miſſa in hac Dominica infra Octavam Na- 1155
tivitatis Beatę Marię Virginis, uſque ad annum 1683. incluſivè, dicebatur de Dominica occurrente poſt Pentecoſten, cùm commemoratione Octavę. Sed quia ab anno ſequenti cępit eſſe impedita à Feſto duplici majori de SS. Nomine ejuſdem Beatę Virginis, Miſſa dicenda eſt de eodem Feſto, cùm *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione Dominicę tantum, niſi Dominica veniat die nona, vel undecima Septembris, nam tunc & eo caſu additur tertia Oratio de Feſto ſimplici occurrente S. Gorgonii, vel reſpectivè SS. Proti & Hyacinthi, & ſemper cum *Credo*, Pręfatio eſt quidem de Beata Maria, non quidem cum Verſiculo Octavę, ſed cum illo proprio de Feſto, nempè, *Et te in Feſtivitate*. De Octava verò nihil fit in hac Miſſa, ex ratione ſupra allata in Officio, & ideò ibi videnda. Quòd ſi hęc Dominica veniat eo die, in quo occurrat Feſtum ejuſdem ritus, cui tamen competat major dignitas, vel aliud ritus altioris, Miſſa procul dubio dicitur de illo Feſto, cum vel ſine commemoratione Octavę, prout ritus Feſti poſtulaverit. Itaque ſi Dominica incidat in diem decimam quartam Menſis, quia in Eccle-

ſia

ſia Univerſali fit de Feſto Exaltationis S. Crucis ſub ritu quidem duplici majori, ſed majorem dignitatem habente; in Miſſa de hoc Feſto fit non ſolùm commemoratio Dominicę, ſed etiam Octavę, quia ceſſante Feſto SS. Nominis Beatę Marię Virginis cęteroquin in hujuſmodi occurrentia transferendi, ceſſat etiam ratio ipſeitatis Perſonę. Aſt ubi exaltatio S. Crucis eſt altioris ritus, ut Barcinone & Oveti in Hiſpania, in quibus Civitatibus celebratur ſub ritu duplici primę claſſis, ſicuti & Lucę in Italia, ibi in Miſſa omittitur commemoratio Octavæ, ratione ritus non admittentis hujuſmodi commemorationem; ſicuti omittitur etiam in Feſto duplici ſecundæ claſſis, ſi alicubi occurrat, ut Regii in Ducatu Mutinenſi, ubi in diem decimam tertiam Septembris incidit Feſtum S. Venerii Abbatis ſub dicto ritu duplici ſecundæ claſſis, & idcircò adveniente Dominica in eodem die, non fit ibi commemoratio Octavæ, juxta Rubricam Miſſalis *de Commemor. tit. 7. ſub num. 1.*

Si verò hæc Dominica infra Octavam Nativitatis Beatę Mariæ Virginis ſit impedita à dicto Feſto Exaltationis S. Crucis, dicitur in Miſſa Præfatio propria hujus Feſti, ſcilicet, *Qui ſalutem humani generis*. Quòd ſi hæc eadem Dominica occurrat in alio Feſto altioris ritus, nullam tamen habente Præfationem propriam, in Miſſa de illo Feſto dicitur Præfatio Octavæ, videlicet, *Et te in Nativitate*, ut Veronæ in Dominio Veneto, quando Dominica venerit die decima tertia Septembris, quia ibi dicitur Præfatio de Octava in Miſſa de Dedicatione illius Cathedralis, vigore Rubricæ Miſſalis *titul. 12. ſub numer.* 3. licèt de ea nulla fiat commemoratio, quia dandum eſt Octavæ quòd deficit Feſto. Non tamen dicendus eſt Verſiculus *Et te in Feſtivitate*, eo quod occurrat Feſtum SS. Nominis Beatę Mariæ Virginis, quia eo translato, Octava reaſſumit ſuum proprium Verſiculum. Sive autem Miſſa ſit de SS. Nomine, ſive de Exaltatione S. Crucis, ſive 1158

de alio quovis Feſto etiam duplici primæ claſſis, ſemper fit in ea commemoratio Dominicę occurrentis, ſemperque legitur ejus Evangelium in fine; tam privatim quam ſolemniter: eritque Dominica una ex illis ſex poſt Pentecoſten, quas ſupra enumeravimus in Officio, & non alia.

Ante Miſsam verò ſolemnem de quocunque Feſto etiam primę claſſis, in quod inciderit hęc Dominica infra Octavam Beatę Marię Virginis, in Cathedralibus & Collegiatis aliiſque Eccleſiis laudabilem hanc retinentibus conſuetudinem, fit aſperſio Aquæ benedictæ, illa tantùm excepta Eccleſia, in qua forſan Epiſcopus erit ſolemniter celebraturus, ut in Cathedrali Veronenſi, ſi hæc Dominica veniat die decima tertia Septembris, ibi ſolemniter Epiſcopo celebrante Miſſam de Dedicatione ejuſdem Cathedralis: nam de omiſſione dictæ Aſperſionis ubi cantat Epiſcopus, clarè præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *libr.* 2. *capitul.* 31. §. 4. *pagin. mihi* 398. de Miſſa verò ab Epiſcopo cantanda in Feſto Dedicationis ſuæ Cathedralis, habetur ibidem *capit.* 34. §. 2. *pagin.* 416. Feſtum autem de SS. Nomine Beatæ Mariæ Virginis non ſolùm cedit, ut ſupra vidimus, Feſto Exaltationis S. Crucis, ſed etiam cuilibet Diei Octavæ, quæ tamen non ſit Dies Octava Nativitatis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, ut ſuo loco inferiùs dicemus: & ideo in hujuſmodi occurrentia, Miſſa dicitur de illa Die Octava, cum commemoratione Dominicæ, & Nativitatis, ac ſimplicis, ſi eo die occurrat: ita apud nos Venetiis, quando Dominica occurrit die nona Septembris, Miſſa eſt de Die Octava noſtræ Eccleſiæ Patriarchalis, cum dictis commemorationibus Dominicæ, & Nativitatis, ac etiam S. Gorgonii. 1157

Ubi tamen in hac Dominica infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, in qua revera fiat Officium de SS. Nomine ejuſdem Beatæ Virginis, occurrit Expoſitio SS. Sacramenti, 1158

ti, cantari poteſt Miſſa Votiva de eodem SS. Sacramento, ſi ſit exponendum pro Oratione quadraginta Horarum; ſine ulla commemoratione, & conſequenter nulla in dicta Miſſa fit commemoratio SS. Nominis, & Dominicæ, nulla Feſti ſimplicis forſan occurrentis: Nec enim hoc Feſtum SS. Nominis, quòd eſt dumtaxat duplex majus, impedit hujuſmodi Miſſam Votivam ſolemnem, ſed nec Dominica eſt una ex illis exceptis a Clemente Undecimo in Cōſtitutione ad hanc rem emanata, & alibi à nobis relata, ubi ſolummodò excipit Dominicas majores primæ vel ſecundæ claſſis, & duplicia claſſis itidem primæ vel ſecundæ. Aſt ubi Feſtum SS. Nominis eſt duplex ſecundæ claſſis, ut eſt in tota Germania, Hungaria, & Bohemia, non eſt cantanda ex dictis Miſſa SS. Sacramenti, ſed dicenda ſolemnis de SS. Nomine, cum ſecunda Oratione de SS. Sacramento, ſub unica concluſione, cæteroquin tacenda in Miſſis privatis, in quibus tanquam de Feſto duplici ſecundæ claſſis omittenda eſt, vigore Decreti à Sacra Rituum Congregatione emanati, quod aliis in locis ſupra retulimus.

Sequitur ex dictis, quòd in hac Dominica ſit impedita à Feſto duplici majoris SS. Nominis Beatæ Mariæ Virginis, cantari poteſt quælibet alia Miſſa Votiva pro re gravi, ſi forſan alicubi occurrat; eodem ordine ſervato, de quo ſupra diximus circa Miſſam ſolemnem SS. Sacramenti. In Congregatione verò Regulari Valliſoletana Ordinis S. Benedicti de Hiſpania, hodie non cantatur Miſſa Votiva de Beata Maria, quia in approbatione conſuetudinis cantandi quotidie Votivam de eadem Beata Maria ultra Conventualem ſeu de Die; excipiuntur Feſta Univerſalia ejuſdem Beatæ Virginis, ut tale eſt Feſtum SS. Nominis: hoc enim patet ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis *de Anno* 1633. *ſub die* 19. 1159

Novembris, ut citato hujus Decreti relatore diximus ſupra in Miſſa de ipſo Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis. Cæterùm hoc Feſtum SS. Nominis licèt affixum Dominicæ, poteſt transferri, ut ſupra vidimus, quando occurrit in Feſto Exaltationis S. Crucis, vigore Decreti ſuperiùs allati, ex quo infertur, quod etiam eſt transferendum, ſi alicubi occurrat in aliqua Die Octava, vel in Feſto altioris ritus, quod eſt privilegium omnium Feſtorum Univerſalium Dominicis affixorum: nam ſi Feſtum SS. Nominis JESU, quòd eſt affixum Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam, occurrat die decima quarta Januarii, Bergomi fit de Dedicatione illius Cathedralis, & Parmæ de S. Hilario Patrono principali, & utrobique transfertur dictum Feſtum SS. Nominis JESU.

Veſperæ autem ſecundæ de SS. Nomine Beatæ Mariæ Virginis, modò ſunt integræ, modò ſolùm habent commemorationem, & modò etiam illam amittunt. Sunt integræ in Eccleſia Univerſali, ſi Dominica venerit à die nona uſque ad duodecimam Septembris. Habent verò ſolam commemorationem, ſi Dominica occurrat die decima tertia ejuſdem Menſis, nam Veſperæ ſunt de ſequenti Feſto Exaltationis S. Crucis, cum commemoratione de præcedenti SS. Nomine, & Dominicæ. Ubi tamen Feſtum SS. Nominis eſt duplex ſecundæ claſſis, ut ſupra vidimus, occurrente Dominica in dicta die decima tertia, ibi in ſecundis Veſperis de SS. Nomine fit commemoratio de ſequenti Exaltatione S. Crucis. Sed ubi Exaltatio S. Crucis eſt duplex primæ claſſis, ut Barcinone & Oveti in Hiſpania, ac Lucæ in Italia, ibi dicta die decima tertia, in qua occurrit Dominica & Feſtum SS. Nominis, Veſperæ ibi ſunt de ſequenti Exaltatione S. Crucis, in quibus nihil fit de præcedenti SS. Nomine, nihilque de Dominica, & in nullo caſu Veſperarum, in quibus fit de SS. Nomi- 1160

ne,

ne, ſit commemoratio Nativitatis. Quia verò, (ut alibi diximus, & Rubricam Generalem, ac Decretum attulimus) ubi in Dominica infra hanc Octavam occurrit Feſtum ſemiduplex, illud transferendum eſt in Feriam ſecundam ſequentem non impeditam, etiamſi haberetur reponendum Feſtum translatum cujuſcunque ritus, ideò in hujuſmodi concurrentia, Veſperæ ſunt quidem integræ de SS. Nomine Beatæ Mariæ Virginis, ſed ſit in eis commemoratio priùs Dominicæ, deinde Feſti ſemiduplicis ſequentis: ita quotieſcunque Dominica veniat die duodecima Septembris, apud nos Venetiis reponitur die ſequenti in Feria ſecunda Feſtum ſemiduplex S. Niceti Martyris, quod fuit heri in Dominica, & Veſperas recitamus, ut ſupra: circa quod, vide quæ diximus *capitul.* 1. §. 9. *per tot.* Si denique Dominica incidat in diem decimam quartam, Veſperæ dicentur ut infra.

§. VIII.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

PRæcedit hoc Officium de Die Octava Na- 1161
tivitatis Beatæ Mariæ Virginis Annunciatio Martyrologica, nam die decima quarta Septembris ad Primam in Officio Exaltationis S. Crucis, ſive ſit duplex majus ut in Eccleſia Univerſali, ſive duplex primæ claſſis, ut in Civitatibus ſupra relatis (ſolemnitas enim & excel-

excellentia ritus non impedit Lectionem Martyrologicam) pronunciatur primo loco *Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis*. Si verò die decima quinta occurrat Dominica, quia in ea fit de SS. Nomine ejuſdem Beatæ Virginis, ſine commemoratione hujus Diei Octavæ, ut infra dicemus: in Martyrologica tamen Lectione non omittitur ſecundo loco dicta annunciatio Diei Octavæ, ſed utrumque pronunciatur. Idem dicendum, ſi ſimul occurrat alicubi alia Dies Octava dignior, etiam in Dominica, veluti Dies Octava Dedicationis Eccleſię, vel Feſtum duplex primę vel ſecundę claſſis, nam de illa vel illo eſſet primo loco pronunciandum in Martyrologio, deinde de Die Octava Nativitatis, quia ſemper primo loco annunciandum eſt Officium, de quo die ſequenti principaliter agitur.

Primæ verò Veſperæ in Eccleſia Univerſali ſunt impeditæ à ſecundis Veſperis de Exaltatione S. Crucis, in quibus fit ſolùm commemoratio de ſequenti Die Octava, ac de Feſto ſimplici S. Nicomedis Martyris. Ubi tamen in Feſto Exaltationis S. Crucis occurreret Dies aliqua Octava, tunc Dies Octava Nativitatis Beatæ Marię Virginis haberet integras primas Veſperas ut in primis Veſperis Feſti, cum commemoratione de precedenti Die Octava particulari, & S. Nicomedis: dum enim primę Veſperę de Die Octava Nativitatis cedunt ſecundis Veſperis de Exaltatione S. Crucis, translata tamen Exaltatione ob occurrentiam particularis Diei Octavę, ibi Dies Octava Nativitatis recuperat ſuum privilegium retinendi integras Veſperas in concurrentia Feſti duplicis minoris vel Diei Octavę particularis. Hoc autem non eſt ſpeciale Privilegium hujus Diei Octavę, ſed omnibus convenit & ſolis Diebus Octavis de Feſtis Beatę Marię Virginis Octavam habentibus, ut decrevit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1681. *ſub die* 1. *Martii*, in reſponſione ad tertium Dubium, ſupplicante Priore Canonicorum Regularium Lateranenſium 1162

ad

ad Pacem de Urbe: & iterum ita reſolvit *anno* 1691. *ſub die* 11. *Auguſti*, referente Clericato *de Sacrific. Miſſæ*, *initio Operis*, *Decreto* 56. & ſic habet etiam Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Adnotat. ad Decembr. litt. C. ſub num.* 2. *pag.* 300. ac habetur inter Rubricas Breviarii Franciſcani *tit.* 11. *de concurr. Offic. ſub num.* 134. & noviſſimè utrumque Decretum refert P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 107. *&* 167.

Ubi autem Feſtum SS. Nominis Beatę Marię Virginis eſt duplex ſecundę claſſis, ut in Regnis Germanico, Hungarico, & Bohemico, ſi occurrat die décimaquarta Septembris, in ſecundis ejus Veſperis fit quidem commemoratio Dominicæ, & S. Nicomedis, ſed non de ſequenti Die Octava Nativitatis, Si verò Dominica veniat die decimaquinta ejuſdem Menſis, in ſecundis Veſperis Exaltationis S. Crucis fit commemoratio de ſequenti SS. Nomine, de Dominica, & de Simplici, non tamen de Die Octava Nativitatis, quæ eo anno omninò deperditur, juxta Decretum à Sacra Rituum Congregatione emanatum *anno* 1685. *ſub die* 15. *Septembris*, apud Marcum Antonium Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Adnotat. ad Septembr. litt. E. pag.* 247. & habetur etiam inter Rubricas Breviarii Franciſcani *tit.* 9. *de commemor. ſub numer.* 100. & egomet retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 999. *pag.* 320. *juxta tertiam editionem Paternam de Anno* 1730. ac ex me tradit Claudius La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub numer.* 2055. *Decreto* 286. & denique illud habet P. Merati *loc. cit. ſub numer.* 155. 1163

Quòd ſi in aliqua Eccleſia trium Regnorum ſupra nominatorum, in quibus, ut diximus, Feſtum SS. Nominis eſt duplex ſecundæ claſſis, vel Exaltatio S. Crucis ſit Titularis, vel eodem die occurrat Dedicatio ipſius Eccleſiæ, & ſit Dominica; translato ibi SS. Nomine, in ſecundis Veſperis Exaltationis vel Dedicationis fit 1164

commemoratio de ſequenti Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, & Dominicæ, ſed non S. Nicomedis. At ſi in aliqua Civitate eorundem trium Regnorum veniat Dedicatio Cathedralis in Dominica, quia Regulares in eadem Civitate commorantes tenentur ad dictum Feſtum Dedicationis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, etiam apud illos fit translatio SS. Nominis (nam in paritate ritus, major dignitas competit Feſto Domini) ſed in ſecundis Veſperis de Dedicatione fit commemoratio de ſequenti Die Octava Nativitatis tunc occurrente in Feria ſecunda, nec non Dominicæ, ac etiam S. Nicomedis. At quid ſi Exaltatio S. Crucis ſit duplex primæ claſſis, & cras apud Regulares fiat de Dedicatione Cathedralis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis in Dominica? Reſpondeo, quòd in ſecundis Veſperis de Exaltatione fit commemoratio de ſequenti Dedicatione, & de Die Octava Nativitatis, ac de Dominica, ſed non S. Nicomedis: Officium verò SS. Nominis etiam in hoc caſu ibi transfertur, licèt duplex ſecundæ claſſis, ex ratione ſuperiùs allata.

Quoad Officium in ipſa Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, illud eſt duplex, & celebratur in colore albo, loquendo de Choro. 1165
Totum verò fit ut in Die, exceptis tamen omnium & trium Nocturnorum Lectionibus, quæ ſunt hodie propriæ in Breviario. Ad Matutinum autem dicitur nona Lectio de S. Nicomede Martyre, quæ tamen omittitur, ſi in hanc diem incidat Feria Quatuor Temporum, quia tunc nona Lectio erit de illa Feria. Ad Laudes omnia itidem ut in Die, cum commemoratione S. Nicomedis, niſi occurrat dicta Feria quarta, nam in hujuſmodi occurrentia fit priùs commemoratio Feriæ, deinde S. Nicomedis. Dari etiam poteſt alicubi alia commemoratio: ſic Barcinone & Oveti in Hiſpania, ac Lucæ in Italia fit commemoratio de ſecunda Die infra Octavam Exaltationis S. Crucis, deinde S. Nicomedis, vel

Fe-

Feriæ, & S. Nicomedis, juxta occurrentiam. Ad Primam verò in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum illa ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine, &c.* Et hæc omnia quidem ſi Officium ſit de hac Die Octava.

At ſi hodie veniat Dominica, deperditur tota hæc Dies Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis: ſiquidem agendum de SS. Nomine ejuſdem Beatæ Virginis ſub ritu duplici majori, vigore Decreti ſuperiùs allati in primis Veſperis. 1166
Totum igitur Officium erit de SS. Nomine, cum nona Lectione ad Matutinum de Dominica occurrente, ejuſque commemoratione in Laudibus, ac S. Nicomedis, &, ut diximus, nihil de Octava Nativitatis: Fiet autem & alia commemoratio, ſi alicubi occurrat, & quidem ante illam S. Nicomedis, ut ſupra adnotavimus de octava Exaltationis S. Crucis. Quia tamen in prædicta Dominica, quæ ſemper erit tertia Septembris, *Incipit Liber Tobiæ*, ſicuti ſemper hæc Dominica eſt impedita à Feſto proprias in primo Nocturno Lectiones habente, ſic illud *Initium* ponendum erit die ſequenti in Feria ſecunda, in qua fit de Feſto ſemiduplici SS. Mm. Cornelii & Cypriani. Quòd ſi alicubi etiam Feria ſecunda ſit impedita quoad Lectiones primi Nocturni, *Initium* prædictum ponitur in Feria quarta: Caſus verò habetur Malacæ in Hiſpania, ubi occurrit die decima ſexta Feſtum S. Euphemiæ Virginis & Martyris, ac Patronæ Civitatis ſub ritu duplici primæ claſſis: & conſequenter illa Feria ſecunda eſt impedita: Die verò decimaſeptima, ſeu Feria tertia fit de Feſto Univerſali Impreſſionis Sacrorum Stigmatum in Corpore S. Franciſci; quod in primo Nocturno proprias habet Lectiones: & ſic die decima octava in Feria quarta ponitur ibi dictum *Initium Tobiæ* in Officio S. Thomæ de Villanova.

Dicta autem Dominica poteſt eſſe alicubi im- 1167

pedita etiam ab alia Die Octava digniori, veluti Dedicationis Eccleſiæ, vel à Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, cum translatione Feſti de SS. Nomine Mariæ Virginis: & eo caſu, lecta ad Matutinum nona Lectione Dominicæ occurrentis, fit in Laudibus priùs commemoratio de Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, tanquam de duplici, deinde Dominicæ, & etiam (niſi Feſtum occurrens ſit duplex primæ claſſis) fit de S. Nicomede: Et nihilominùs ad Primam dicitur Verſiculus de Beata Maria, cum ejus clauſula in Hymnis ad omnes Horas. Quòd autem Dies Octava dignior transferri faciat Feſtum SS. Nominis, patet ex alibi allatis ad rem exemplis: & quòd locum habeat àb Octava iſta Nativitatis, claré patet ex illo Axiomate, quod *Acceſſorium ſequitur naturam ſui Principalis*: nam ſi Dedicatio ex ſuperiùs dictis Decreto ſuffultis, locum habet ab ipſo Feſto Nativitatis, habebit etiam ejus Dies Octava ab hac Die Octava Nativitatis ejuſdem. Ubi verò Feſtum SS. Nominis eſt duplex ſecundæ claſſis, ſi in aliqua Eccleſia occurrat Dies infra Octavam, nihil de ea fit in Laudibus.

§. IX.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

MIſſa in Die Octava Nativitatis Beatæ Ma- 1168
riæ Virginis, dicitur ut in ejus Feſto, cum *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione S. Nicomedis: & ubi habetur aliqua Dies infra Octavam, fit etiam commemoratio de ea ante illam Feſti ſimplicis, ut ſupra diximus de ſecunda Die infra Octavam Exaltationis S. Crucis, quæ hodie occurrit Barcinone & Oveti in Hiſpania, & Lucæ in Italia. Dicitur etiam *Credo*, & Præfatio de Beata Maria, cum Verſiculo *Et te in Nativitate*. At ſi incidat Feria Quatuor Temporum, in Miſſa de Die Octava dicitur ſecunda Oratio de illa Feria, & tertia de S. Nicomede, cum Evangelio ejuſdem Feriæ in fine. Quod ſi hodie occurrat Dominica, Miſſa dicitur de SS. Nomine Beatæ Mariæ Virginis, cui Feſto tunc occurrenti cedit omninò tota Dies Octava Nativitatis ejuſdem Beatæ Virginis. Itaque in dicta Miſſa SS. Nominis Oratio ſecunda erit de Dominica, & tertia de Feſto ſimplici: In Pręfatione verò mutatur Verſiculus, dicitur enim *Et te in Feſtivitate*, ac in fine legitur Evangelium Dominicę. Ubi tamen Feſtum SS. Nominis eſt duplex ſecundę claſſis, in Miſſis privatis fit quidem commemoratio S. Nicome-

comedis, ſed non in ſolemni. Quòd ſi hodie alicubi fiat de alia Die Octava digniori, qualis eſt illa de Dedicatione Eccleſię, Miſſa dicitur de illa Die Octava digniori cum commemoratione de Die Octava Nativitatis, & poſtmodùm de Feſto ſimplici. At ſi veniat Dominica; adhuc Miſſa erit de Die Octava digniori (cui ex ſuperiùs dictis cedit Feſtum SS. Nominis) cum commemoratione priùs de Die Octava Nativitatis tanquàm de duplici, deinde de Dominica tanquàm de ſemiduplici, & poſtmodùm de Feſto ſimplici; ac in fine legitur Evangelium Dominicę.

Ubi autem hac die occurrit Feſtum duplex ſecundæ claſſis, quod non ſit de SS. Nomine Beatæ Mariæ Virginis in Dominica; ut Ulyſſipone in Luſitania fit de Translatione S. Vincentii Martyris ſub ritu duplici ſecundæ claſſis) adhuc in Miſſa de Feſto fit commemoratio de Die Octava Nativitatis, & in privatis tantùm etiam de S. Nicomede. Quòd ſi alicubi incidat in hanc diem Feſtum duplex primæ claſſis (ut Zamoræ in Hiſpania fit de Dedicatione Cathedralis) in ejus Miſſa tam ſolemni quàm privatâ omittitur commemoratio Feſti ſimplicis, ſed ſecundæ dumtaxat Oratio erit de Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, niſi occurrat Dominica, quia tunc tertia Oratio dicetur de ea, cum ejus Evangelio in fine. Cujuſcunque verò Feſti ſit Miſſa (extra illud SS. Nominis) dicitur in illa Præfatio de Beata Maria, cum ſuo Verſiculo *Et te in Nativitate*, niſi forſan Feſtum habeat propriam. Ubi tamen hodie occurrit Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ſi ibi facienda ſit Expoſitio SS. Sacramenti cantatur Miſſa de Feſto, non verò Votiva de eodem SS. Sacramento de quo tamen fit Collecta in ſolemni tantùm. In ſolo autem Feſto duplici primæ claſſis dici nequit Miſſa ſolemnis pro Defunctis in Die Obitus, ut alibi diximus. 1169

Illud denique notandum eſt, quòd ſi in hanc 1170
diem

diem decimamquintam Septembris incidat Feria Quatuor Temporum, ſive fiat de Die Octava Nativitatis, ſive de alia Die Octava alicubi occurrente, & digniori, vel de alio Feſto altioris ritus, in Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, una ſcilicet vel de Die Octava Nativitatis poſt Tertiam in colore albo, cum commemoratione S. Nicomedis, vel de alia Die Octava cum colore conveniente, in qua dicitur ſecunda Oratio de Die Octava Nativitatis, & tertia de Feſto ſimplici, vel alio Feſto altioris ritus, omiſſa tertia Oratione S. Nicomedis: Altera verò Miſſa cantatur de Feria Quatuor Temporum poſt Nonam in colore violaceo, ſine *Gloria*, cum ſecunda Oratione *A cunctis*, & tertia ad Libitum, ſine *Credo*, & cum Præfatione communi, non verò de Beata Maria, ut clarè patet ex Rubrica Miſſalis poſita in hac ipſa Die Octava.

Explicatis quæ ad Miſſam in die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis ſive privatam ſive ſolemnem ſpectabant, de ſecundis Veſperis modò eſt diſſerendum quæ non ſolùm totum concludunt hujus Diei Officium, ſed etiam ſunt complementum totius Octavæ, cùm nihil pertineat ad Completorium, niſi clauſula Hymni dicenda de Beata Maria. Itaque in ſecundis Veſperis hujus Diei Octavæ fit commemoratio de ſequenti Feſto ſemiduplici SS. Mm. Cornelii & Cypriani, nec non de Feſto ſimplici SS. Mm. Euphemiæ, Luciæ, & Geminiani, pro quibus dicitur Antiphona, Verſiculus, & Reſponſorium, ut in Breviario ad varietatem. At ſi cras occurrat Dominica, in ſecundis Veſperis de Die Octava Nativitatis fit commemoratio Dominicæ ſequentis, nec non SS. Mm. Euphemiæ, &c. pro quibus in hujuſmodi occurrentia Dominicæ, Rubrica ait, quòd *Antiphona & ℣. non variantur*. Non deſunt Aliqui, qui æquivocando ita intelligunt ſenſum hujus Rubricæ, ut etiamſi occurrat Dominica, dictæ tamen Antiphonæ 1172

debeant remanere taliter, qualiter ea die poſitę ſunt in Breviario, eo quòd ſi *non variantur*, ergo in prædicta occurrentia Dominicæ ſunt retinendæ eodem ordine, quo poſitæ, & conſequenter non mutandæ.

Attamen, ut verum fatear, diverſimodè intelligo illam Rubricam, nam ſi dictæ Antiphonę ſunt jam variatæ non occurrente Dominica, ne coincidant cum Antiphonis SS. Mm. Cornelii, & Cypriani, tranſlato ratione Dominicæ dictorum Martyrum Feſto, ceſſat Antiphonarum ipſeitas, & ſic quę variatæ jam erant ratione Feſti de eodem Communi, occurrente Dominica, ampliùs *non variantur*. Sic revera intellexit, & benè meó judicio, Marcus Antonius Fagioli in prima editione ſui Kalendarii perpetui rationalis, ſed neſcio profectò, cur poſtea in ſecunda editione Bononiæ facta anno 1705. pœnituerit, &, ut ita dicam, trepidaverit timore, ubi non erat timor: Sed forſan non eſt retractatio Auctoris, ſed alterius adnotatio, deleta priore. Ita verò ego ſentio, ſalva ſemper meliori opinione. Sed hoc tandem definivit Sacra Rituum Congregatio *in Ferrarien. anno* 1709. *ſub die* 14 *Decembris*, hiſce pręciſis verbis ad noſtram rem omnibus facientibus, ſcilicèt: *In Feſto SS. Cornelii & Cypriani die decima ſexta Septembris*, *pro Commemoratione SS. Euphemiæ & Sociorum dicatur in primis Veſperis Antiphona* Gaudent in Cœlis, &c. *& in Laudibus Antiphona* Iſtorum eſt enim, &c. *Prædicta tamen Antiphona dicenda non ſunt, quando Officium SS. Cornelii & Cypriani transfertur, ex quo occurrat in Dominica: tunc enim in primis Veſperis Dominicæ dicenda erit Antiphona pro dicta Commemoratione* Iſtorum eſt enim, &c. *& in Laudibus Antiphona* Veſtri capilli, &c. ut refert Reverendiſſimus ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultor P. Cajetanus Maria Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 251. & ecce declaratio verborum Rubricæ ſuperiùs citatæ. 1172

Quòd ſi die decima ſexta Septembris alicubi 1173
occur-

occurrat Feſtum duplex minùs, vel alia Dies Octava, etiam Dedicationis Eccleſiæ, Beata Virgo retinet ſuum jus, quod ſibi acquiſivit in primis Veſperis, cùm Decreta ſuperiùs citata utraſque Veſperas faciat privilegiatas in hujuſmodi occurrentia: & ideò Curiæ in Rhætia in ſecundis Veſperis de Die Octava Nativitatis adnotatur commemoratio de ſequenti Feſto duplici minori S. Gaudentiæ Virginis & Martyris, ac SS. Mm. Euphemiæ, & Antiph. (ut ibi dicitur) & ℣. ex 1. Veſperis: & ideo Portucale in Luſitania in dictis ſecundis Veſperis de Die Octava Nativitatis fit commemoratio de ſequenti Die Octava Dedicationis Cathedralis, & SS. Mm. Euphemiæ, &c. quorum Antiphona & ℣. ex 1. Veſperis, ut ibi ſic adnotatur: & ideò Vicentiæ in Dominio Veneto, in ſecundis Veſperis de Die Octava Nativitatis fit commemoratio de ſequenti duplici minori SS. Mm. Euphemiæ & Innocentiæ Sororum, quarum Corpora in Cathedrali aſſervantur, deinde SS. Mm. antiph. (ut ibi dicitur) *Iſtorum*, ℣. *Lætamini*. Si verò die decima ſexta Septembris fiat alicubi de Feſto duplici majori, tunc Dies Octava Nativitatis cedit ſuas Veſperas integras, ſola contenta commemoratione: & ideò Arimini in Romandiola die decima quinta Septembris Veſperæ ſunt de ſequenti Feſto duplici majori S. Innocentiæ Virginis & Martyris, Urbis Patronæ minùs principalis; in quibus primis Veſperis fit commemoratio de præcedenti Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, & poſtmodum de Feſto ſimplici. At ſi dicta die decima ſexta ejuſdem Menſis agendum ſit de Feſto duplici ſecundæ claſſis, ut dari poteſt caſus apud Regulares alicujus Urbis, in qua fieri debeat de Dedicatione Cathedralis, tunc in primis Veſperis de ſequenti, facta commemoratione de præcedenti Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, omittitur illa de Feſto ſimplici: ita Ulyſſipone in Luſitania, ubi die decimæ ſextæ hujus Menſis fit de

translatione S. Vincentii Martyris ſub dicto ritu duplici ſecundæ claſſis. Quòd ſi die ſequenti fiat alicubi de Feſto duplici primæ claſſis, in ejus primis Veſperis nulla fit commemoratio de præcedenti Die Octava Nativitatis, nihilque de Feſto ſimplici: ita Pragæ in Bohemia, ubi eadem die decima ſexta celebratur Feſtum duplex primæ claſſis de S. Ludmilla Virgine, Martyre, & Patrona.

DE

DE OCTAVA COMMUNI OMNIUM SANCTORUM.

CAPUT SEPTIMUM.

SEptima ex Octavis Communibus, ſeu non 1174
Privilegiatis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, eſt illa profectò eximia omnium Sanctorum. In hoc etenim Octiduo Sancta Eccleſia nobis aperit Paradiſum, Sanctoſque omnes ordine hierarchico oſtendit, ac eorum proponit ſequenda veſtigia, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat, ut ait S. Auguſtinus *ſerm.* 47. *de Sanctis*. Itaque duæ hiſce diebus repræſentantur nobis Sanctorum ſolemnitates: una quidem in Terris ubi Deus eſt in omnibus Sanctis: altera verò in Cœlis ubi omnes Sancti ſunt in Deo. Incipiendo igitur à prima: ut quis efficiatur Sanctus, requiruntur Vocationes, Lumina, Flammæ, Tolerantiæ & Patientiæ in gradu heroico, de quibus Apoſtolus 2. Corinth. 11. *Libenter ſuffertis inſipientes; cùm ſitis ipſi ſapientes: Suffertis enim, ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cadit*. Sed hæc omnia fieri non poſſunt ſine præſenti Dei adjutorio: ergo Deus in Terris eſt in omnibus Sanctis. Et multocies adeò patenter in Terris Deus in Sanctis fuit, ut omnes agnoverint in illis fuiſſe.

Unde inter alios manifeſta fuit ejus præſentia 1175
in Joanne Baptiſta , ſiquidem dicebant : *Quis putas , Puer iſte erit ? etenim manus Domini erat cum illo* . Sed & Nicodemus ipſum cognovit Jeſum ex ſignis , eo quòd ei dixit : *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere , quæ tu facis , niſi fuerit Deus cum eo* . Stephanus quoque inter Martyres primus , dum adhuc lapidaretur à Judæis , clara voce ait , ut omnes intelligerent : *Ecce video Cœlos apertos , & Filium hominis ſtantem à dextris Dei* : Dum ergo Jeſus in throno ſtabat , ſtabat in adjutorium Stephani , & ideo erat cum illo in Terris. At quid dicemus de Paulo? Nonne erat in Terris, quando cecidit propè Damaſcum, & omnibus audientibus , locutus eſt ei Jeſus , ut de Perſecutore faceret Apoſtolum ? Quomodo quæſo confundebat Judæos , affirmans , quoniam hic eſt Chriſtus , niſi per illam præſentem gratiam , de qua ipſe Chriſtus ei dixerat , *ſufficit tibi gratia mea* ? Ergo Deus manifeſtè erat cum Paulo in Terris. Percurrite omnes Sanctos , & videbitis in Terris Deum in illis fuiſſe : ergo prima eorum gloria fuit in Terris , quia ubi Deus , ibi gloria , licèt talem gloriam in Terris non viderint , qualem poſtmodùm viderunt & in æternum videbunt ut Beati in Cœlis . Signa autem & Miracula ſunt evidentes Dei operationes , qui eſt in Sanctis , unde Exod. 15. *Glorioſus Deus in Sanctis ſuis , faciens prodigia* : ſed & Regalis Propheta Pſalm. 67. verſ. ult. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis* : ergo quia in Terris Deus eſt in Sanctis.

Poſtquàm autem in Terris Deus fuit in omni- 1176
bus Sanctis, omnes denique Sancti in Cœlis nunc ſunt in Deo : non quia Sancti omnes in Terris non ſint in Deo , & Deus in Cœlis non ſit in omnibus Sanctis : ſed quia in Cœlis omnes Sancti intrant in Deum . Licèt enim Sancti ſint innumerabiles, ita ut Joannes *Apocal. 7. verſ...* poſt centum quadraginta quatuor millia ſignatos , viderit turbam magnam , quam dinumerare nemo poterat , ex omnibus Gentibus , & Tribubus , & Po-

& Populis, & Linguis: dum tamen ſunt in Cœlo, ſunt feliciter inhærentes & immanentes illi, de quo Salvator locutus eſt, audiente & teſtante Joanne cap. 17. verſ. 22. & 23. *ut ſint unum, ſicuti & nos ſumus: ut ſint conſummati in unum*. Hunc verò locum Joannis, de gloria Paradiſi intelligunt & explicant Auguſtinus, Beda, Rupertus, & Euthymius: Quaſi dicere velit, quòd Sancti in Cœlo ſunt unum in Deo, ſicuti tres Divinæ Perſonæ ſunt unum: *ut unum ſint, ſicuti & nos*. Sunt igitur unum, ſicuti varia inſtrumenta à Pſalmiſta narrata, Tubæ ſcilicèt, Pſalterii, Citharæ, Tympani, Cordarum, Organi, & Cymbali, ſimul ſonantia, propter illam concordantiam videntur unum tantùm inſtrumentum efficere, & unicum ſonum edere. Confirmatur autem ex Apoſtolo 1. *Corinth. verſ.* 3. dum enim ibi ait: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, Deus in Terris eſt in omnibus Sanctis: Dum verò Joannes *Apocal.* 21. *verſ.*.. raptus in Cœlum, & diligenter obſervans illam Civitatem, fideliter teſtatur, dicens: *Templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens Templum illius eſt*: ergo Sancti omnes in Cœlo ſunt in Deo, quia Deus eſt Templum Sanctorum.

Ita tamen in Cœlo Sancti omnes ſunt in Deo, 1177 ut nihilominùs inter illos ſervetur ordo hierarchicus. Quapropter ſi videre vultis Sanctos omnes in Deo, opus eſt, ut ordinatim illos vobis oſtendam. Itaque aſpicite primò Dominum in majeſtate ſua, ſedentem ſolium excelſum & elevatum, cui omnes Angelorum chori adſamulantur: & dum non ceſſant clamare quotidie, una voce dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, firmant nos in Trinitate Perſonarum, & in Unitate Deitatis, quam obſcurè cognovit, qui *tres vidit, & unum adoravit*: dum enim omnes illi Chori Cœleſtes, ter ſimul dicunt *Sanctus*, & ſemel *Deus*, & Trinitatem & Unitatem demonſtrant. Aſpicite & thronum Deo proximum, in quo ſedet Regina Sanctorum omnium,

mnium, ab omni ordine diſtincta, & ſupra omnes ordines collocata, in veſtitu deaurato, circumdata varietate virtutum. Jam ſcitis, quæ ſit iſta: eſt tanquam Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol: uno verbo, eſt Maria, Filia Patris, Mater Filii, Sponſa Spiritus Sancti. Succedunt ſtatim ſub oculos veſtros Patriarchæ & Prophetæ, & inter eos primum locum tenet, qui fuit pluſquàm Propheta, ſanctificatus in utero, major inter natos mulierum, jam miſſus à Deo, index Chriſti. Cernite & eos, qui numero duodenario, duodecim conſtituunt fundamenta muri illius Cœleſtis Jeruſalem, quibus etiam dant nomina, & ſunt duodecim Apoſtoli Agni, & de quibus fundamentis ſcribens Paulus *ad Epheſios 2. ait*: Eſtis Cives Sanctorum, & Domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.

Quòd ſi quæritis qui ſint iſti, qui modò ſequuntur: *iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.* Sunt enim illi, qui pro Chriſto (ut ait Apoſtolus 1. Hebr. 1.) *ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt*. Sed & alios conſpicite, qui attentè ſervarunt omnia à Paulo propoſita in Epiſtolis ad Timotheum & Titum: & quos Hilarius appellat Populi Principes, id eſt Epiſcopos, vigilantes in Gregibus ſuis, plura talenta ſuperlucratos. Unuſquiſque verò ex iſtis ſucceſſivè venientibus, lumbos præcinxit, lucernas tenuit in manibus, & voluntaria contentus paupertate, *diſperſit, dedit Pauperibus*, cujus facultates in cœleſtes theſauros manus egenorum deportaverunt, & ideo eleemoſynas illius enarrat omnis Eccleſia Sanctorum. Alii in Solitudinibus errarunt, & in Montibus, ut Silveſter in Soracte: & in Speluncis, & in Cavernis terræ, ut Athanaſius in Sepulchro Patris. 1178

Digitized by Google

tris. Alii etiam audita in Civitatibus Divina Sapientia ex Sacro Concionatorum ore, ſe abdiderunt in Eremis, ut Paulus Eremitarum Inſtitutor, & Antonius ejus Socius, aliique quamplures, eos imitati & ſecuti, ita ut dicere potuerint cum Pſalmiſta: *Audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in Campis Sylvæ*. Nullum hi omnes reddiderunt malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed vicerunt in bono malum: & cuſtodientes mandata Dei, nullam mites voluere de injuriis vindictam, nunc ignoſcentes inimicis, ut Joannes Gualbertus occiſori Fratris, nunc & aliam maxillam percutienti prebentes, ut Sabbas in ipſa Aula Imperatoris Orientalis: denique in omnibus actibus prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

Virgines denique veſtris oculis occurrunt, quæ oleum prudenter tenuere in lampadibus ſuis, ut veniente Sponſo poſſent paratæ introire cum eo ad Nuptias. Nec deſunt & aliæ, quæ Matrimonio ſoluto, fortes inventæ ſunt, cuſtodientes exhortationes Apoſtoli 1. *Timoth.* 5. ſperantes in Deum, & inſtantes obſecrationibus & orationibus nocte ac die, ne inter delicias vivæ eſſent mortuæ, & ideò omne opus bonum ſubſecutæ ſunt: de quibus omnibus, ſive Virginibus, ſive Conjugatis, ſive Viduis gaudet Ambroſius *de Vid. propè fin.* & veluti extra ſe raptus, ac quaſi in Cœlo videat fructus Agri Eccleſiaſtici ex vario hujus ſexus morigeri ſtatu producti, in hæc verba lætus prorumpit: *Agrum hunc Eccleſiæ fertilem cerno, nunc Integritatis flore vernantem, nunc Viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam Conjugii fructibus redundantem: nam etſi diverſi, unius tamen Agri fructus ſunt*. 1179

Dum ergo iſti omnes, quos vidiſtis, in Terris emicarunt virtutibus; nunc in Cœlis ſplendent gloria, vocati à Deo illis verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Reficiam vos æterna requie, æterna pace, æterna beatitudine. Itaque dum vos duas 1180

audi-

audiſtis Sanctorum omnium Solemnitates , unam ſcilicèt in Terris ubi Deus eſt in Sanctis omnibus , alteram verò in Cœlis ubi Sancti omnes ſunt in Deo , imitamini eos in Terris , ut poſſitis uniri cum Deo in Cœlis : *qui enim Sanctos , in quantum potuerit , imitari noluerit , ad eorum Beatitudinem non poterit pervenire* , ait S. Auguſtinus *ſerm.* 47. *de Sanctis*.

§. I.

De iis , quæ ſpectant ad Vigiliam omnium Sanctorum.

Feſtum omnium Sanctorum habet præceden- 1181
tem Vigiliam , & quidem cum Jejunio præceptivo . Ejus Officium in colore violaceo recitandum quoad Chorum , ab Invitatorio Matutini uſque ad Laudes incluſivè, ſumitur integrè ex illa Feria in Pſalterio , in quam incidit ipſa Vigilia . Quòd ſi fuerit Sabbatum , tertius Pſalmus Nocturni erit *Jubilate Deo omnis terra* , loco Pſalmi *Bonum eſt confiteri Domino* , ne idem dicatur in Laudibus . Tres verò Lectiones ſunt tanquam propriæ, & leguntur de Homilia S. Ambroſii in Evangelium Lucæ 6. *Deſcendens Jeſus de Monte* , ut in Communi plurimorum Martyrum de ſecundo loco . Reſponſoria tamen dicuntur , ut in Feria occurrente in Proprio de Tempore : ſed ſi fuerit Sabbatum , in quo neque ponuntur, neque citantur Reſponſoria , tunc ſumantur juxta Rubricam generalem Breviarii *de Reſponſ. poſt Lect. tit.* 27. *ſub num.* 5. & quia non dicitur *Te Deum* , ejus loco recitatur tertium Reſponſorium , Dicta ad Benedictus Antiphona de Pſalterio ,

terio, dicuntur Preces Feriales flexis genibus tam in choro quàm extra, nam Gavantus loquens de Cæremoniis in privata Horarum Canonicarum recitatione, *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 1. *ſub num.* 4. inter alias privatas genuflexiones ſic habet: *Genufleċtendum ad Preces Feriales in Laudibus, Veſperis, & Horis, in Diebus nimirùm Pœnitentiæ*: ſed in hac Vigilia jejunatur, & conſequenter eſt Dies Pœnitentiæ: ergo etiam privatim genufleċtendum ad Preces Feriales, quidquid ſentiant alii, hoc ægrè ferentes. Oratio autem, quæ dicitur poſt Preces, eſt propria hujus Vigiliæ, videlicèt: *Domine Deus noſter, multiplica ſuper nos, &c.* deinde fit commemoratio Crucis, ut in Feria ſecunda ad Laudes in Pſalterio, & poſtmodum fiunt Commemorationes communes, ſive conſueta Sanċtorum Suffragia.

An autem inter diċtas Commemorationes communes, ſive conſueta Sanċtorum Suffragia, facienda ſit ad Laudes hujus Vigiliæ commemoratio de Titulari in Eccleſia omnibus Sanċtis dicata, ego quidem affirmativè ſentio, quia mihi non videtur ſufficere Oratio Vigiliæ, ut de aliis Vigiliis ſupra negavimus: Ratio autem eſt, quia non clarè nominantur omnes Sanċti: nam ſi Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 5. *ſub numer.* 75. tenet, quòd in Sexageſima fiat commemoratio S. Pauli in Eccleſia propria, quia in Oratione illius Dominicæ nominatur S. Paulus occultiori nomine, nempè, *Doċtoris Gentium*, licèt hoc nomine ſatis intelligatur S. Paulus: quanto magis, ut reor, facienda eſt commemoratio de Titulari in Eccleſia omnium Sanċtorum, dum Oratio Vigiliæ clarè non nominat *Sanċtos*, licèt intelligantur ex illis verbis; *& quorum prævenimus glorioſa ſolemnia*: Siquidem & idem Gavantus *loco citato*, quia in Oratione Feriæ quintæ poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ nomina SS. Coſmæ & Damiani ſunt ſine additione *Martyrum*, in Eccleſia eorum propria admittit communem ipſorum commemorationem inter Suffragia, quidquid ſit de 1183

titu-

titulo Stationis, & tamen nominantur expreſsè. Si verò in hac Vigilia, in qua Officium fit de ea, alicubi forſan occurrat prima Dies Menſis non impedita (quod tamen vix contingere poteſt, vel certè raro) dicendum erit Nocturnum cum Laudibus Defunctorum, juxta ordinem Feriæ occurrentis, ex vi Rubricæ *de Offic. Defunct. in fine Brev.* & poſt Veſperas heſternas dicuntur Veſperæ itidem Defunctorum. Licèt autem hujuſmodi caſus ſit rarus, bis tamen contigit apud nos Venetiis, nempè, anno 1700. 30. Octobris in Sabbato, in quo Officium erat de hac Vigilia anticipata ratione Dominicæ, & Kalendariſta ordinavit tertium Nocturnum cum Laudibus Defunctorum: anno verò 1704. 31. Octobris in Feria ſexta in Officio Vigilię adnotavit ſecundum Defunctorum Nocturnum, cum eorum Laudibus, Ad Primam verò Ferialem ut in Pſalterio dicendam, Martyrologicus Lector, poſt Kalendarum, Lunariſque ętatis promulgationem, ſtatim dicat: *Feſtivitas omnium Sanctorum, &c.* Alię itidem Horę dicuntur, ut in eodem Pſalterio, ſed ſemper cum Precibus Ferialibus flexis genibus, & cum Oratione Vigilię.

At quotieſcunque in diem trigeſimam primam Octobris incidat Dominica, tunc & Officium Vigilię, & ipſum Jejunium transferuntur in Sabbatum proximè pręcedens, vigore Rubricę Breviarii *de Vigil. tit.* 6. *ſub numer.* 2. & etiam dicta die, ſi Officium ſit de Vigilia, ea omnia prorſùs ſervantur, quę ſupra dicta ſunt. Die verò trigeſima prima Octobris Officium fit de illa Dominica, ut in Pſalterio in colore viridi quoad Chorum: Lectiones verò primi & ſecundi Nocturni erunt de Dominica Menſis, quę ſemper erit prima Novembris: ſed in tertio Nocturno legetur Homilia in Evangelium Dominicæ vel poſt Pentecoſten, quæ modò erit vigeſima, modò vigeſima prima, modò vigeſima ſecunda, modò vigeſima tertia, & modò vigeſima quarta, juxta Tabulam occurrentem ordinis perpetui, 1183

quæ

quæ poteſt eſſe nunc decima quarta, nunc vigeſima prima, nunc vigeſima octava, & nunc trigeſima quinta; imò poteſt occurrere etiam Dominica quarta poſt Epiphaniam, ſi eo anno incidat Tabula ſeptima. Ad Laudes poſt Orationem Dominicæ fiunt Sanctorum Suffragia: & ad Primam dicitur Pſalmus *Confitemini*, & Symbolum *Quicunque*, cum Precibus Dominicalibus, &c. In prædicto tamen caſu Dominicæ occurrentis die ultima Octobris, ſicuti Vigilia anticipatur in Sabbato præcedente, ſic Veſperæ illius Sabbati dicuntur ut in Pſalterio, à Capitulo verò fit de Dominica ſequenti, cum Sanctorum Suffragiis, & in Eccleſia omnium Sanctorum, licèt in Laudibus Vigiliæ non ſit facta commemoratio Titularis, facienda tamen eſt in hiſce Veſperis, ſic, ut præfertur, concurrentibus ut ita dicam cum Dominica: & ad Completorium dicuntur Preces conſuetæ, ſed non flexis genibus. Hæc autem Vigilia in Officio diei heſternæ penultimæ Menſis Octobris annuncianda eſt primo loco ad Primam in Martyrologio, etiam ſi in ea celebretur alicubi aliquod Feſtum novem Lectionum, ut ex Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli impedita à Feſto ſemiduplici S. Leonis Papæ colligit Guyetus *in Heortolog. lib.* 2. *ſect.* 4. *capit.* 14. *quæſt.* 4. *verſ. Primò*, *pag.* 126. forſan quia eſt præparatio pœnitentialis ad Feſtum. Eo autem anno, quo transfertur in Sabbatum immediatè præcedens ratione Dominicæ, non ideò anticipatur ejus Lectio in Martyrologio, ut benè notat Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 5. *capitul.* 21. *ſub numer.* 11.

Quia verò in hac Vigilia omnium Sanctorum 1190
fieri poteſt de quocunque Feſto novem Lectionum, ſive duplici ſive ſemiduplici, ſive occurrente ſive translato, imò etiam de Die alicubi incidente infra Octavam: ideò impedita Vigilia ab aliquo ex dictis Feſtis ſeu Officiis, ad Matutinum tamen dicitur nona Lectio de ea, & fit ejus commemoratio in Laudibus: & ſi Officium

ſit

ſit de Feſto ſemiduplici, poſt commemorationem Vigiliæ fiunt Sanctorum Suffragia, in quibus ex ratione ſuperiùs allata fit commemoratio Titularis in Eccleſiâ omnibus Sanctis dicata ut clarè infertur ex ſequenti Declaratione, videlicet: *Si contingat fieri Officium de Feſto ſemiduplici in Vigilia omnium Sanctorum; non obſtante commemoratione Vigiliæ, debent in Laudibus fieri Suffragia Communia*: ita Sacra Rituum Congregatio *in una Capuccinorum Provincia Lugdunen*. 21. *Junii* 1710. apud P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub numer.* 344. ſi fiunt Suffragia abſque diſtinctione: ergo videtur etiam faciendum illud Tituli in Eccleſia propria. Quòd ſi alicubi agendum ſit hodie de Feſto duplici primæ claſſis, omittitur ibi omninò Officium Vigiliæ, juxta Rubricam Breviarii *de Vigil. titul.* 6. *ſub numer.* 2. ſic Ratisbonæ in Bavaria in diem ultimam Octobris incidit Feſtum duplex primæ claſſis de S. Vvolfgango Epiſcopo Confeſſore & illius Civitatis Patrono: ſic Auguſtæ Veromanduorum in Picardia eodem die ultimo Octobris Feſtum S. Quintini Martyris itidemque Urbis Patroni, & utrobique omittitur Officium Vigiliæ. Hoc tamen loco notandum eſt, quòd in utraque Civitate, ne contaminetur ſolemnitas Patroni, eo die non jejunatur, ſed ex longæva plurimorum annorum praxi transfertur Jejunium ad diem præcedentem, ut de Feſto S. Vvolfgangi refert Halden *in Ephemerolog. part.* 1. *titul.* 6. *die* 22. *Junii*, *verſ. Quando*; de ſancto verò Quinctino aſſerit Guyetus *in Heortolog. libr.* 2. *ſect.* 1. *capitul.* 5. *quæſt.* 1. *verſ. Eſt autem*, *pagin. mihi* 96. At quidquid ſit de hujuſmodi conſuetudinibus Jejunium anticipantibus, certè Joannes Beleth *in Explicat. Divinor. Officior. capitul.* 158. in præciſis terminis hujus Vigiliæ & Feſti S. Quinctini, ſic habet: *nec Jejunium oportet mutari, ut quidam faciunt propter Feſtum S. Quinctini.*

Gavantus verò ad rem noſtram *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 7. *ſub numer.* 3. ait, quòd expediret, 1191
auctoritate Majorum eo caſu anticipari Jejunium

ante

ante illud Feſtum primæ claſſis, ne imminuatur Solemnitas, pluresque cumulat Auctores tenentes, poſſe Epiſcopum in Feſto ſolemni de Patrono Loci, ſi in eo occurrat Vigilia, transferre Jejunium in pridianum diem. Attamen Majorum auctoritatem referendam eſſe ad Summum Pontificem cenſeo, & non ad Epiſcopum, nam plerique Moraliſtæ tenent, quòd ſi Vigilia S. Matthiæ Apoſtoli occurrat in Feriâ tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ, poſſint Epiſcopi anticipare Jejunium in Sabbato præcedenti: ſed Sacra Rituum Congregatio *anno* 1694. *ſub die* 23. *Januarii* (quo annò accidit caſus) decrevit, ea die ſervandum eſſe omninò Jejunium, non verò anticipandum: ex quo videtur inferri, quòd ſi Epiſcopi non poſſunt ut illorum opinione in caſu illius Feriæ tertiæ, neque poterunt in caſu Patroni. Licèt autem Vigilia nullum habeat Officium, ſi in ea agatur de Feſto duplici primæ claſſis, ex vi Rubricæ Generalis Breviarii *de Vigil. tit.* 6. *ſub num.* 2. ubi dicitur, quòd *ſi in Vigilia occurrat Feſtum ſolemne alicujus Loci* (quale eſt Feſtum duplex primæ claſſis) *nihil tunc prorsùs, nec commemoratio fit de Vigilia*: quia tamen dicta Rubrica in duas dividitur partes, in quarum prima habetur, quòd *ſi Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato*: ideoque quotieſcunque & ubicunque in hac Vigilia omnium Sanctorum fiat de Feſto duplici primæ claſſis, eo anno, in quo occurrit Dominica, Vigilia anticipanda eſt in Sabbato: quod enim una pars Rubricæ negat, altera concedit: & quod una excludit omninò in uno caſu, altera admittit anticipationem in caſu diverſo: ſalva ſemper meliori opinione.

Hoc unum reſtat notandum pro hac Vigilia omnium Sanctorum, nam in ea (ut ſupra vidimus) legitur in Officio Homilia S. Ambroſii in 1192
Evangelium Lucę *Deſcendens Jeſus de Monte*: ideoque ſi alicubi, vel hodie in propria ſede Vigiliæ, vel in Sabbato præcedenti anticipatè ratione

ne Dominicæ, fiat Officium de eodem Communi, deque eodem loco ſecundo, non videtur mutandum Evangelium Vigiliæ, ſed Feſti, & dicendum illud ejuſdem Communis de primo loco, ſcilicet: *Cùm audieritis prælia*: ſiquidem in Evangelio huic Vigiliæ accommodato exponuntur Beatitudines, quæ magis competunt omnibus Sanctis quàm Evangelium *Cùm audieritis prælia*. Hujuſmodi autem caſus occurrentiæ meis temporibus contigit Venetiis ratione Feſti translati: Anno ſiquidem 1725. die trigeſima prima Octobris in Feria quarta celebratum fuit Feſtum ſemiduplex SS. Martyrum Sergii & Bacchi, quod cæteroqnin occurrit die ſeptima ejuſdem Octobris, & nos ſemper agimus de eis ex Communi de ſecundo loco, & eo anno actum fuit de primo loco ejuſdem Communis, ut ſuum Vigilia retineret Evangelium hodie in Breviario citatum. Sed & Kalendariſta Ordinis Minorum S. Franciſci in ſuo Directorio de Anno 1736. pro Alma Provincia S. Antonii, Venetiis impreſſo *apud Aloyſium Pavinum*, tranſtulit juxta Rubricas die trigeſima prima Octobris in hanc Vigiliam tunc Feriam quartam Feſtum ſemiduplex univerſale SS. Mm. Coſmæ & Damiani, in cujus tertio Nocturno habetur Homilia in Evangelium *Deſcendens Jeſus de Monte*: & tamen claris verbis, ut modò lego, adnotavit ad varietatem Evangelium *Cùm audieritis*, ne ſuum amitteret Vigilia. Imò Anno 1734. die trigeſima Octobris in Vigilia anticipata in Sabbato ratione Dominicæ, tria Directioria Caſſinenſia, quorum duo pro tota Congregatione, & unum quidem impreſſum Venetiis *apud Bonifacium Viezzeri tunc Typographum Patriarchalem*: alterum verò editum Patavii *ex Typographia Jo: Baptiſtæ Conzatti*: ſed & tertium pro particulari Eccleſia Abbatiali S. Georgii Majoris Venetiarum, in hac ipſa excuſum Civitate: omnia & tria in Officio ſemper occurrente SS. Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in Eccleſiis Ordinis aſſervantur,

tur , in quo habetur Evangelium *Deſcendens Je-*
ſus de Monte, eo anno unanimiter adnotarunt E-
vangelium *Cùm audieritis* , ne coincidat (ut
in omnibus & tribus dicitur) cum Homilia Vi-
giliæ.

Prædictis tamen non obſtantibus , ad inſtan- 1193
tiam Ordinis S. Benedicti in caſu hujus Vigiliæ
in Sabbatum præcedens translatæ ratione Domi-
nicæ , quo die totus ille digniſſimus Ordo cele-
brat præfatum Feſtum Reliquiarum , cum dicto
Evangelio *Deſcendens Jeſus de Monte*, Sacra Rituum
Congregatio *in Einſidlen. die* 5. *Maii* 1736. declara-
vit , quòd *quando Vigilia omnium Sanctorum venit*
in Dominica , & conſequenter anticipanda eſt in Sab-
bato , quod tunc erit die trigeſima Octobris , in qua à
PP. Benedictinis celebratur Feſtum Sacrarum Reliquia-
rum totius Ordinis , tunc à prædictis Monachis facien-
da eſt commemoratio tantùm de Vigilia omnium San-
ctorum : ut refert diligentiſſimus P. Merati in e-
ruditis Additionibus & Obſervationibus ad Ga-
vantum *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice , ſub numer.* 303.
ita ut in hujuſmodi caſu omittenda ſit ad Matu-
tinum Feſti nona Lectio de eadem Vigilia : eo
prorsùs modo , quo fit in Feſto Expectationis
Beatæ Mariæ Virginis , in cujus Officio habetur
Rubrica tenoris ſequentis , videlicet : *Si hoc Fe-*
ſtum venerit in Feria quarta Quatuor Temporum, loco
ſequentis Homiliæ leguntur tres Lectiones Homiliæ ejuſ-
dem Feriæ quartæ : & conſequenter non dicitur
nona Lectio de eadem Feria , ſed tantùm fit de
ea commemoratio in Laudibus . Ideoque quo-
tieſcunque , & ubicunque hic caſus contigerit ,
& dicti Monachi , & Diœceſes , & Religiones,
& Eccleſiæ , hujuſmodi Feſtum , ſive occurrens
ſive translatum celebrantes , ſive veniat in pro-
pria die Vigiliæ , ſive in ejus translatione in
Sabbatum ratione Dominicæ , perpetuis futuris
temporibus , ſic , ut præfertur, erit regulandum
Officium.

§. II.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Vigilia omnium Sanctorum.

1194 Miſſa, ſi Officium ſit de Vigilia, eſt propria, & celebratur in colore violaceo, ſine *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de Spiritu Sancto, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Quòd ſi hodie occurrat Feria ſecunda, vel alicubi forſan dictum ſit Nocturnum cum Laudibus Defunctorum pro prima Die Menſis non impedita, ut exempla vidimus ſupra in Officio de Vigilia, tunc in Miſſa dicitur ſecunda Oratio *Fidelium*, & tertia de Spiritu Sancto. Præfatio verò eſt communis, quam tamen propriam habent Ambroſiani, ut clarè patet ex eorum Miſſali Mediolani impreſſo, & eſt ea, quæ ſequitur, ad Lectoris tantùm eruditionem hoc loco opportunè extenſa, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et venientem ſanctam Solemnitatem, omnium Sanctorum tuorum, debito jejunio prævenire ſuppliciter obſecrantes, ut ipſos, nos apud tuam clementiam ſentiamus habere Patronos, quos, tua gratia largiente, meruimus æternæ ſalutis ſuſcipere miniſtros, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

1195 Quòd ſi die ultima Octobris in qua revera occurrit hæc Virgilia omnium Sanctorum, vel die præcedenti in quam interdum transfertur ratione

ne

ne Dominicæ, alicubi actum ſit Officium de aliqua Die infra Octavam ſpecialem, ut Segubiæ in Caſtella Veteri; ubi utraque die prædicta fit de ſexta & reſpective ſeptima Die infra Octavam S. Fructi Confeſſoris & Patroni: ut Barcinone in Catalaunia ubi dictis duobus diebus fit de ſecunda & tertia Die infra Octavam S. Narciſi Epiſcopi & Martyris: ut etiam Toleti in Caſtella Nova ubi die trigeſima prima Octobris fit de ſeptima Die infra Octavam Dedicationis illius Eccleſiæ Hiſpaniarum Primatis: ubi inquam Officium fuit de aliqua Die infra Octavam; Miſſa nihilominus ibi erit de Vigilia, cum ſecunda Oratione de Octava; & tertia de Spiritu Sancto; juxta Rubricam Miſſalis *de Fer. & Vigil. tit.* 3. *ſub numer.* 2. & licèt Octava alicubi haberet forſan Præfationem propriam, in hac tamen Miſſa Vigiliæ dicenda eſſet Præfatio communis, ut de Miſſa Feriæ quartæ quatuor Temporum occurrentis in Die Octava Nativitatis Beatę Marię Virginis, decrevit Sacra Rituum Congregatio *in una Urbis anno* 1626. *ſub die* 12. *Decembris*: quòd quidem Decretum, citata Auctorum caterva illud referentium, tradidit in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 508. *pagin.* 151. & ex me habet etiam La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub numer.* 2055. *Decreto* 174. & tandem noviſſimè tradit P. Merati *tom.* 1. *par.* 1. *in Indice*, *ſub numer.* 202.

Cùm autem Miſſa Vigiliæ ſit Miſſa de Die in caſu recitati Officii de Octava, ut ſupra vidimus, ſi quis velit dicere Miſſam de ſua Octava, debet illam celebrare more Votivo; ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, cum ſecunda Oratione Vigiliæ, & tertia de Spiritu Sancto, ac cum Evangelio S. Joannis in fine: & ratio eſt, quia licèt Miſſa de Vigilia diſcordet ab Officio, eſt tamen Miſſa de Die: ſed Miſſa de Octava non eſt hodie Miſſa de Die: ergo eſt Votiva: ergo more Votivarum celebranda. Quòd autem ſupracitata Rubrica Miſſalis *de Fer. & Vigil. tit.* 3. *ſub* 1196

numer. 2. intelligenda ſit, non de ſola Conventuali, ſed etiam de omnibus & ſingulis privatis, de Vigilia celebrandis, communiter tenent Rubriciſtæ; ita ut & ſolemnis & quæcunque privata de Vigilia cenſenda ſit Miſſa de Die: & ſic ſignanter ſentit Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 2. *capitul.* 29. *ſub numer.* 13. *pagin.* 217. Paulus Maria Quarti in Commentariis ad Rubricas Miſſalis *tit.* 18. *de Color. Paramentor. Dub.* 3. *pag. mihi* 116. Carolus Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *capitul.* 5. *quæſt.* 3. *pagin.* 250. & noviſſimè Reverendiſſimus P. Cajetanus Maria Merati, Sacræ Rituum Congregationis Conſultor. in ſuis perutilibus Additionibus ad Gavantum, *tom.* 1. *part.* 1. *addition. par. itid.* 1. *titul.* 3. *ſub num. IV. pagin.* 100.

1197 Si verò in hac Vigilia actum ſit de Feſto ſemiduplici, ſive occurrente ſive translato, Miſſa quidem dicitur de Feſto, cum ſecunda Oratione Vigiliæ, ſed tertia Oratio non erit de Spiritu Sancto, ut Aliqui opinantur, ſed debet eſſe de Tempore, ut expreſsè docet Tobias Lohner *de SS. Miſſa Sacrific. par.* 4. *titul.* 4. *de Miſſ. Vigil. ſub numer.* 2. *pagin. mihi* 159. Dicenda igitur tertio loco Oratio *A cunctis*: & ratio eſt, quia cùm Miſſa de Die non ſit ampliùs de Vigilia, nec ampliùs dicuntur ejus Orationes, & Miſſa de Feſto ſemiduplici ſuas aſſumit aſſignatas in Rubrica Miſſalis *de Oration. titul.* 9. *ſub numer.* 2. ubi reverà ſic præſcribitur: *In Feſtis ſemiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum, ſecunda Oratio A cunctis, tertia ad libitum*: ſed Feſtum ſemiduplex celebratum in hac Vigilia, celebratur intra tempus Rubricæ: ergo in ejus Miſſa, ſecunda Oratio eſt Vigiliæ, & tertia *A cunctis*, ſed hoc noviſſimè declarando decrevit Sacra Rituum Congregatio *in una Minorum S. Franciſci Capuccinorum anno* 1710. *ſub die* 21. *Junii*, ubi in præciſis terminis hujus Vigiliæ ſic reſpondit: *In Vigilia omnium Sanctorum ſi occurrat dici Miſſa de Feſto ſemiduplici, poſt Orationem Vigiliæ,*

tertia

tertia Oratio erit, *A cunctis*; *non verò de Spiritu Sancto*: Et legitimè infertur etiam ex alio recentiori ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto, emanato *in Toletana*; *anno adhuc mihi ſcribenti currente* 1736. *ſub die* 15. *Septembris*, in quò ita etiam ad noſtram rèm declaravit, nempè: *Translato Feſto ſemiduplici ad Vigiliam alicujus Apoſtoli*, *in Miſſa Feſti*, *tertia Oratio debet eſſe*, *A cunctis*: utrumque enim refert fidelis teſtis de viſu Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 630. *&* 694.

Suppoſita celebratione Feſti ſemiduplicis in hac 1198
Vigilia omnium Sanctorum, non erit in dicta Oratione *A cunctis* nominandus Titularis in Eccleſia omnibus Sanctis dicata: ratio enim eſt, quia in Oratione *A cunctis* ſatis ſuperque clarè omnes exprimuntur, dicitur enim, *& omnibus Sanctis*, ergo in littera N. nominari ibi poteſt Patronus Loci, vel alius Sanctus forſan Contitularis ejuſdem Eccleſiæ. Quòd ſi Feſtum illud ſemiduplex; fuerit de Communi plurimorum Martyrum ex ſecundo loco, eo caſu eveniente, facta in Miſſà commemoratione Vigiliæ, tacendum in fine ejus Evangelium, ſed dicendum illud S. Joannis, juxta Decretum ſupra relatum in Officio. Sive autem Feſtum ſit Semiduplex, ſive duplex minus vel etiam majus, aut ſecundæ claſſis, ſemper in ejus Miſſà facienda eſt commemoratio de Vigilia, cum ejus Evangelio in fine, excepto caſu ſupra expreſſo: Vigilia tamen taliter impedita, in Cathedralibus & Collegiatis aliiſque Eccleſiis laudabilem conſuetudinem habentibus, cantantur duæ Miſſæ, ex Rubrica Miſſalis *de Fer. & Vigil. tit.* 3. *ſub numer.* 1. una ſcilicet de Feſto poſt Tertiam in colore conveniente, cùm *Gloria in excelſis*; & ſi fuerit Feſtum ſemiduplex, cum ſecunda Oratione *A cunctis*, & tertia *ad libitum*: ſi verò fuerit duplex; cum unica Oratione de Feſto: & etiam cum *Credo*, ſi Feſtum illud requirat. Altera verò Miſſa cantatur de Vigilia

 poſt

poſt Nonam in colore violaceo, ſine *Gloria in excelſis*, cum Orationibus ut in ea, & cum Præfatione communi: in neutra tamen earum fit commemoratio alterius, & in fine utriuſque legitur Evangelium S. Joannis.

Quòd ſi in hac Vigilia alicubi agatur de Feſto duplici primæ claſſis, ſicuti Vigilia nihil habuit in Officio, ut ſupra vidimus, vigore Rubricæ Breviarii *de Vigil. titul.* 6. *ſub numer.* 2. ita pariformiter nihil habere debet in Miſſa, ex Rubrica Miſſalis *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 2. *in fine*. Guyetus verò *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 1. proponit ad rem Dubium, an ſcilicèt ſuppoſita translatione Jejunii in diem præcedentem, transferri etiam poſſit cum eo Officium Vigiliæ occurrentis in Feſto duplici primæ claſſis? Primò igitur ait, quòd hoc non adeò alienum videtur, ut diſertis verbis expreſſit Breviarium Senonenſe novum *Rubric.* 6. *ſub numer.* 2. ſed tamen antequam diſcedat ipſe a Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 7. *ſub num.* 3. concludente ibi cum translatione ſuppoſita Jejunii, non ideò anticipandum Officium Vigiliæ, quia ſeparari poſſunt Officium Vigiliæ, & Jejunium ejuſdem: antequam, inquam, Guyetus diſcedat, unum credit obſtare quod opponi poteſt, id videlicèt minimè expreſſum haberi in caſu Vigiliæ S. Joannis Baptiſtæ, pridie Corporis Chriſti quoad Jejunium anticipandæ: Sed & hanc oppoſitionem ſuſtulit poſt Guyetum Clemens Undecimus in approbatione ſequenti Decreti à Sacra Rituum Congregatione emanati, videlicèt. 1199

Remiſſa à SS. D. N. Clemente Papa XI. ad Sacrorum Rituum Congregationem diſcuſſione Dubii: An occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in Die Feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato Jejunio Vigiliæ prædictæ in diem vigeſimam ſecundam Junii, ad formam Conſtitutionis Urbanæ (*edita anno* 1638. 24. *Sept. & incipit* Cùm evenire quandoque poſſit, *ut in Bullar. Rom tom.* 4. *Conſtitut.* 152.) debeat in Officio diei vige- 1200

vigeſimæ ſecundæ prædictæ, ejuſdem Evangelii nona Lectio recitari, & in Officio & Miſſa de eadem fieri Commemoratio? Eadem Sacra Rituum Congregatio, cenſuit, *Nihil de Vigilia in Officio, & Miſſa peragendum eſſe*: *Die* 18. *Septembris* 1706. *approbante SS. die* 2. *Octobris, ejuſdem Anni*, ut habetur in Bullario particulari dicti Clementis XI. *par.* 3. *Conſtit.* 9. *pagin.* 566. & modò reperitur etiam in Bullario Romano noviſſimæ Editionis Luxemburgenſis *tom.* 8. *Decreto* 9. *pagin.* 434. Quia verò Urbanus VIII. & Clemens XI. loquuntur de Officio Vigiliæ omittendo in Feſto præceptivo SS. Corporis Chriſti, & Auctores ſupracitati differunt de Feſto Patroni Loci primario, quod itidem eſt præceptivum, non ideò inferendum, quòd ad hoc ut omittatur Officium Vigiliæ debeat neceſſario eſſe vel occurrere in illa Feſtum primæ claſſis de præcepto: nam Rubrica intelligit de omni & quocunque duplici primæ claſſis: & ideò ſi in præſenti Vigilia omnium Sanctorum occurrat alicubi Dedicatio Eccleſiæ, quæ non eſt Feſtum præceptivum, ſed tamen duplex primæ claſſis, nihil erit agendum de ea in Officio Feſti, nec in ejus Miſſa: nec anticipandum Jejunium, ut fit in caſu ſupradicto de Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, quando in eam incidit dictum Feſtum SS. Corporis Chriſti, cùm hoc ſit ſpeciale pro illo tantùm caſu: caſus autem ſpecialis non traditur in exemplum: & ideo omiſſo Officio Vigiliæ, Jejunium in aliis caſibus ſervandum eſt in ipſo Feſto duplici primæ claſſis, niſi adſit diſpenſatio Apoſtolica, ſeu Indultum anticipandi, ſine Officio Vigiliæ.

Explicatis, forſan ſatis, quæ ad Officium pertinent & ad Miſſam Vigiliæ, nunc de primis Veſperis ſequentis Feſti omnium Sanctorum eſt differendum. Itaque hæ primæ Veſperæ ſemper & ubique debent eſſe integræ, quocunque Feſto præcedente etiam duplici primæ claſſis, etiam magna ſolemnitate celebrando, licèt idcircò illud ſit de Patrono principaliori Loci, vel Titu- 1201

lari Eccleſiæ, aut etiam Dedicatione, ut clarè patebit ex Rubricis ſuo loco inferiùs citandis. Dicuntur autem omninò, ut præſcribitur hodie in Breviario. Quia tamen in eis multæ omittendæ ſunt commemorationes, & aliquæ faciendæ, ut incipiamus ab omiſſione, non fit commemoratio de Dominica præcedenti, de Feſto ſemiduplici, de Die infra Octavam, de duplici tam minori, quàm majori, neque denique de Die Octava, ſi alicubi præcedat, ut præcedit Venetiis in duabus Eccleſiis, Monachorum ſcilicèt Ciſtercienſium S. Mariæ ab Horto, & S. Sebaſtiani propè Eccleſiam Monialium S. Laurentii, in quibus hodie concurrunt ſecundæ Veſperæ de Die Octava utriuſque Dedicationis. Fit tamen commemoratio de præcedenti duplici primæ vel ſecundæ claſſis, ut de S. Vvolfgango Ratisbonæ Patrono, & de S. Quinctino Patrono Auguſtæ Veromanduorum. Itidem in hiſce primis Veſperis fit commemoratio de Dominica ſequenti ſeu ſimul cras occurrente in ipſo Feſto: nec non de Die Octava, ſi in craſtinam diem ſimultanea incidat occurrentia, prout incidit Regii in Ducatu Mutinenſi, ubi occurrit die prima Novembris Dies Octava SS. Patronorum Chryſanti & Dariæ.

Hoc loco volumus quodam Dubium ponere, quod in Sacra Rituum Congregatione propoſuere Præſidens, & Procurator Generalis Congregationis Monachorum Caſinenſium: Cùm enim illa celeberrima Congregatio die decima tertia Novembris celebret Feſtum omnium Sanctorum Monachorum ſui Ordinis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, die verò præcedenti agat de S. Æmiliano Abbate ſub ritu duplici minori, ortum eſt ſequens Dubium in ordine quartum, ſcilicet: 1202
An in concurſu S. Æmiliani Abbatis cum Feſto omnium Sanctorum Monachorum, facienda ſit in primis Veſperis ipſorum, commemoratio prædicti S. Æmiliani juxta Rubricas Generales Breviarii: an verò omittenda, tanquàm unius ex ipſis Sanctis Monachis?

chis? Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad quartum Dubium cenſuit reſpondendum, *Commemorationem S. Æmiliani non eſſe omittendam: Et ita declaravit die* 22. *Maii* 1700. = *Alderanus Cardin. Cybo* = *Loco* ✠ *Sigilli* = *B. Inghirami Sacra Rit. Congr. Secret.* ſic enim, prout ſupra ſtat & jacet, habetur inter Officia propria Sanctorum Monaſtici Ordinis, impreſſo Patavii *anno* 1715. *ex Typographia Jo. Bapt. Conzatti*, & hoc idem confirmavit *in Einſidlen.* 23. *Junii* 1736. apud P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub numer.* 329. Ex hac particulari Reſolutione infertur ad generalem regulam etiam juxta Breviarium Romanum ſervandam, nempè, quòd concurrente alicubi Feſto alicujus Sancti ſub ritu duplici primæ vel ſecundæ claſſis cum Feſto omnium Sanctorum, quod celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, in primis Veſperis de ſequenti erit facienda commemoratio præcedentis, licèt inter omnes Sanctos includatur & ille, cùm hoc nullam patiatur contradictionem: & jam eſt in praxi apud omnes Diœceſes hujuſmodi concurrentiam habentes, ut ſupra vidimus de S. Vvolfgango, & de S. Quinctino.

In Cathedrali verò Eccleſia Veſperæ ſunt hodie Pontificales, ſive hæc Solemnitas ſit Titulus ejuſdem Eccleſiæ, ſive etiam non, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *capit.* 1. §. 2. *pag. mihi* 184. ubi revera ſic habetur: *Si ergo Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam ſequenti die celebraturus, Veſperæ ſolemniùs peraguntur, quàm ſi non eſſet celebraturus: quod præcipuè in his Vigiliis obſervari ſolet, videlicet, omnium Sanctorum, &c.* & hoc loco accipit Feſtum ut Solemnitatem Univerſalem: deinde ſubdit, *& Sancti Titularis Eccleſiæ*: & ideò quocunque modo conſideretur hæc magna Celebritas, Epiſcopus peragit primas Veſperas. Pſalmi decantari debent à Choro, & ab ipſiſmet Canonicis, & Beneficiatis, aliiſque de Capitulo, in tono & cantu Gregoriano, cum gravitate & decore: ita ut eorum verba ab o- 1203

mnibus

mnibus intelligantur. Si non fuerit Feſtum Titulare Cathedralis, ornabitur quidem Eccleſia decenter: & ſi ſit Titulus, obſervanda ſunt, quæ de ornatu Eccleſiæ præſcribit dictum Cæremoniale *lib. 1. capitul. 12. per tot. pagin. 72.* & nos ex eo alibi diximus. Dicto in dictis Veſperis ſolemnibus *Benedicamus Domino*, Epiſcopus dat Benedictionem, dicens, *Sit Nomen Domini benedictum, &c.* Indulgentiæ tamen in Veſperis nunquam publicantur.

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum omnium Sanctorum.

Hujus Solemnitatis inſtitutio facta fuit primò Romæ à Bonifacio Quarto, quando obtento Pantheo à Phoca Imperatore Orientali, qui tunc temporis præerat Romanis, & abjectis inde Idolis, Templum more Catholico conſecravit, ait Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 7. cap. 34. ſub numer. 2.* 1204
De dicta verò illius Templi donatione affirmat Platina *in Vita ejuſd. Pontific.* ac etiam Galtruchius *in Hiſtoria Sancta, pag. mihi* 287. Hoc tamen Feſtum ſic, ut præfertur, à Bonifacio Quarto Romæ inſtitutum, Gregorius itidem Quartus voluit poſtmodùm ſolemniter hac die prima Novembris ab Univerſa Eccleſia perpetuò celebrari, ut habetur *in hodierna Martyrologii Lectione*: quam univerſalem extenſionem carminibus & oratione ſoluta laudatam eſſe a Rabano Monacho Teologoque præſtantiſſimo, refert dictus Platina *in Vita ejuſd. Gregor.* Sicque factum eſt,

eſt, ut Templum illud Pantheon, mirandum artis excellentiſſimæ Opus, affabrè revera factum, quod in honorem Cybelis Deorum Matris, omniumque Deorum inſana erexerat Gentilitas, Sancta Eccleſia, Dei Genitrici, Sanctiſque Martyribus, quorum eſt Regina, dedicaverit: Unde Baſilica illa appellatur etiam hodie S. Maria ad Martyres, vulgo, *la Rotonda*: De dicta verò Dedicatione agitur in Martyrologio die decima tertia Maii, hiſce verbis: *Romæ Dedicatio Eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres, quam Beatus Bonifacius Quartus, expurgato Deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem Beatæ ſemper Virginis Mariæ, & omnium Martyrum dedicavit, tempore Phocæ Imperatoris.*

Unus ergo Summus Pontifex Innocentius Quartus Feſtum inſtituit in Urbe, alter verò Gregorius itidem Quartus inſtituit in Orbe. Non eſt tamen hoc Feſtum dumtaxat SS. Martyrum, verùm etiam SS. Confeſſorum, ait & benè Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 13. *die* 1. *Novembris*. Sed amplianda eſt hæc Solemnitas, eſt enim *Feſtum omnium Sanctorum*. Inſtitutum autem fuit, ut una eademque die omnes celebrarentur, de quibus prę multitudine ſpecialiter feſtare non valemus. Nec ſufficit dicere cum Euſebio citato à Joanne Beleth *in Explicat. Divinor. Officior. cap.* 154. *pag. mihi* 369. *à tergo*, quòd Sancti quotidie excedunt numerum quinque millium, quia hoc eſt potiùs Sanctos ſcienter enumerare, cùm ille ſolus Sanctorum numerum verè ſciat, *qui numerat multitudinem Stellarum*, *& omnibus eis nomina vocat*. *Pſalm.* 146. *verſ.* 4. Ideò attendendum eſt, quòd vidit Joannes Apoſtolus *Apocal.* 7. qui poſt duodecim millia pro qualibet ex duodecim Tribubus, adhuc vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat: Unde ſi tantus eſt numerus, ut non poſſit numerari, neceſſe erat, ut omnium ſimul merita ſub una celebritate veneraremur. Præterquàm quòd hæc Solemnitatis inſtitutio facta eſt, propter negligentiam

1205

in Feſtis, quæ celebramus, & omiſſorum ac commiſſorum expiationem: Propterea Ordo Romanus relatus à Baronio *in Notation. ad Martirolog. Roman. ſub hac die* 1. *Novembris*, ſic clarè & expreſsè habet: *In ipſis Kalendis Novembris Romæ, & per totum Orbem Plebs univerſa, ſicut in Die Natalis Domini, ad Eccleſiam in honorem omnium Sanctorum, ad Miſſarum ſolemnia convenire ſtudeat: illud attendentes, ut quidquid humana fragilitas per ignorantiam aut negligentiam in Solemnitatibus ac Vigiliis Sanctorum minùs plenè peregerit, in hac obſervatione ſancta ſolvatur.*

Hoc Feſtum omnium Sanctorum eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus: Celebratur autem ſub ritu duplici primæ claſſis in colore albo. Quoad Officium hodie recitandum, ſemper & ubique debet eſſe de hoc Feſto, cui ipſa cedit Eccleſiæ Dedicatio, ut clarè patet tam ex Rubrica generali Breviarii *de Translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub num.* 1. quàm etiam & clariùs ex altera Rubrica ejuſdem Breviarii in primo Notando *poſt Tabell. Occurren.* ubi expreſsè nominantur Patronus Loci, Titularis Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicatio, tanquam Officia transferenda, ſi occurrant in hoc Feſto omnium Sanctorum: Unde Lycii in Apulia, quotieſcunque in primam diem Novembris incidat Dominica, ibi eo die occurrit Dedicatio illius Cathedralis, cujus Officium idcircò transfertur eo anno in Feriam ſecundam ſequentem. Ex hac occaſione non videtur abs re adnotandum, quòd Epiſcopus Eccleſiam conſecraturus, ſicuti poteſt infra actum Conſecrationis mutare diem, ſic debet prudenter & conſideratè talem aſſignare, qui nunquàm vel rarò ſit impeditus, neque Octava: nam cùm Dedicatio ſit magna Eccleſiæ celebritas, ſi ſemper transfertur, aliquid videtur deperdere ſuæ Solemnitatis, & Dies infra Octavam per ſolam commemorationem non reſplendet, ut per integrum Officium. 1206

Pro

Pro Officio hujus Feſti, omnia ſunt hodie propria in Breviario, ſed ſi occurrat Dominica, ad Matutinum legitur nona Lectio Homiliæ in Evangelium illius Dominicæ eo anno occurrentis, ut infra dicetur, §. 8. Ad Laudes verò, in quarum tertia Antiphona dicitur, *Redemiſti nos, Domine, in Sanguine tuo*, tam in Choro, ſi publicè recitentur, quàm privatim, ſi extra Chorum dicantur, caput profundè inclinatur detectum. Unica eſt Oratio, niſi veniat Dominica, quia tunc poſt Orationem Diei fit commemoratio illius Dominicæ. Quòd ſi alicubi occurrat Dies Octava, fit in his Laudibus commemoratio de ea, ita tamen, ut quando ſimul incidit Dominica, commemoratio de Die Octava debet præcedere, ea ratione, quia commemoratio de Die Octava eſt de duplici, illa verò de Dominica eſt de ſemiduplici: Sic occurrit Regii in Ducatu Mutinenſi, ubi hodie eſt Dies Octava SS. Patronorum Chryſanti & Dariæ: Sic occurrit Toleti in Caſtella Nova, ubi eſt Dies Octava Dedicationis illius Eccleſiæ Primatis: Sic occurrit Segubiæ in Caſtella Veteri, ubi in hoc Feſto omnium Sanctorum ſimul habetur Dies Octava S. Fructi Confeſſoris & illius Civitatis Patroni: & ſic denique agendum eſt ubicunque ſit ſimultanea alicujus Diei Octavæ occurrentia. 1207

Si verò in hanc diem primam Novembris incidat alicubi Feſtum ſemiduplex, erit illud transferendum in diem immediatè ſequentem licèt non impeditam, ut ſatis ſuperque probavimus ſupra in Feſto Aſcenſionis Domini. Cæterùm clarè patet, quòd in Laudibus hujus Feſti non fit commemoratio de Die alicubi occurrente infra aliquam Octavam: ideoque nihil hodie Barcinone in Catalaunia de Die quarta infra Octavam S. Narciſi Epiſcopi Martyris: nihil Ratisbonæ in Bavaria de ſecunda Die infra Octavam S. Vvolfgangi Epiſcopi Urbiſque Patroni: nihil Venetiis in Eccleſia Regulari Servitarum S. Jacobi in Ju- 1208

daica

daica de ſeptima Die infra Octavam Dedicationis illiusmet Eccleſiæ. Quia tamen in hoc Feſtum omnium Sanctorum incidit quandoque Dominica, illud reſtat notandum, quòd illa ſemper ſit prima Novembris, in qua *Incipit Liber Ezechielis Prophetæ*; ideò *Initium* iſtud tanquam hodie impeditum, ponendum erit cras in Officio de ſecunda Die infra hanc Octavam, niſi & Feria ſecunda ſit alicubi ſimiliter impedita ut Tergeſte in Hiſtria, ubi die ſecunda Novembris occurrit Feſtum S. Juſti Martyris, illius Civitatis Patroni; & ideò ibi prædictum *Initium* eo anno legitur in Feria tertia, quæ eſt Dies itidem tertia infra Octavam omnium Sanctorum.

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in ipſo Feſto omnium Sanctorum.

Miſſa in hoc Feſto omnium Sanctorum eſt 1209
propria, in qua dicitur *Gloria in excelſis*, cum unica Oratione: niſi veniat Dominica, de qua infra, §. 8. Itaque quotieſcunque occurrat, in Miſſa de Feſto ſecunda Oratio erit de illa Dominica, cum ejus Evangelio in fine. Ubi autem ſimul incidit Dies Octava, Oratio ſecunda dicetur de ea, & ſi occurrat etiam Dominica, ibi commemoratio Dominicæ poſt ponetur Diei Octavæ, ex ratione ſuperiùs allata. Ante Miſſam verò ſolemnem in occurrentia Dominicæ fiet Aſperſio Aquæ benedictæ in omnibus Eccleſiis ubi adeſt hæc laudabilis

bilis conſuetudo, excepta tamen Cathedrali, ſi Epiſcopus ibi hodie celebret Pontificaliter, ex Cæremoniali Epiſcoporum alibi à nobis citato. In hac Miſſa dicitur etiam *Credo*, ſine Organi interpoſitione, quo completo in Choro, Celebrans proſequitur Miſſam, etiamſi ante illius decantationem ipſe priùs integrè recitaverit.

Præfatio autem in dicta Miſſa omnium San- 1210
ctorum eſt communis, quam olim fuiſſe propriam hujus Diei, ſatis oſtendit Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ, nam *Oper. tom. 3. pagin. verò* 138. legitur ea, quæ ſequitur, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere; Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et clementiam tuam ſuppliciter obſecrare, ut cum exultantibus Sanctis in cœleſtis regni cubilibus gaudia noſtra ſubjungas: Et quos virtutis imitatione non poſſumus ſequi, debita venerationis contingamus affectu, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Quia verò illis priſcis temporibus ſolebat Epiſcopus quibuſdam conceptis verbis benedicere Populo in qualibet Anni Solemnitate, ut patet ex iis, quæ fuſiùs diximus *tom. 1. in Miſſa de Nocte Nativit. Dom.* ideò Benedictio dari ſolita in hac Sanctorum omnium Feſtivitate, erat ſequens, quam ex eodem Sacramentario Gregoriano tranſcriptam, Lectori noſtro Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſo ſub oculos ponimus, ſcilicet: *Sanctorum ſuorum meritis vos Dominus faciat benedici, & contra adverſa omnia eorum interceſſione muniri.* Amen. *Eorum efficiant ſuffragia felices, quorum Feſtivitatis diem celebratis ovantes.* Amen. *Quo eorum imitantes exempla, ad cœleſtia poſſitis pervenire promiſſa.* Amen. *Quod ipſe praſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.* Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum.*

Eadem autem Præfatio Gregoriana, quæ an- 1211
tiquitùs in hodierna Miſſa omnium Sanctorum

di-

dicebatur, ut ſupra vidimus & extendimus, dicitur, & etiam hodie eſt in viridi obſervantia apud Ambroſianos, ut videre eſt *in eorum Miſſali Mediolani impreſſo*: nam facta à me de verbo ad verbum collectione, inveni cum illa penitùs concordare. Nolumus verò hoc opportuno loco omittere & aliam Præfationem propriam, qua ante mille annos utebatur Eccleſia Gallicana in Miſſa hujus Diei, ut ex Miſſali Gallico Gothico fideliter tranſcripſit celebris Mabillonius, eamque inſeruit *in Liturg. Gallic. lib. 3. pag. mihi* 321. & erat ſequentibus verbis concepta, nempè: *Verè dignum & Juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant te: quoniam gloriam virtutis eorum tu es, quibus virtutem in confeſſione pugnantibus, & gloriam in paſſione vincentibus contuliſti. Qui ſummum illud Unigeniti tui Nomen coram Regibus & Poteſtatibus voce libera proteſtantes, pretioſum tibi ſanguinem glorioſa morte fuderunt. Clementiam tuam ſuppliciter obſecrantes, ut cum exultatione Sanctis in cæleſtis regni cubilibus gaudia noſtra ſubjungas: & quos virtutis imitatione non poſſumus ſequi, de vita veneratione conjungamus affectu. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

In Cathedrali tamen Eccleſia hodie Epiſcopus 1212
Pontificaliter celebrat, non ſolùm ſi hoc Feſtum omnium Sanctorum eſt Titulare illius Eccleſiæ, ſed etiam prout eſt magna & univerſalis Solemnitas, quia hæc Miſſa comprehenditur inter expreſſas in Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. capit.* 34. §. 2. *pag. mihi* 416. ubi revera & pro univerſali Solemnitate, & pro Titulo Eccleſiæ ſic habetur: *Celebrare igitur poterit Epiſcopus, niſi legitimè fuerit impeditus in Feſto omnium Sanctorum, in Feſto S. Titularis Eccleſiæ, &c.* Ex hac verò Pontificali Epiſcopi celebratione infertur quanta ſit hodierna Solemnitas, cùm Epiſcopus celebrare non ſoleat Pontificaliter, niſi in magnis Anni

Celebritatibus : unde & aliæ Eccleſiæ ſequi debent exemplum Epiſcopi: quapropter Piſcara inſtructurus ſuos , quomodo celebranda ſit & à quo hæc Feſtivitas , in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 33. *ſub numer.* 2. *pagin.* 223. hæc habet preciſa verba , videlicèt : *Officium erit ſolemne, & celebrabit Præpoſitus*, qui eſt primus Superior Localis: & hoc ad oſtendendam Diei Solemnitatem , cùm ea optimè demonſtretur etiam per qualitatem Celebrantis.

1213 Cæterùm hæc Miſſa omnium Sanctorum dici non poteſt infra Annum , ut Votiva , licèt non reperiatur inter expreſsè nominatas non dicendas ut Votivas, ex Declaratione Sacræ Rituum Congregationis de Mandato Pauli Quinti , quam integram refert Angelus à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſæ Ritus* , *ſub numer.* 2. *pagin. mihi* 332. nam cùm ibi dicatur : *& aliæ Miſſæ ejuſmodi* , *quæ proprios habent Introitus* , *vel Collectas propria Solemnitati accommodatas*, quis non videat, unam ex illis eſſe hanc Miſſam omnium Sanctorum ? Infra verò hanc Octavam poteſt hæc eadem Miſſa ut Votiva celebrari , quando fit de aliquo Feſto ſemiduplici , ut ſuo loco dicemus . Cùm autem hoc Feſtum omnium Sanctorum inter magnas adſcribatur Anni Solemnitates , ideò hac die non eſt celebrandum in Oratoriis privatis , eo quòd expreſsè connumeratur inter Feſta excepta à Decreto Sacræ Rituum Congregationis *de anno* 1607. *ſub die* 17. *Novembris* , jam à me relato ſupra *in Miſſa de Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis* , & noviſſimè tradito à Reverendiſſimo P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice* , *ſub num.* 74. In nulla verò Eccleſia Sæculari vel Regulari poteſt hodie cantari Miſſa pro Defunctis in Die Obitus , licèt urgeat præſentia Corporis , quia in duplicibus primæ claſſis non eſſe cantandam hujuſmodi Miſſam, etiam præſente Corpore, reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Collen. ad octavum Dubium*, *anno* 1698. *ſub die* 5. *Julii* : quam Declarationem ego Domi

aſſervo in forma authentica, ex qua videtur ſatis explicata illa Rubrica Ritualis Romani *tit. de Exequ. ſub numer.* 5. ubi loquendo de Miſſa in Die Obitus, dicitur: *Dum magna Diei Celebritas non obſtet*: quam magnam Diei Celebritatem antea diverſimodè interpretabantur Auctores: modò de omni & quocunque Duplici primæ claſſis, modò de duplici quidem primæ claſſis, ſed non de omni & quocunque, & ſic de ſolemnioribus tantùm.

Quòd ſi in aliqua Eccleſia exponendum ſit SS. Sacramentum pro Oratione quadraginta Horarum, non eſt hodie cantanda ejus Votiva, ſed dicenda de Feſto omnium Sanctorum, cum Collecta ejuſdem SS. Sacramenti ſub unica concluſione: nam Feſtum duplex primæ claſſis eſt unum ex illis exceptis, de quibus loquitur Clemens XI. in ſua Inſtructione ad hanc rem edita *anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*, §. 10. & habetur in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut.* 9. In Miſſis tamen privatis non dicitur eadem Collecta de Sanctiſs. Sacramento, ut alibi diximus ex Decreto, quod noviſſimè refert etiam P. Merati *in præcitato Indice, ſub numer.* 471. Idem modus ſervandus, ſi alicubi hodie occurrat aliqua quævis Votiva ſolemnis pro re gravi: Imò ſic dicendum, ſi forſan incidat Anniverſarium Creationis vel Coronationis Summi Pontificis, aut Electionis & Conſecrationis Epiſcopi, ita ut dicta, in Miſſa ſolemni de Feſto Collecta occurrente ſub unica concluſione, ea tamen tacentur in Miſſis privatis: Sed & Parochus, vel alius de ejus licentia Sacerdos poteſt dicere Collectam pro Sponſis hodie forſan conjungendis, nam Miſſale præſcribit dictam Collectam in Miſſa de Dominica vel Feſto, & cùm non diſtinguat Feſtum à Feſto, neque nos debemus diſtinguere, & illa Miſſa conſideratur tanquam ſolemnis pro re gravi, dictà in facie Eccleſiæ in teſtimonium Conjugatorum. Quod ſi Epiſcopus hodie habeat Ordinationes cum

1214

Bre-

Brevi Pontificio Extra Tempora, dicet in Miſſa licèt privata de Feſto Collectam pro Ordinandis, cùm Pontificale Romanum eam ordinet etiam in Sabbato Sancto.

1215 Secundæ denique Veſperæ (de quibus poſt Miſſam eſt modò loquendum) ſunt & eſſe debent ſemper & ubique ejuſdem qualitatis, ut primæ, nempè; omninò integræ; licèt alicubi concurrant cum Feſto de ſolemnioribus primæ claſſis, quale eſſe poteſt illud Patroni Loci, Titularis Eccleſiæ, vel Dedicationis; de quo ſic ſubſequente ſola in his ſecundis Veſperis facienda eſt commemoratio: ita Tergeſte in Hiſtria die ſecunda Novembris occurrit Feſtum S. Juſti Martyris & illius Urbis Patroni primarii: ita Lycii in Apulia celebratur Dedicatio illius Cathedralis, quotieſcunque dicta die ſecunda ſit Feria itidem ſecunda, quia occurrit in Dominica præcedenti impedita à Solemnitate omnium Sanctorum; & utrobique fit in ſecundis Veſperis de omnibus Sanctis ſola commemoratio de ſequenti Feſto Patroni, vel reſpectivè Dedicationis. Quòd ſi Feſtum omnium Sanctorum occurrat in Dominica, vel Dominica ſubſequatur, in Eccleſia Univerſali fit commemoratio Dominicæ occurrentis; vel ſubſequentis; ſed in duabus prædictis Civitatibus fit commemoratio Dominicæ ſubſequentis, non verò præcedentis; cujus Oratio ſumetur, ut dicetur infra §. 8.

1216 Si verò in Feſtum omnium Sanctorum alicubi incidat Dies Octava, ut ejus occurrentiam vidimus ſupra in primis Veſperis; fit ibi commemoratio de ea etiam ante illam de Dominica ſive occurrente ſive ſubſequente, ex ratione alibi allata. Cæterùm in his ſecundis Veſperis fit commemoratio de quocunque duplici ſequenti tam occurrente quàm tranſlato: imò & de Feſto ſemiduplici, dummodo tamen occurrat. Dicta tamen Feſti ſemiduplicis commemoratio omitti poteſt in his ſecundis Veſperis ſolemnibus; juxta Gavantum, qui tamen intelligendus eſt de Veſ-

peris cantatis in Eccleſia propria, ubi reverà eſt Solemnitas, propter quam ſolam fieri poteſt dicta omiſſio in gratiam Solemnitatis, quia cæteroquin Rubrica Breviarii *de Commemor. tit.* 9. *ſub num.* 5. non excipit Veſperas ſolemnes, ſed Gavantus peritus in Arte ſupponit Rubricam hoc tolerare in Eccleſia propria, non verò in omnibus Eccleſiis, ideoque trahit opinionem, ut ibi ſolùm (ut reor) omitti poſſit dicta commemoratio Feſti ſemiduplicis ſequentis. Non tamen in hiſce ſecundis fit commemoratio de aliqua Die alicubi occurrente infra Octavam ſpecialem: ſic Ratiſbonæ in Bavaria omittitur commemoratio de Die infra Octavam S. Vvolfgangi Patroni, cujus Feſtum celebratur die ultima Octobris: ſic Barcinone in Catalaunia non fit commemoratio de Die infra Octavam S. Narciſi incidentis in diem vigeſimam nonam ejuſdem Octobris.

Ubi autem Feſtum hoc omnium Sanctorum eſt 1212
Titulare alicujus Eccleſiæ Cathedralis, hæ ſecundæ Veſperæ poterunt etiam per Epiſcopum eadem ſolemnitate celebrari, de qua ſupra diximus in primis: nam licèt Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *pag. mihi* 184. apponat ly *ſaltem* in expreſſione aliquorum Feſtorum ſolemnium pro ſecundis Veſperis Pontificalibus, & inter Feſta ibi nominata non reperiantur ſecundæ Veſperæ de Titulari, ſed tantùm primæ: dicta tamen Dictio *ſaltem* licèt ſit incluſiva expreſſorum, non tamen eſt aliorum excluſiva: cùm enim Epiſcopus poſſit in aliis Solemnitatibus etiam non expreſſis, quandocunque voluerit Pontificaliter celebrare, ex eodem Cæremoniali *dict. lib.* 2. *cap.* 34. §. 2. *pagin.* 416. dictum ly *ſaltem* non impedit has ſecundas Veſperas, & ſic poterit etiam eas ſolemniter peragere: & benè faciet, ſi peragat, cùm hæc Feſtivitas ſit proculdubio una ex ſolemnioribus Anni; nam & ex Dignitate Epiſcopali Officium faciente reſultat major graviorque Solemnitas, major devotio, major Populi concurſus, qui certè numeroſior accedit

Digitized by Google

cedit ad ſecundas Veſperas, quàm ad primas, & propter eundem Populum ſic concurrentem datas eſſe Dominicæ integras ſecundas Veſperas in concurrentia cum ſequenti Feſto ſemiduplici, cenſet Gavantus *tom. 2. ſect. 3. cap. 9. ſub num. 7.* licèt primæ Veſperæ ſint nobiliores ſecundis.

His peractis ſecundis Veſperis, dictoque *Benedicamus Domino*, tam ſolemniter quàm privatim dicuntur Veſperæ Defunctorum ſub ritu duplici in colore nigro, de quorum Officiò & Miſſa cùm multa occurrant dicenda, nè nimis protrahatur Octava omnium Sanctorum, cenſuimus ſejunctim ab ea, fuſiùs & diſtinctè differere, tanquàm ſi hiſce ſuis propriis locis ageretur. Itaque Lectorem remittimus ad ibi videnda cùncta illa, quæ ad generalem Defunctorum Commemorationem ſpectantia, eà, qua poterimus, claritate dicentur. 1218

§. V.

De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam omnium Sanctorum.

ANtequam deveniamus ad Sacros Ritus infra hanc Octavam ſervandos, credimus opportunum aliquid vel breviter dicere de ejus inſtitutione. Vidimus enim ſuprà ſolùm Feſtum omnium Sanctorum primò inſtitutum in Urbe, deinde in Orbe: ſed nihil adhuc diximus de ejus Octava. Solemnitas igitur ſola manſit uſque ad Sixtum Quartum, qui creatus anno 1471. die 9. Auguſti, obiit annò 1484. die 11. Auguſti. Ab iſto igitur Summo Pontifice originem duxit hæc Octava, teſte Gavanto *tom. 2. ſect. 7. capit. 13.* 1219

pit. 13. *die* 8. *Novembris*. Hanc autem Octavam inter majores Octavas poſitam, de eaque ſolemniter agi ſolitum, ex Codice Manuſcripto Eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres, infert Cæſar Cardinalis Baronius *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub dicta die* 8. *Novembris*. Gavantus tamen notat Inſtitutorem Octavæ, ſed non annum Inſtitutionis. Itaque Ludovicus Thomaſſinus, celebris Antiquitatum Eccleſiaſticarum indagator, utrumque ponit in ſuo Commentario Hiſtorico & Dogmatico *de Dier. Feſtor. celebrat. lib.* 2. *cap.* 21. *ſub num.* 4. *in fine*, ubi data de Feſtivitatis Inſtitutione notitia, ſic poſtmodùm ait: *Celebrata demum eſt ab omnibus Occidentis Eccleſiis, & quidem diebus octo, Edicto Sixti Quarti Romani Pontificis, anno* 1480.

His ad eruditionem poſitis, veniamus ad noſtram rem: Dies infra hanc Octavam, in quibus Officium poteſt eſſe de ea, ſunt quinque non impediti, non occurrente Dominica, & ſic in Eccleſia Univerſali. In nonnullis autem Diœceſibus ſunt pauciores: nam Venetiis die quinta Novembris fit de S. Zacharia Propheta Confeſſore ſub ritu ſemiduplici: die verò ſexta de S. Leonardo Confeſſore ſub eodem ritu, & ideò apud nos ſunt tantùm tres Dies infra Octavam non impediti, & quotieſcunque in uno ex illis occurrat Dominica, eo anno remanent duo. Alicubi etiam vel unus tantùm eſt Dies infra Octavam non impeditus, & ibidem interdum nullus: ſic Tergeſte in Hiſtria, occurrente Dominica in die tertia Novembris, tota Octava eſt impedita, ſiquidem ibi: = *Die* 2. *Sabb. S. Juſti Martyris, Urbiſque Patroni, dup.* 1. *claſs.* = *Die* 3. *Domin.* 1. *Novembr. ſemidup.* = *Die* 4. *Fer.* 2. *S. Caroli Epiſc. Conf. dup.* = *Die* 5. *Fer.* 3. *Dedicat. illius Cathedr. dup.* 1. *claſſis*: = *Die* 6. *Fer.* 4. *S. Leonardi Conf. ſemid.* = *Die* 7. *Fer.* 5. *S. Proſdocimi Epiſc. Confeſs. dup.* = *Die* 8. *Fer.* 6. *Octav. omn. Sanctor. dup.* & ideò in hujuſmodi caſu nullus ibi habetur Dies, in quo fieri poſſit Officium de Octava. 1220

Quo-

Quotieſcunque autem Officium fit ex integro de Die infra Octavam, omnia dicuntur ut in Feſto, exceptis tamen omnium, & trium Nocturnorum Lectionibus, quæ in primo Nocturno ſunt de Scriptura occurrente: in ſecundo verò & in tertio ſunt ſemper propriæ. Quoad Lectiones tamen primi Nocturni duo occurrunt notanda: quorum primum eſt, quòd ſi Dominica quinta Octobris venerit die vigeſima octava ejuſdem Menſis in Feſto SS. Apoſtolorum Simeonis & Judæ, ut *in Tabula vigeſima quinta ordinis perpetui*, quia die vigeſima nona in Feria ſecunda legendæ ſunt Lectiones de dicta Dominica quinta impedita, & die trigeſima erunt dicendæ in Feria tertia Lectiones de Feria ſecunda poſt eandem Dominicam quintam: ideò die ſecunda Novembris in Officio de Die infra Octavam omnium Sanctorum recitandæ erunt in Feria tunc ſexta Lectiones de Feria tertia poſt dictam Dominicam quintam Octobris, ad complementum martyrii Machabæorum, ut diſponit Rubrica *in Fer. 5. poſt Dom. 4. Octobr.* & ſic etiam ordinat Gavantus *in dicta Tabula ordinis perpetui*. Alterum verò notandum eſt, quòd Incidente Dominica in ipſum Feſtum omnium Sanctorum, ſicuti erit ſemper prima Novembris, & in ea *Incipit Liber Ezechielis Propheta*, ſic in hujuſmodi occurrentia *Initium* illud erit ponendum die ſecunda Novembris in Feria itidem ſecunda in Officio de Die infra Octavam. Sed & in hac die ſecunda Menſis occurrit Officium duplex Defunctorum pro generali eorum Commemoratione, de qua tamen dicemus ſeparatim ab hac Octava, ut ſupra in ſecundis Veſperis de Feſto nos dicturos promiſimus, ubi & de Miſſis eo die celebrandis pro Defunctis. 1221

Ad Matutinum verò in Officio de Die infra Octavam, ſicuti nullum in Eccleſia Univerſali occurrit Feſtum ſimplex, ſic nulla occurrit nona Lectio legenda: ſed ſi alicùbi datur, legi debet, ut Auguſtæ Vindelicorum die ſecunda No- 1222

vembris in Officio de Die infra Octavam legitur ad Matutinum nona Lectio S. Benigni Martyris, tanquam de Feſto ſimplici ibi occurrente: ut Conſtantiæ in Svevia, & Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi legitur die ſexta ad Matutinum in Officio de Die infra Octavam nona Lectio S. Leonardi Confeſſoris ibi Feſti ſimplicis. Ad Laudes autem de Die infra Octavam nulla incidit commemoratio in Eccleſia Univerſali, ſed in aliquibus Locis, & Diœceſibus poteſt contingere commemoratio de aliqua Die infra Octavam ſpecialem, vel de aliquo Feſto ſimplici particulari: ita Tergeſte in Hiſtria die tertia ad Laudes de Die infra Octavam omnium Sanctorum fit commemoratio de ſecunda Die infra Octavam S. Juſti Martyris Urbiſque Patroni: ita Barcinone in Catalaunia die ſeptima ad Laudes de Die infra Octavam omnium Sanctorum fit commemoratio de ſecunda Die infra Octavam S. Severi Epiſcopi & Martyris: & quoad commemorationem de Feſto ſimplici particulari, jam ſupra diximus de S. Benigno, & de S. Leonardo, ſed & Pragæ in Bohemia die ſeptima infra Octavam ad Laudes fit commemoratio de Feſto ſimplici S. Vvilibrordi Epiſcopi & Confeſſoris. Ad Primam non dicuntur Preces, & in reliquis Horis omnia, ut in Feſto.

Dicti verò Dies infra Octavam omnium Sanctorum locum habent à Diebus infra Octavam Dedicationis alicubi occurrentibus, nam ſi Feſtum omnium Sanctorum locum habet à Feſto Dedicationis ſimul occurrente, ut patet ex ſuperiùs dictis, acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis: & hoc denique declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Sabinen. die 5. Martii 1695.* hiſce præciſis verbis in noſtris terminis, videlicèt: *Octava omnium Sanctorum, tanquàm dignior, præferenda eſt Octava Dedicationis Eccleſiæ*, prout refert Reverendiſſimus P. Merati *tom. 2. par. 1. in Indice, ſub numer. 187.* & ſicuti dicta Octava præfertur quoad integrum ejus Officium non im- 1123

pe-

pedita, ſic impedita præcedit in commemoratione: & ideò Tergeſte die ſexta Novembris, ad Laudes de Feſto ſemiduplici S. Leonardi Confeſſoris fit priùs commemoratio de ſexta Die infra Octavam omnium Sanctorum, deinde de ſecunda Die infra Octavam Dedicationis Cathedralis. Impediri tamen poſſunt dicti Dies infra Octavam à quovis Feſto novem Lectionum, ſive illud ſit duplex occurrens ſive etiam translatum: imò & à Feſto ſemiduplici, ſi tamen alicubi occurrat. Ad Laudes tamen illius Feſti ſive ſemiduplicis, ſive duplicis minoris aut etiam majoris fit commemoratio hujus Octavæ. Quia verò die quarta infra Octavam in Feſto duplici minori S. Caroli Epiſcopi & Confeſſoris, poſt commemorationem Octavæ fit etiam commemoratio SS. Mm. Vitalis & Agricolæ, pro quibus in Breviario mutatur Verſiculus, ne conveniat cum illo de Octava: ubi tamen dicti Sancti Martyres celebrantur ſub ritu duplici cum translatione S. Caroli, ut fit Bononiæ in Statu Eccleſiaſtico, ibi in Laudibus Feſti pro commemoratione Octavæ dicitur Verſiculus *Lætamini*, quia in Officio principali tunc non fit mutatio, ſed in acceſſoria commemoratione. At ſi Feſtum infra hanc Octavam occurrens, ſit duplex ſecundæ claſſis, ut Curiæ in Rhætia Feſtum dicti S. Caroli, non fit in ejus Laudibus commemoratio Octavæ, ſed benè Sanctorum Martyrum Vitalis & Agricolæ, lecta jam ad Matutinum eorum nona Lectione. Ubi verò S. Carolus eſt Titularis Eccleſiæ, & conſequenter Feſtum duplex primæ claſſis, ibi nihil in Laudibus de Octava, nihil de Feſto ſimplici: & ſic ubicunque fiat infra Octavam de duplici primæ claſſis, omittitur ſemper ad Laudes commemoratio Octavæ.

§. VI.

§. VI.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Diebus infra Octavam omnium Sanctorum.

Miſſa de Die infra Octavam omnium Sanctorum, ſi Officium fuit de ea, dicitur omninò, ut in Feſto, cum *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione *de Spiritu Sancto*, ac tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*: & quoad Orationem Papæ, vide quæ diximus *tom.* 1. *in Fer.* 4. *infra Oct. Paſch.* At ſi alicubi incidat Feſtum ſimplex, ut de ejus occurrentia vidimus ſupra in pluribus Diœceſibus, tunc & eo caſu in Miſſa de Octava dicitur ſecunda Oratio de Simplici, & tertia *de Spiritu Sancto*, ex Rubrica Miſſalis *de Oration. tit.* 9. *ſub numer.* 7. At ſi in aliqua Civitate, vel Eccleſia occurrat commemoratio unius vel plurium Octavarum, fit in Miſſa de Octava commemoratio illius vel illarum: ita Tergeſte in Hiſtria die tertia Novembris ſecunda Oratio eſt de ſecunda Die infra Octavam S. Juſti Martyris Urbiſque Patroni, die verò ſexta dicitur ſecunda Oratio de ſecunda Die infra Octavam Dedicationis Cathedralis, & tertia de quinta Die infra Octavam dicti S. Juſti, juxta ordinem majoris dignitatis, non verò prioritatis temporis. In hac Miſſa infra Octavam omnium Sanctorum dicitur etiam *Credo*, & Præfatio Communis, niſi forſan alia Octava, de qua fit commemoratio, propriam haberet Præfationem, quod forſan nullibi poteſt contingere. 1224

Si

Si in aliqua Eccleſia fiat infra hanc Octavam Expoſitio SS. Sacramenti pro Oratione quadraginta Horarum, canitur quidem Miſſa Votiva de eodem SS. Sacramento, abſque ulla commemoratione Octavæ, cum *Gloria*, & *Credo*, ac cum Præfatione propria: Miſſæ autem privatæ dici poſſunt de ipſomet SS. Sacramento, ſed more Votivarum ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, cum ſecunda Oratione de Octava, & tertia de Spiritu Sancto, & cum Præfatione itidem propria: vel dici poſſunt de Octava, cum *Gloria*, & *Credo*, in quibus ſecunda Oratio erit *de Spiritu Sancto*, tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, & quarta *de SS. Sacramento*, cum Præfatione communi: non enim omittenda eſt aliqua ex aſſignatis Orationibus in Miſſali, ut colligitur ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, emanato *anno* 1684. *die* 2. *Decembris*, *in una Canonicorum Regularium Lateranenſium*, *ad nonum Dubium*, cujus authenticum extat apud me, & illud etiam refert Reverendiſſimus P. Merati *in Addition. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 476. Poterunt dici & aliæ Votivæ privatæ, ſed durante Expoſitione non ſunt dicendæ pro Defunctis, ut ſemel atque iterum declaratum fuit: nempè *dicto anno* 1684. *die* 2. *Decembris*, *ad quintum Dubium*, ubi neque eo tempore cantari poteſt Miſſa Defunctorum pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive Anniverſario ſatisfaciendo: & refert P. Merati *dicto tom.* 2. *part.* 1. *in Indice ſub num.* 472. & noviſſimè in Inſtructione ad hoc emanata à Clemente XI. *anno* 1705. *die* 20. *Januarii*, §. 10. ut habetur in particulari Bullario ejuſdem Pontificis, *par.* 2. *Conſtitut.* 9. *pagin. mihi* 312. & modò reperitur etiam in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis, *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtit. itidem* 9. 1225

Quæ hactenùs dicta ſunt, intelliguntur, ſi eo die Officium ſit de Octava omnium Sanctorum. At ſi Officium ſit de Feſto ſemiduplici, Miſſa dicitur de Feſto tanquam de Die, ut loquuntur 1226

Ru-

Rubriciſtæ, cum *Gloria*, & *Credo*, & in ea erit ſecunda Oratio de Octava, ac tertia de Spiritu Sancto. Cùm autem in Feſto ſemiduplici dici poſſint quæcunque Votivæ privatæ, ſi dicatur de Octava, ſecunda Oratio erit de Feſto ſemiduplici, & tertia *de Spiritu Sancto*, ſed ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, quidquid dicant Aliqui, cenſentes eam Miſſam in hujuſmodi caſu eſſe ſemifeſtivam, ut admittant ſaltem *Gloria*: nam quotieſcunque Miſſa non concordat cum Officio, fit ſtatim Votiva, & conſequenter more Votivarum celebranda, ut noviſſimus omnium disertè tuetur P. Merati *in dd. Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 4. *rubric.* 3. §. 4. *verſ. Si petatur, pagin.* 123. ubi & Decretum ad hanc rem emanatum.

Quòd ſi in Die infra hanc Octavam omnium 1227
Sanctorum fiat alicubi de Feſto duplici ſecundæ claſſis, in Miſſa de eo non fit commemoratio Octavæ: & ſi ſimul incidat Feſtum ſimplex, in Miſſis privatis fit quidem ejus commemoratio, ſed non in ſolemni: ita Curiæ in Rhætia die quarta Novembris celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis Feſtum S. Caroli Epiſcopi Confeſſoris, ibique in Miſſis privatis tantùm fit commemoratio SS. Mm. Vitalis & Agricolæ, ſed non Octavæ. At ſi occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, ut in Eccleſia propria ejuſdem S. Caroli, neque in Miſſa ſolemni, neque in privatis fit ibi commemoratio Octavæ, neque Feſti ſimplicis. Occurrente verò Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, ſi in aliqua Eccleſia facienda fit expoſitio SS. Sacramenti pro Oratione quadraginta Horarum, cantetur Miſſa de Feſto, cum Collecta de eodem SS. Sacramento ſub unica concluſione, nam inter Dies in quibus non eſt cantanda ejus Votiva, utrùmque illud duplex incluſit Clemens XI. *in Inſtructione ad hanc rem emanata*, quam tamen alibi retulimus.

Si tandem infra hanc Octavam fiat alicubi de 1228
Feſto plurimorum Martyrum, cum Miſſa *Sapientiam*

piam de eorum Communi, & cum Orationibus ibidem poſitis, occurret commutanda *Secreta* Feſti, non verò Octavæ, quia iſta conſideratur tanquàm propria, eo quòd in ea dicitur *cunctorum tibi grata ſint honore Juſtorum*, & ideò convenit Octavæ, quæ eſt de omnibus Sanctis, & conſequenter retinenda. Itaque in hujuſmodi occurrentia, vel ratione alicujus Feſti duplicis tranſlati, *Secreta* Feſti ſumenda erit ex Miſſa ejuſdem Communis, incipiente *Salus autem Juſtorum à Domino*, ſicque erit ſequens, videlicèt, *Oblatis, quæſumus, Domine, placare muneribus*: non enim ſemper valet illud Rubriciſtarum Axioma de Orationum commutatione, de quo Gavantus *tom.* 1. *tit.* 7. *ſub numer.* 8. *litt. q.* ſcilicet: *prima manet, altera mutatur*, nam quando ſecunda valde convenit, tum ſecunda manet, & prima mutatur, ut de adveniente hujuſmodi convenientia ad favorem ſecundæ Orationis retinendæ, & primæ mutandæ, ſic ſentit Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 7. *dub.* 5. *circa fin.* & ita poſtea dixit Tobias Lohner. *de SS. Miſſæ Sacrific. par.* 2. *tit.* 11. *de Orat. ſub numer.* 9. ubi quòd per ejuſmodi commutationem nihil fit formaliter contra prærogativam primæ Orationis, accedente præſertim aliqua convenientiæ ratione.

Veſperæ autem de Die infra Octavam omnium 1229
Sanctorum non uno ſemper ordine, ſed multifariam diſponuntur, prout res exigit & caſuum contingentia: ſiquidem modò ſunt integræ, modò habent Capitulum, modò ſolam retinent commemorationem, & modò ipſam etiam commemorationem amittunt. Itaque ſunt integræ, ſi hodie & cras Officium ſit de Octava, nam Veſperæ hodiernæ ſunt ex integro de Octava, & dicuntur omninò, ut in ſecundis Veſperis Feſti, quia Dies infra Octavam nunquam habet primas Veſperas, juxta Rubricam generalem Breviarii *de Octavis, tit.* 7. *ſub numer.* 5. In Eccleſia verò Univerſali tres ſunt caſus hujuſmodi Veſperarum, die ſcilicèt ſecunda, quinta & ſexta infra

ſra Octavam, non occurrente Dominica in die ſequenti. In Veſperis ſic ex integro dicendis de Octava nulla fit commemoratio, niſi alicubi occurrat alia Dies infra Octavam ſpecialem: ſic Barcinone in Catalaunia die ſecunda Novembris in Veſperis de Octava omnium Sanctorum fit commemoratio de Octava S. Narciſi Epiſcopi Martyris, cujus Feſtum ibi celebratur die vigeſima nona Octobris ſub ritu duplici primæ claſſis: vel in aliqua Civitate vel Diœceſi ſequatur forſan particulare Feſtum ſimplex: ſic Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi die quinta Novembris in Veſperis de Octava fit commemoratio de ſequenti Feſto ſimplici Sancti Leonardi Confeſſoris:

Unico autem caſu Veſperæ de Octava poſſunt habere Capitulum, quando ſcilicèt hodie Officium eſt de Feſto ſemiduplici, & cras de Die infra Octavam: ita apud nos Venetiis, Auguſtæ Vindelicorum, Concordię in Foro Julii, Piſis in Tuſcia, & Bergomi in Longobardia Veneta, die ſexta Novembris fit de Feſto ſemiduplici S. Leonardi Confeſſoris; & Veſperę die ipſa in omnibus prędictis Civitatibus & Diœceſibus ſunt à Capitulo de Octava omnium Sanctorum, cum commemoratione de pręcedenti Feſto ſemiduplici. Sed & Octava poteſt habere in Veſperis ſuum Officium uſque ad Capitulum, ſequente Dominica, vel alicubi Feſto ſemiduplici: ita ut Veſperę ſunt de Octava, ſed à Capitulo de Dominica vel Feſto ſemiduplici, cum commemoratione Octavę. Habet tamen Octava ſolam commemorationem in Veſperis, quando ſequitur Feſtum duplex minus vel etiam majus, ut die tertia in Eccleſia Univerſali; nam Veſperę ſunt de ſequenti Feſto duplici minori S. Caroli Epiſcopi Confeſſoris, cum commemoratione Octavę, & quia ſubſequitur etiam Feſtum ſimplex, fit itidem commemoratio de eo: ita Maceratę in Marchia Anconitana, ubi die quinta fit de Octava, & die ſequenti de S. Leonardo 1230

Con-

Confeſſore ſub ritu duplici majori, tanquam de Patrono minùs principali.

Quòd ſi die ſequenti agendum ſit de Feſto du- 1231
plici ſecundę claſſis, in primis ejus Veſperis nul-
la fit commemoratio Octavę: in ſecundis verò
Veſperis de dicto Feſto, ſi ſubſequatur Officium
de Die infra Octavam, fit commemoratio ejuſ-
dem Octavę, ex duplici Rubrica Breviarii, nem-
pè generali *de Commemor. tit.* 9. *ſub num.* 6. & in
tertio Notando *poſt Tabell. de Concurren.* ita Curię
in Rhętia, die tertia Novembris Veſperę ſunt
de S. Carolo ſub ritu duplici ſecundę claſſis,
ideoque ibi nihil de Octava, neque de Feſto
ſimplici: die verò quarta in ſecundis Veſperis
de eodem Feſto fit commemoratio Octavę, quia
non occurrente Dominica, die ſequenti Officium
eſt ibidem de Octava. Si verò alicubi occurrat
Feſtum duplex primę claſſis, neque in primis,
neque in ſecundis ejus Veſperis Octava habet
commemorationem, licèt die ſequenti Officium
eſſet ibi de Octava: ita die quarta Novembris
in Eccleſia S. Carolo dicata: ita Barcinone in
Catalaunia, ubi die ſexta fit de S. Severo Epiſ-
copo & Martyre ſub ritu duplici primę claſſis,
& ibi die ſequenti fit de ſeptima Die infra O-
ctavam omnium Sanctorum, niſi occurrat Domi-
nica. Ita Peruſię in Provincia ejus nominis,
die ſexta fit de Octava generali: ſed Veſperę
ſunt de ſequenti Feſto S. Herculani Epiſcopi &
Martyris, quod ibi celebratur ſub ritu duplici
primę claſſis, ſine commemoratione Octavę.

§. VII.

§. VII.

De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam omnium Sanctorum.

Dominica infra Octavam omnium Sanctorum tripliciter conſiderari poteſt, & ut Dominica poſt Pentecoſten, & ut Dominica Menſis Novembris, & ſępè etiam ut Dominica quę ſupereſt poſt Epiphaniam. Licèt autem ſemper appelletur Dominica poſt Pentecoſten, attamen non ſemper habet Officium illius Temporis. Habebit autem, ſi fuerit Dominica vigeſima prima, vel vigeſima ſecunda, aut etiam vigeſima tertia à Pentecoſte. Non habebit verò, ſi fuerit Dominica vigeſima quarta vel vigeſima quinta, quia tunc erit Dominica quarta vel quinta poſt Epiphaniam. Quoad tamen Dominicam Menſis, illa poteſt eſſe vel prima vel ſecunda vel etiam tertia, juxta illius occurrentiam infra hanc Octavam. Erit ſemper prima Menſis, ſi occurrerit die ſecunda vel tertia aut quarta Novembris. Erit ſecunda, ſi venerit die unica quinta ejuſdem Menſis, & tunc etiam tertia habet ſuum locum ſucceſſivum. Hęc tamen tertia, ſi inciderit in diem ſextam vel ſeptimam infra Octavam, veniet per ſaltum, quia juxta numerum Dominicarum Menſualium eſſet ſecunda, ſed in hujuſmodi occurrentia, à prima Dominica Menſis fit ſaltus ad tertiam; cùm ſecunda non habeat *Initium*, ſed proſequatur *Liber Ezechielis Prophetæ*, & ideò eo anno ſecunda 1232

de-

deperditur cum tota ſua Hebdomada, ad hoc ut in duabus ſequentibus Dominicis & Hebdomadis legantur Prophetiæ Minores ante Adventum Domini: & tunc November non habet, niſi quatuor Dominicas Menſuales, quia ſtatim ſuccedit Adventus.

His poſitis, primæ Veſperæ de hac Dominica infra Octavam nunquam ſunt integræ, ſed ad ſummum habent Capitulum: ut ſi hodie in Sabbato factum ſit de Die infra Octavam, Veſperæ hodiernæ uſque ad Capitulum ſunt de ipſa Octava, deinde Capitulum eſt de Dominica, cum commemoratione Octavæ, & etiam Feſti ſimplicis alicubi incidentis, ut ejus occurrentiam ſupra vidimus in pluribus Diœceſibus. Idem dicendum, ſi Sabbatum ſit impeditum à Feſto ſemiduplici particulari, ut alibi exempla dedimus de S. Leonardo Confeſſore, nam ibi Veſperæ ſunt de dicto Feſto ſemiduplici, Capitulum verò de Dominica, cum commemoratione ſemiduplicis præcedentis, deinde Octavæ omnium Sanctorum, & alicubi forſan etiam alterius Octavæ. Quodcunque verò Feſtum celebretur in Sabbato, vel in ipſa Dominica, ſemper in Veſperis ſive ſecundis in Feſto Sabbati, vel in primis in Feſto Dominicæ, ſemper in eis fit commemoratio ejuſdem Dominicæ ſequentis per Antiphonam Sabbati ante Dominicam Menſis, & cum Oratione Dominicæ occurrentis vel poſt Pentecoſten, vel poſt Epiphaniam, Quòd ſi Sabbato occurrat duplex ſecundæ claſſis, & in Dominica ſimul veniat Feſtum ſimplex, in ſecundis Veſperis de illo duplici fit commemoratio Dominicæ ſequentis, & etiam Simplicis, ſed non Octavæ: ſi verò duplex ſecundæ claſſis occurrat in Dominica in quam incidit etiam Feſtum ſimplex, in primis Veſperis de ſequenti non fit commem. ſimplicis, neque Octavæ: ita Curiæ in Rhætia die quarta Novembris fit de S. Carolo ſub duplici ſecundæ claſſis, ibique ſive occurrat in Sabbato, ſive in Dominica, ordinantur 1233

Veſperæ, ut ſupra. At ſi in Sabbato vel in Dominica fiat de Feſto duplici primæ claſſis, in ſecundis vel reſpectivè primis Veſperis de tali Feſto fit commemoratio Dominicæ, non verò Feſti ſimplicis ſequentis, neque Octavæ.

In ipſa verò Dominica, ſi Officium ſit de ea, 1234 omnia dicuntur ut in Pſalterio, ſub ritu ſemiduplici, in colore albo ratione Octavæ. Sex verò primæ Lectiones duorum Nocturnorum ſumuntur ex Dominica Menſis prima, vel ſecunda, aut tertia, prout eo anno occurrerit: In tertio verò Nocturno legitur Homilia in Evangelium Dominicæ occurrentis, vel vigeſimæ primæ, vel vigeſimæ ſecundæ, aut vigeſimæ tertiæ poſt Pentecoſten: ſive quartæ aut quintæ, quæ interdum ſupereſt poſt Epiphaniam. Si occurrat alicubi Feſtum ſimplex cum nona Lectione propria, ut Conſtantiæ in Bavaria, & Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi habetur nona Lectio de Feſto ſimplici S. Leonardi Confeſſoris, ea legitur in Matutino ſi eo die veniat Dominica: & ſic etiam Auguſtæ Vindelicorum, ſi Dominica incidat in diem ſecundam Novembris, nam ibi eo die occurrit nona Lectio propria de S. Benigno Martyre. Ad Laudes verò fit commemoratio de Octava generali omnium Sanctorum, deinde alicubi additur commemoratio de Octava particulari, ut ſi Dominica venerit die ſecunda vel tertia Novembris, Barcinone in Catalaunia fit commemoratio de quarta vel reſpectivè quinta Die infra Octavam S. Narciſi Epiſcopi Martyris: & ſi inciderit in Diem itidem tertiam, Tergeſte in Dalmatia fit commemoratio de ſecunda Die infra Octavam S. Juſti Martyris. Alibi autem poteſt occurrere commemoratio ſpecialis de Feſto ſimplici, ut ſupra vidimus, & ita etiam occurrente Dominica in die ſeptima, Pragæ in Bohemia fit commemoratio de Feſto ſimplici S. Vvilibrordi Epiſcopi Confeſſoris. Ad Primam tamen dicitur Pſalmus *Confitemini*, & Symbolum *Quicunque*, ſine Precibus Dominicalibus. Ad alias

lias denique Horas, omnia dicuntur ut in Pſalterio; cum Oratione Dominicæ occurrentis.

Prædicta tamen valent, ſi Officium ſit de Dominica, ſed ſi in eam incidat Feſtum duplex, licèt primæ claſſis; color in Choro erit de Feſto; & totum Officium de eo, cum nona Lectione ad Matutinum de Dominica occurrente; & in Laudibus fiet ejus commemoratio. Si verò occurrat Dominica in die quarta, in Eccleſia univerſali ad Laudes de Feſto S. Caroli, poſt commemorationem Dominicæ, & Octavæ, fit etiam commemoratio de SS. Mm. Vitale & Agricola: etiam ubi Feſtum S. Caroli eſt Duplex ſecundæ claſſis, ut Curiæ in Rhetia; omiſſa tamen ibi commemoratione Octavæ: Bononiæ verò, ubi dicti SS. Martyres habent Officium duplex; cum tranſlatione S. Caroli, poſt commemorationem Dominicę fit tantùm commemoratio Octavæ: ubi verò S. Carolus eſt Titularis Eccleſiæ, fit quidem in Laudibus commemoratio Dominicæ, ſed non Octavæ, neque SS. Martyrum. Si verò Dominica incidat alicubi in Diem Octavam ſpecialem, & eo die ſimul ibi occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis commemoratio Diei Octavæ ſpecialis fit ante illam de Dominica, quia prima commemoratio eſt de duplici, ſecunda verò de ſemiduplici, nec tamen fit ibi commemoratio de Octava omnium Sanctorum. Pro commemoratione Dominicæ ſumetur Antiphona quę habetur ſemper propria ad *Benedictus* in Dominica; quæ eo anno inciderit; ſive poſt Pentecoſten, ſive poſt Epiphaniam. 1235

Quia verò hęc Dominica infra Octavam poteſt eſſe prima Menſis Novembris, in qua *Incipit Liber Ezechielis Prophetæ*: & interdum poteſt eſſe tertia, in qua *Incipit Liber Danielis Prophetæ*: quęcunque illa ſit ex duabus prędictis, ſi impedita ſit à Feſto duplici proprias in primo Nocturno Lectiones habente; vel deſiderante de Communi: tunc *Initium* illud ſic propria die impeditum, ponitur 1236

In Feria ſecunda immediate ſequenti, & ea forſan ſimiliter impedita, ponitur in Feria tertia: Itaque ſi Dominica veniat die ſecunda Novembris, Tergeſte in Dalmatia occurrit Feſtum duplex primæ claſſis de S. Juſto Martyre Urbiſque Patrono, ideoque ibi *Initium* Dominicę tunc primæ Menſis, transfertur in Feriam ſecundam ſeu Diem tertiam. Si autem incidat Dominica in diem quartam erit adhuc Dominica prima Menſis, & Curiæ in Rhætia ponitur *Initium* die quinta, quia ibi Feſtum S. Caroli, eſt duplex ſecundæ claſſis. Quod ſi Dominica occurrat Die ſeptima, erit itidem tertia Menſis, & Patavii, & Feltriæ in Dominio Veneto incidit Feſtum S. Proſdocimi Epiſcopi Confeſſoris, illic duplex primæ claſſis, iſtic ſecundæ, & utrobique *initium Libri Danielis* ponitur in primo Nocturno de Die Octava omnium Sanctorum: Veniente tamen Dominica in die ſexta, Barcinone in Catalaunia fit de S. Severo Epiſcopo ſub ritu duplici primæ claſſis, *Initium* verò, quòd erit de Dominica tertia Menſis, ibi ponitur in die ſeptima.

§. VIII.

§. VIII.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam omnium Sanctorum.

Miſſa de Dominica infra Octavam omnium Sanctorum eſt ſemper propria, ſed non ſemper eadem, ſiquidem contingere poteſt, ut ea ſumatur ex varia poſt Pentecoſten, & ex varia poſt Epiphaniam: & ex hac Dominicarum varietate nullam poſſumus firmam aſſignare. Licèt etenim plures Dominicæ infra hanc Octavam occurrentes nuncupentur poſt Pentecoſten, non tamen omnes Miſſam habent propriam illius Temporis, ſed quandoque ſubintrant illæ, quæ dici non potuerunt poſt Epiphaniam; juxta vicinorem vel remotiorem Septuageſimam. Itaque ſi Dominica poſt Pentecoſten; quæ incidere poteſt infra hanc Octavam omnium Sanctorum, fuerit vigeſima prima, vel vigeſima ſecunda, aut etiam vigeſima tertia, Miſſa erit propria unius ex tribus illis Dominicis: Si verò fuerit vigeſima quarta, vel vigeſima quinta, Miſſa erit de Dominica quarta vel quinta poſt Epiphaniam; non autem cum Introitu *Adorate Deum*, ut ſuo proprio tempore dicitur, ſed cum illo, *Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, ut per extenſum legitur ſtatim poſt Dominicam vigeſimam tertiam à Pentecoſte. 1237

Sive autem Miſſa ſit verè de Dominica poſt 1238

Pentecoſten, ſive poſt Epiphaniam, adhibetur in ea color albus ratione Octavæ, ut habetur in Rubrica Miſſalis *de Color. Paramentor. tit.* 18. *ſub numer.* 2. Dicitur verò in illa *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de Octava, vigore alterius Rubricæ *de Oration. titul.* 9. *ſub numer.* 10. ſed hæc Rubrica nullam aliam ſupponit commemorationem: nec dicendo duas, alias excludit neceſſariò dicendas: ideòque ubi occurrit commemoratio alteriùs Octavæ ſemper minùs dignæ, vel alicujus Feſti ſimplicis, ut ſupra vidimus in Laudibus, ea erit ibi proculdubio facienda. Imò alicubi dari poteſt tertia Oratio de SS. Sacramento in aliqua Eccleſia expoſito pro Oratione quadraginta Horarum, vel Sede vacante dicenda erit tertia Oratio pro electione Summi novi Pontificis, cùm ſit pro re gravi: aut etiam tertia Oratio forſan eo die occurrens de Electione & Conſecratione Epiſcopi Diœceſani: & denique pro aliqua indigentia Loci, veluti pro Gratiarum actione etiam in Miſſis privatis facienda, vel ad petendam pluviam, aut ad poſtulandam ſerenitatem.

In hac tamen Miſſa de Dominica infra Octavam omnium Sanctorum poſſunt alicubi occurrere aliquæ Orationum commutationes, quæ abſque dubio fieri debent ex Rubrica Miſſalis *de Commemor. titul.* 7. *ſub numer.* 8. Cùm igitur detur in aliqua Civitate & Diœceſi Oratio imperata ab Epiſcopo, quotidie dicenda, quando tamen dici poteſt (ut poteſt dici in hac Dominica, niſi occurrat duplex primæ vel ſecundæ claſſis) ſi illa fuerit *Deus refugium noſtrum, & virtus*, quæ habetur in fine Miſſalis *inter Orat. diverſ. ſub numer.* 12. (ut imperata fuit quotidie in toto Epiſcopatu Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. Sebaſtianii Venerii, digniſſimi Epiſcopi Vicentini, cui Deus requiem donet ſempiternam, hoc anno, in quo ſcribo, defuncti) & Dominica infra hanc Octavam fuerit vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten, Oratio Epiſcopi, ejuſque Secreta, 1231

ac etiam Poſtcommunio erunt commutandæ, & earum loco dicendæ illæ, quæ proximè ſequuntur in eodem loco Miſſalis *ſub numer.* 13. ne bis dicantur eædem, & pro Dominica, & pro præcepto Epiſcopi, ad quod in hujuſmodi occurrentia debet diligenter attendere Kalendariſta Loci, ne Sacerdotes in illa Civitate vel Diœceſi celebraturi, confundantur ad Altare non bene præviſa Orationum ipſeitate.

De prædicta Dominicæ vigeſimæ ſecundæ poſt Pentecoſten occurrentia, & de dicta ſimul incidente Oratione *Deus Refugium noſtrum, & Virtus*, alicubi imperata ab Epiſcopo, deque prædicta commutatione facienda, ſic clarè ſentit Gavantus, ſed extra caſum noſtrum de hac Dominica ut infra Octavam, *tom.* 1. *part.* 1. *titul.* 7. *ſub. numer.* 8. *lit. q.* Quod tamen prædicatur de uno caſu, prædicatur de cæteris paribus: & cùm eadem ſit Dominica, eodem jure regulanda eſt: Gavantus autem loquitur quidem de eadem Dominica vigeſima ſecunda, ſed occurrente in Feſto S. Martini Epiſcopi, Confeſſoris, ubi ſola commutanda eſt *Secreta* Dominicæ. Alia verò commutatio contingere poteſt forſan alicubi, occurrente infra hanc Octavam Dominica vigeſima tertia poſt Pentecoſten, ut ſi tempus poſtulet, ibi dicenda ſit quotidie Oratio *Eccleſia*, quæ itidem reperitur *inter eaſd. Orat. diverſ. in fine Miſſal. ſub num.* 10. cùm enim ejus Poſtcommunio omninò conveniat cum illa Dominicæ, erit neceſſariò commutanda, & pro ea dicetur (ut reor, & eſt juxta Gavantum) illa, quæ ſtatim ſequitur *ibidem*, *ſub num.* 11. nempè, *Protector noſter*. 1240

Quòd ſi Dominica impedita ſit ab occurrente Feſto duplici minori, vel etiam majori, in Miſſa de eo fit commemoratio Dominicæ, & Octavæ, ac etiam Feſti ſimplicis, ſi ſimul incidat, ut veniente Dominica in die quarta infra Octavam, in Eccleſia Univerſali fit in Miſſa de S. Carolo commemoratio Dominicæ, & Octavæ, 1241

ac SS. Mm. Vitalis & Agricolæ, cum Evangelio Dominicæ in fine. Si verò illud duplex fuerit ſecundæ claſſis, in ejus Miſſa dicitur quidem ſecunda Oratio Dominicæ, & in privatis tantùm etiam Feſti ſimplicis ſimul occurrentis, ſed non Octavæ, ut Curiæ in Rhætia, ubi Feſtum S. Caroli eſt duplex ſecundæ claſſis. At ſi Feſtum in Dominica occurrens, ſit duplex primæ claſſis, in Miſſa de eo tam ſolemni quàm privata ſit commemoratio Dominicæ, ſed non Octavæ, neque Feſti ſimplicis, ſed ſemper Evangelium Dominicę erit in fine legendum, ut in Eccleſia S. Carolo dicata. Quòd ſi in hac Dominica alicubi occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, & ſimul forſan aliqua Dies Octava, in Miſsa de Feſto ſit priùs commemoratio de Die Octava tanquàm de duplici, deinde de Dominica tanquàm de ſemiduplici.

Cæterùm ante Miſsam ſolemnem, ſive illa ſit de Dominica, ſive de Feſto etiam duplici primæ claſſis in hanc Dominicam incidente, ſit aſperſio Aquæ benedictæ in Cathedralibus & Collegiatis, aliiſque Eccleſiis laudabilem hujuſmodi conſuetudinem habentibus. In Eccleſia verò, in qua Epiſcopus Pontificaliter celebrat, omittitur dicta aſperſio: & ideò ſi hæc Dominica occurrit die ſecunda, vel quinta Novembris, Tergeſte in Dalmatia non ſit aſperſio in illa Cathedrali, quia Epiſcopus ſecunda die celebrat ibi Pontificaliter ob Feſtum S. Juſti Martyris ejuſque Urbis principalis Patroni: die autem quinta occurrit ibidem Dedicatio illius Cathedralis, & conſequenter etiam eo die exercet Epiſcopus Pontificalia pro Miſſa, prout jam extat regula in Cæremoniali Epiſcoporum *libr.* 2. *capit.* 34. §. 2. *pagin. mihi* 416. de aſperſione verò omittenda in Cathedrali, ſi Epiſcopus ſolemniter ſit cantaturus, habetur *ibidem, capitul.* 31. §. 4. *pagin.* 398. Circa verò Stolam in dicta Aquę aſperſione adhibendam, ortum eſt ſequens Dubium, ad inſtantiam P. Procuratoris Generalis Ordinis 1242

Capuc-

Capuccinorum inter alia ſic propoſitum & reſolutum : *Quaritur octavò : An in aſperſione Aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit à Sacerdote Alba & Stola induto, ſive etiam cum Pluviali, immediatè celebraturo Miſſam Conventualem, Stola ſit aptanda antè pectus in modum Crucis, vel ad utrumque latus, pendens à collo ?* Et Sacra Congregatio ad octavum Dubium reſpondit, *Stolam eſſe ante pectus ad modum Crucis aptandam : & ita declaravit die 30. Septembris 1679.* = *Caſar Card. Fachenetus* : = *Loco* ✠ *Sigilli* : = *Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Secret.* Hoc Decretum teneo Domi authenticum, & illud in compendium redactum refert Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub numer.* 454.

Secundæ autem Veſperæ de hac Dominica infra Octavam poſſunt tribus diebus eſſe integræ in Eccleſia Univerſali, ſcilicèt ſi Dominica occurrat die ſecunda, vel quinta, aut etiam ſexta Novembris, quia in omnibus & tribus hiſce caſibus in Feria ſecunda Officium eſt de Octava : & tunc omnia dicuntur de Dominica ut in Pſalterio uſque ad Antiphonam Cantici, quæ dicitur de Dominica occurrente vel poſt Pentecoſten, vel poſt Epiphaniam, & ex eadem Dominica ſumitur etiam Oratio : deinde fit commemoratio Octavæ, ac Feſti ſimplicis, ſi alicubi ſubſequatur, ut ſi Dominica veniat die quinta, Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio Octavæ, & S. Leonardi Confeſſoris ut ſimplicis ibi ſequentis, & ſic Paſſavii in Auſtria. Ubi verò die ſequenti in Feria ſecunda fit de Feſto ſemiduplici, adhuc ibi ſecundæ Veſperæ de Dominica ſunt integræ, cum commemoratione tamen priùs Feſti ſemiduplicis ſequentis, deinde Octavæ : ut occurrente Dominica in die quinta, ita fit apud nos Venetiis, Auguſtæ Vindelicorum, Parentii in Hiſtria, Aquilejæ & Concordiæ in Foro Julii, Bergomi in Longobardia 1243

Vene-

Veneta, & Patavii in Dominio Veneto, in quibus omnibus Civitatibus & Diœceſibus die ſexta Novembris occurrit Feſtum ſemiduplex ejuſdem S. Leonardi Confeſsoris.

Si verò alicubi occurrat ſimul alia Octava, in dictis ſecundis Veſperis de Dominica fit etiam commemoratio de Octava ſpeciali, ſed poſt illam de omnibus Sanctis: ita ſi Dominica venerit in die ſecunda, Barcinone in Catalaunia in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio priùs de Octava Univerſali, deinde de Octava particulari S. Narciſi Epiſcopi Martyris, cujus Feſtum occurrit die vigeſima nona Octobris. At ſi in Feria ſecunda fiat de Feſto duplici minori vel etiam majori, in primis ejus Veſperis fit commemoratio Dominicæ præcedentis, & Octavæ: ita Auguſtæ Taurinorum, Jaderæ in Dalmatia, & Fani in Ducatu Urbinatenſi, ubi S. Leonardus celebratur ſub ritu duplici minori: ita Macerate in Marchia Anconitana, ubi Feſtum S. Leonardi Patroni minùs principalis eſt duplex majus. Quòd ſi in dicta Feria ſecunda occurrat duplex ſecundæ claſſis, in ejus primis Veſperis nihil de Dominica præcedenti, nihil de Octava, & nihil de Simplici ſi ſubſequatur: ita Curiç in Rhçtia, ubi S. Carolus celebratur ſub dicto ritu duplici ſecundæ claſſis: ita Feltriæ in Marchia Tarviſina, ubi die ſeptima tunc Feria ſecunda fit de S. Proſdocimo illius Cathedralis erectore, ejuſque Feſtum eſt ibi duplex itidem ſecundæ claſſis. Idem, & majori ratione dicendum, ſi in ſæpè dictam Feriam ſecundam incidat Feſtum duplex primæ claſſis, ut in Eccleſia propria S. Caroli, ubi in primis ejus Veſperis, omnes omittuntur commemorationes. Ita Tergeſte in Hiſtria, ubi die quinta tunc Feria ſecunda occurrit Dedicatio illius Cathedralis: ita Patavii in Dominio Veneto, ubi die ſeptima in Feria ſecunda fit de S. Proſdocimo uno ex quatuor Patronis illius Civitatis, & quidem ſub ritu duplici primæ claſſis: ita etiam Peruſiæ in Provin- 1244

cia

cia hujus nominis, ubi eadem die ſeptima, & ſub eodem ritu ſit de S. Herculano ejuſdem Urbis Epiſcopo primo.

Prædicta tamen omnia ſupponunt Dominicam 1245 non impeditam à Feſto duplici occurrente: ideoque ſi impedita fuerit à Feſto duplici minori vel majori; & in Feria ſecunda Officium ſit de Octava, in ſecundis Veſperis de Feſto ſit commemoratio Dominicæ, & Octavæ. Si verò dictum duplex minus vel majus concurrat cum ſequenti Feſto ſemiduplici, Dominica eſt prima in commemoratione, deinde ſit de ſemiduplici ſequenti, & poſtmodum de Octava. Si verò impedita Dominica à Feſto duplici primæ claſſis, & forſan alicubi etiam ſimul ab aliqua Die Octava, commemoratio Dominicæ poſtponitur Diei Octavæ, & non ſit in hiſce ſecundis Veſperis commemoratio de Octava SS. omnium, quæ tamen non omittitur, ſi in Feria ſecunda Officium ſit de ea, & in Dominica actum ſit de duplici ſecundæ claſſis. Unum tamen hoc opportuno loco oriri poteſt Dubium, quid agendum in hiſce ſecundis Veſperis de commemoratione Dominicæ impeditæ à Feſto duplici primæ claſſis, ſi in feria ſecunda ſubſequatur in eadem Eccleſia duplex ſecundæ claſſis? Ratio dubitandi eſt, quia duplex primæ claſſis admittit in ſecundis commemorationem Dominicæ occurrentis, quam tamen excludit duplex ſecundæ claſſis in ſuis primis Veſperis, ex claris Rubricis? Ego (ut puto) darem Dominicæ commemorationem, quia duplex ſequens ſecundæ claſſis non habet jus in re, niſi per ſolam commemorationem, & commemoratio Dominicæ ſtat cum ſuo principali integras Veſperas habente, & hujuſmodi admittente commemorationem in ſecundis Veſperis. Et hoc apud me videtur verum, etiamſi duplex primæ claſſis concurreret cum alio duplici ejuſdem ritus, dummodo ſit dignius, & integras habeat ſecundas Veſperas, quia tunc poſt commemorationem ſequentis facerem & illam Dominicæ.

Quam.

Quamvis autem infra Octavam non fiat de Feſto ſemiduplici , niſi occurrat , fit tamen de eo, 1246 quod incidit alicubi in hanc Dominicam infra Octavam , & quidem transfertur in ſolam Feriam ſecundam non impeditam , ita ut agendum eſſet in ea Officium de Octava : non ſolùm verò protractis aliis ſemiduplicibus priùs translatis , ſi forſan habeantur , ſed etiam duplicibus quibuſcunque , ſi aliquod forſan haberetur reponendum , de quo vide ſupra in Dominica infra Octavam Aſcenſionis , ubi & Decretum ad hanc rem emanatum : & ideò occurrente hac Dominica in die ſexta infra Octavam , apud nos Venetiis , Auguſtæ Vindelicorum Bergomi in Longobardia Veneta , Piſis in Etruria , & Concordiæ in Foro Julii , transfertur ad diem ſeptimam nunquam ibi impeditam Feſtum ſemiduplex S. Leonardi Confeſſoris . Imò tantùm habet juris Feſtum ſemiduplex in illa Feria ſecunda non impedita , ut ſi in Dominica infra Octavam occurrerent duo duplicia , & unum ſemiduplex , duplex translatum cedere deberet ſemiduplici in dicta Feria ſecunda , quæ pro illo ſolo eſt privilegiata ratione viciniţatis , qua amiſſa transferendum eſſet poſt totam Octavam : duplex autem translatum fieri poteſt infra Octavam quacunque die ſibi non impedita . Et hoc adeò verum eſt , ut occurrentibus duobus duplicibus in dicta Dominica , de translato non fit in Feria ſecunda quamtumvis libera , ſi habeatur aliud duplex ſimile priùs translatum : ex quo patet privilegium ſolius Semiduplicis in Dominica infra Octavam occurrentis , quòd non cedit aliis ſemiduplicibus priùs translatis , neque duplicibus.

§. IX.

§. IX.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam omnium Sanctorum.

ANtequam deveniamus ad Sacros Ritus in hac Die Octava ſervandos, illud oportet adnotare, quod ſpectat ad ejus pronunciationem in Martirologica Lectione faciendam. Heri enim ad Primam annuncianda erat anticipatè de more *Octava omnium Sanctorum*, deinde ea, quæ ibi immediatè ſequuntur. Hæc autem Octava legenda eſt etiam in Locis, in quibus Feſtum omnium Sanctorum non habet Octavam, ut de Eccleſiis Noviomenſi, Bajocenſi, Lexovienſi, & paucis aliis in Gallia, aſſerit Guyetus *in Heortolog. lib. 2. ſect. 4. cap. 14. quæſt. 4. pagin. mihi* 125. ubi optimam tradit rationem, quia ſcilicèt non omittuntur Feſta in eodem Martyrologio contenta, de quibus juxta uſum Eccleſiarum particularium nihil in Officio fieri non rarò contingit: & ſufficit, quòd Octavæ alibi celebrentur. Si verò alicubi ſimul occurrat alia Dies Octava, ut Lycii in Apulia incidit hodie, ſi fuerit Dominica, Dies Octava Dedicationis illius Cathedralis: ibi dicitur in Martyrologio, *Octava omnium Sanctorum, & Octava itidem Dedicationis hujus Cathedralis Lycienſis*, deinde Elogia illius Diei. Quòd ſi alicubi in hac Die Octava occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, illud erit primo loco annunciandum, deinde Dies Octava omnium Sanctorum: licèt hic ordo annunciandi non placeat Guyeto, qui putat nihilominùs etiam in hujuſmodi occurrentia annun- 1247

nunciandam eſſe prius Diem Octavam generalem, deinde Feſtum particulare, ut videre eſt apud ipſum *loco ſupra citato*, *quæſt.* 4. *verſ. Secundò*: nam Regula quarta ipſius Martyrologii docet, quod primo loco annuncietur illud Feſtum, de quo faciendum eſt ſequenti die Officium, etiamſi non ſit in Martyrologio, ſi tamen à Majoribus ritè decretum ſit Officium: ut etiam Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 5. *capitul.* 21. *ſub numer.* 8.

Quia verò hæc Dies Octava omnium Sanctorum 1248
incipit à primis Veſperis, ideò primò de illis eſt diſſerendum. Itaque hæ primæ Veſperæ ſunt ſemper integræ in Eccleſia Univerſali, & dicuntur, ut in primis Veſperis Feſti, cum commemoratione de Feſto ſimplici SS. Mm. quatuor Coronatorum, quod ſimul occurrit in ipſa Die Octava: niſi alicubi transferantur cum Officio novem Lectionum, ut infra videbimus in Laudibus. Si verò præcedat vel ſubſequatur Dominica, fit etiam commemoratio de ea ante illam Feſti ſimplicis: & quidem ſi præcedat, dicitur Antiphona, & Oratio de Dominica occurrente poſt Pentecoſten vel poſt Epiphaniam: ſi autem ſubſequatur, dicitur Antiphona, ut in Sabbato ante Dominicam tertiam Novembris, nempè *Muro tuo inexpugnabili*, ſed Oratio erit de Dominica ut ſupra occurrente poſt Pentecoſten vel poſt Epiphaniam. Alicubi tamen dari poteſt & alia commemoratio de aliqua Die infra Octavam ſpecialem, ut Barcinone in Catalaunia fit commemoratio de Die infra Octavam S. Severi Epiſcopi Martyris, cujus Feſtum ibi celebratur die ſexta hujus Menſis, ſub ritu duplici primæ claſſis.

Quòd ſi alicubi præcedat Feſtum duplex minus, vel alia Dies Octava, Veſperæ fiunt à Capitulo de ſequenti Die Octava omnium Sanctorum, cum commemoratione de præcedenti duplici minori, vel de alia Die Octava, & poſtmodum de Feſto ſimplici: ſic Aquilejæ in Foro Julii fit die ſeptima de S. Proſdocimo Epiſcopo 1249

Con-

Confeſſore ſub ritu duplici minori: ſic Ratisbonæ in Bavaria fit dicta die ſeptima de Die Octava S. Vvolfgangi Epiſcopi: & utrobique ordinantur Veſperæ, ut ſupra, juxta Rubricam Breviarii *de Concurren. Offic. tit.* 11. *ſub num.* 2. *&* 7. Si verò eadem ſeptima die actum ſit de duplici majori, vel ſecundæ claſſis in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio de ſequenti Die Octava omnium Sanctorum, & de Feſto ſimplici: ita Feltriæ in Marchia Tarviſina, ubi Feſtum S. Proſdocimi eſt duplex ſecundæ claſſis. At ſi Feſtum die ſeptima occurrens, ſit duplex primæ claſſis, ut Patavii in Longobardia Veneta, in ſecundis de eodem S. Proſdocimo fit commemoratio quidem de ſequenti Die Octava, ſed non de Feſto ſimplici, quia ibi Feſtum illud eſt duplex primæ claſſis. Ubi tamen in Die Octava omnium Sanctorum ſimul occurrit alia Dies Octava, in primis Veſperis de ſequenti Die Octava Univerſali fit commemoratio de Die Octava particulari, & de Feſto ſimplici: & ſi præcedat vel ſubſequatur Dominica, hujus commemoratio fit poſt commemorationem illius Diei Octavæ particularis. Occurrente verò in Die Octava Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, in primis ejus Veſperis fit commemoratio de Die Octava, ſed non Feſti ſimplicis, imò neque Dominicæ, ſi præcedat.

Quoad Officium in ipſa Die Octava celebrandum, illud omninò ad Matutinum fit ut in Feſto, exceptis tamen omnium & trium Nocturnorum Lectionibus, quæ in primo Nocturno dicuntur de Scriptura occurrente, ſed in ſecundo & tertio Nocturno ſunt propriæ. Legitur verò nona Lectio SS. Mm. quatuor Coronatorum, niſi occurrat Dominica. Aſt ubi dicti Sancti Martyres transferuntur cum Officio novem Lectionum, ut Parentii in Hiſtria, & Aquilejæ in Foro Julii, utrobique ſub ritu ſemiduplici, ibi hodie dividenda eſt octava Lectio, & ex una duæ ſunt faciendæ, niſi occurrat Dominica: & 1250

nona

nona Lectio deſumpta ex octava incipere poteſt ab illis verbis, *Ubi autem ſana fides non eſt*. Si autem occurrat Dominica, nona Lectio (ut diximus) erit de ea, ſumenda tamen ex illa Dominica, quæ eo anno occurret vel poſt Pentecoſten, vel poſt Epiphaniam. Ad Laudes verò omnia itidem ut in Feſto, cum commemoratione SS. Mm. exceptis Locis ubi transferuntur: ſed ſi occurrat Dominica, fit priùs commemoratio de ea, & deinde de Feſto ſimplici. Si incidat alicubi Dies infra Octavam, fit commemoratio de illa: ita Patavii & Feltriæ fit commemoratio de ſecunda Die infra Octavam S. Proſdocimi; ita Tergeſte in Hiſtria fit commemoratio de quarta Die infra Octavam Dedicationis illius Cathedralis, & de ſeptima Die infra Octavam S. Juſti Martyris Urbiſque Patroni: dictus verò commemorationum ordo videtur ibi ſervandus, quia Dedicatio Eccleſiæ eſt Feſtum Domini, Feſtum verò Patroni eſt Feſtum Servi Domini.

Ubi tamen in hac Die Octava omnium San- 125
ctorum occurrit alia Dies Octava, ut de Die Octava Dedicationis Cathedralis Lycienſis diximus ſupra, hodie ad Laudes fit commemoratio de ea, non ſolùm ante illam de Feſto ſimplici, ſed etiam ante commemorationem Dominicæ ſi occurrat, ex ratione alibi allata, quia commemoratio de Die Octava eſt de duplici, illa verò Dominicæ eſt de ſemiduplici. At ſi alicubi incidat Feſtum duplex ſecundæ claſſis, Officium fit de eo, cum nona Lectione SS. Martyrum ad Matutinum: & ad Laudes fit commemoratio de Die Octava, & Feſti ſimplicis, de quo tamen nihil fit neque ad Matutinum, neque ad Laudes, ſi occurrat duplex primæ claſſis, nunquam tamen omiſſa commemoratione de Die Octava. In ſimultanea tamen occurrentia duplicis primæ vel ſecundæ claſſis, & etiam Dominicæ, quia in iſta tanquam ſemper tertia Novembris, *Incipit Liber Danielis Prophetæ*, hujuſmodi *Initium* ibi

ponendum erit in Feria tertia, quia die nona in Feria ſecunda fit de Feſto Univerſali Dedicationis SS. Salvatoris, quod habet in primo Nocturno Lectiones proprias: caſus autem habetur Venetiis in Eccleſia Clericorum Regularium de Somaſcha, vulgò, *la Madonna della Salute*, ubi quando in hanc diem incidit Dominica, occurrit Dedicatio ejuſdem Eccleſiæ, tanquam Dominica ſecunda Menſis, licèt juxta Rubricas nuncupetur tertia Novembris.

Quia verò in nonnullis Civitatibus & Diœceſibus ex Conceſſione Apoſtolica fit de Patrocinio 1252
Beatæ Mariæ Virginis ſub ritu duplici majori in Dominica ſecunda Novembris occurrente in ipſo Menſe, ut in Abulen. Segovien. Aſturicen. Tuden. Pacen. Placentina, aliiſque forſan Urbibus Hiſpaniæ, vel alterius Regni: ideò, quando dicta Dominica occurrit in hac Die Octava omnium Sanctorum, Feſtum dicti Patrocinii ſic affixum Dominicæ ſecundæ Novembris, non eſt eo die celebrandum, quia cùm Dies Octava complectatur utrumque duplex, minus ſcilicèt & majus, ut benè probat ex vulgatis Rubricis Gavantus *tom. 2. cap. 8. de Octava, ſub numer.* 13. & cùm Octavarium Romanum transferat Feſtum duplex majus S. Mariæ ad Nives, ut eo die celebretur Dies Octava S. Marthæ Virginis in Eccleſia propria, conſequenter hodie in dicta occurrentia Dominicæ ſecundæ non habet locum Feſtum ejuſdem Patrocinii. Sed quid agendum de eo in hujuſmodi caſu, cùm ſit affixum Dominicæ? Eo anno deperdendum eſt, nam Officia conceſſa pro aliquibus Locis, quibus aſſignata eſt aliqua Dominica, ſi impedita ſint, ſunt omittenda, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1683. *ſub die* 20. *Martii*, apud Marcum Antonium Fagioli *in Kalendario perpet. ration. in Adnotat. ad Menſem Octobris, ſub ſecunda* ✠ *pag. mihi* 261. & habetur etiam inter Rubricas Breviarii Franciſcani, *tit.* 4. *de Dominicis, ſub numer.* 55. & refert P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in-*

Indice, *ſub num.* 139. niſi in Indulto concedatur translatio in caſu impedimenti, prout conceſſa fuit omnibus Ditionibus Domui Auſtriacæ ſubjectis *anno* 1713. *ſub die* 18. *Octobris*, cujus vigore Decreti ego tranſtuli in Directorio Segnienſi à parte Imperii *anno* 1733. in quo Dominica ſecunda Menſis occurrebat in hac Die Octava omnium Sanctorum, & illud repoſui in Sabbato ſequenti, juxta Rubricas *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub num.* 2.

§. X.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava omnium Sanctorum.

Miſſa in Die Octavâ omnium Sanctorum dicitur omninò ut in Feſto in colore albo, cum ſecunda Oratione SS. Mm. quatuor Coronatorum, niſi alicubi transferantur cum Officio novem Lectionum, ut ſupra vidimus ad Matutinum hujus Diei Octavæ. Si tamen occurrat Dominica, tunc ſecunda Oratio erit de ea, ac tertia de Feſto ſimplici, cum Evangelio Dominicæ in fine: Orationes autem & Evangelium erit de illa Dominica, quæ eo anno recurret vel à Pentecoſte, vel poſt Epiphaniam. In dicta verò Dominicæ occurrentia, ante Miſſam ſolemnem fiet in Cathedralibus & Collegiatis conſueta Aquæ benedictæ Aſperſio per Antiphonam hujus Temporis, nempè, *Aſperges me*, ut in fine Miſſalis. Ubi autem hodie incidit alia Dies Octava, ut Venetiis in Eccleſia 1253

Pa-

Parochiali & Collegiata ac Matrice S. Silveſtri Papæ Confeſſoris, occurrit Dies Octava Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ, ibi in Miſſa de Die Octava omnium Sanctorum fit commemoratio de illa Die Octava Dedicationis, deinde de SS. Mm. quatuor Coronatis: & ſi ſimul veniat Dominica; ibidem; & alibi, ubi hujuſmodi Diei Octavæ occurrentia fuerit, ſecunda Oratio erit de Die Octava particulari tanquàm de duplici, & tertia de Dominica tanquàm de ſemiduplici, cum quarta Oratione de Feſto ſimplici.

Facilè autem in dicta Miſſa de Die Octava o- 1254
mnium Sanctorum contingere alicubi poſſunt & aliæ commemorationes; de quibus omnibus fit in hac eadem Miſſa: ita Barcinone in Catalaunia dicitur ſecunda Oratio de tertia Die infra Octavam S. Severi Epiſcopi Confeſſoris, & tertia de Feſto ſimplici: ita Patavii in Longobardia Veneta, & Feltriæ in Marchia Tarviſina fit commemoratio de ſecunda Die infra Octavam S. Proſdocimi Epiſcopi itidem & Confeſſoris, deinde de SS. Martyribus: ita Tergeſte in Hiſtria duæ occurrunt commemorationes de duabus Octavis, nempè, de quarta Die infra Octavam illius Cathedralis, & de ſeptima Die infra Octavam S. Juſti Martyris Urbiſque Patroni, deinde fit ibi quarto loco commemoratio SS. Mm. quatuor Coronatorum. Dictæ autem ſpeciales commemorationes, adveniente Dominica, fiunt ordinatim poſt commemorationem ejuſdem Dominicæ, & ante illam de Feſto ſimplici, ut clarè patet. Quòd ſi alicubi occurrat hac die Feſtum duplex ſecundæ claſſis, ut forſan in aliqua Urbe Feſtum Dedicationis Cathedralis apud Regulares ibidem commorantes, in Miſſa de illo Feſto fit commemoratio de Die Octava omnium Sanctorum, & in privatis tantùm etiam SS. Mm. quatuor Coronatorum. At ſi incidat Feſtum duplex primæ claſſis, fit quidem in Miſſa commemoratio de Die Octava, ſed tam in ſolemni quàm in privatis omittitur commemoratio Feſti ſimplicis.

Secundæ denique Veſperæ de hac Die Octava omnium Sanctorum, nunquam & nullibi poſſunt eſſe integræ, nam cùm in Eccleſia Univerſali die nona Novembris occurrat Feſtum duplex minus de Dedicatione Baſilicæ SS. Salvatoris, Veſperæ uſque ad Capitulum excluſivè ſunt de Die Octava, ſed à Capitulo incipiunt eſſe de ſequenti Feſto ejuſdem Dedicationis, cum commemoratione de præcedenti Die Octava omnium Sanctorum, juxta Rubricam generalem Breviarii *de Commemorat. tit.* 11. *ſub numer.* 7. Deinde fit commemoratio etiam Feſti ſimplicis ſequentis S. Theodori martyris. Eadem pariter Veſperarum diviſio fit alicubi, ubi cras occurrit alia Dies Octava, vigore Rubricæ ſupracitatæ, ut fit Tergeſte in Hiſtria, in qua Urbe Veſperæ ſunt hodie à Capitulo de ſequenti Die Octava S. Juſti Martyris & Patroni, cum commemoratione de præcedenti Die Octava omnium Sanctorum, & Feſti ſimplicis. 1255

In dictis ſecundis Veſperis de Die Octava omnium Sanctorum cæteroquin à Capitulo dividendis in concurrentia ſupra memorata, fit etiam commemoratio de aliqua Die infra Octavam alicubi occurrente: & ſi Dies infra Octavam ſit de Dedicatione Eccleſiæ, & cras ibidem agatur de Dedicatione Univerſali SS. Salvatoris, in hodiernis Veſperis pro commemoratione Dedicationis particularis, cæteroquin ſumenda ex ſecundis Veſperis in ejus Communi, varianda erit Oratio, & dicenda illa, quæ inſervit pro ipſa Die Dedicationis Eccleſiæ, & incipit, *Deus, qui inviſibiliter omnia contines, &c.* Quòd ſi in hac Die Octava omnium Sanctorum alicubi occurrat ſimul Dies Octava Dedicationis, ut Lycii in Apulia, quotieſcunque in diem Octavam Novembris incidat Dominica, Veſperæ ibi ſunt à capitulo de ſequenti Dedicatione Univerſali SS. Salvatoris, cum commemoratione de præcedenti Die Octava omnium Sanctorum, deinde de particulari itidem præcedenti Die Octava Dedica- 1256

tionis , cum Oratione tamen varianda , ut ſupra , & ultimo loco fit etiam commemoratio de Feſto ſimplici S. Theodori Martyris . Præcedat verò , vel ſubſequatur Dominica, fit in his Veſperis commemoratio de ea. Quia tamen diximus ſupra commutandam in dictis Veſperis Orationem pro commemoratione de Die infra Octavam particularem Dedicationis alicubi occurrentis : licèt hoc clarè pateat ex Rubrica Breviarii in ejus Communi , idipſum tamen denuò firmavit Sacra Rituum Congregatio *in una Urbis & Orbis ſub die* 25. *Septembris* 1706. *ſequentibus præciſis verbis , videlicèt* : Occurrente Dedicatione Baſilicæ Sanctiſſimi Salvatoris , vel SS. Petri & Pauli Apoſtolorum , infra Octavam Dedicationis aliarum Eccleſiarum , pro earum Octava debet ſumi alia Oratio de Communi nempè , *Deus , qui inviſibiliter*, ut refert P. Merati in ſæpè laudatis, ſemperque laudandis Additionibus & Obſervationibus ad Gavantum *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice , ſub numer.* 242.

At ſi alicubi cras occurrat duplex majus , ut 1257
Venetiis Feſtum S. Theodori Urbis Patroni minus principalis, apud nos in Veſperis de ſequenti fit commemoratio de præcedenti Die Octava . Si verò alibi incidat Feſtum duplex ſecundæ claſſis , Veſperæ hodie ſunt de ſequenti, cum commemoratione de Die Octava, non tamen de Feſto ſimplici , neque de Dominica , ſi præcedat ; Dies denique Octava ſuam etiam amittit commemorationem in concurrentia Feſti duplicis primæ claſſis ; ſi ſubſequatur alicubi , nam in Veſperis de ſequenti nihil fit de dicta Die Octava , nihil de Dominica ſi præcedat, nihil de S. Theodoro.

DE OCTAVA COMMUNI CONCEPTIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

CAPUT OCTAVUM.

Ultima ex Octavis Communibus , ſeu 1258
non Privilegiatis , quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur , eſt illa præclariſſima de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis . De illius inquam Virginis Conceptione , de cujus immunitate à labe Originali omnes tuendo loquuntur in Libris , in Scholis , in Suggeſtubus , in Academiis. Templa pulcherrima ei ædificata ſub hoc myſterio, Oratoria non pauca inſtituta , plures fundatæ Congregationes, nonnullæ erectæ Confraternitates ſub hoc Titulo conſpiciuntur . Defendunt immaculatam Univerſitates celeberrimæ , Pariſienſis , Colonienſis, Moguntina , Viennenſis , Valentina, Salmaticenſis , Complutenſis , Lovanienſis, Barchinonenſis, Conimbricenſis , & aliæ uſque ad numerum triginta octo , quæ omnes nolunt aliquem promovere ad Doctoratus lauream , niſi prius juret in favorem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis in primo inſtanti immaculatæ . Nomen accipiunt ab immaculata Conceptione Ordines Militares egregii , quorum magni Magiſtri ſunt Principes, & conſequenter Defenſores præſervationis à culpa . Quot Portæ Civitatum ab ea nuncupantur , quot Naves bellicæ appellantur ab ipſa , quot Re-

Regnorum eſt ipſa Patrona ut immaculata? Sed & Academici ſuis illuſtrant elogiis hoc myſterium, ſua facundia Panegyriſtæ, Scriptores ſuis calamis; Sculptores ſuis ſcalpris, ſuis denique Pictores penniculis.

Nec deſunt rationes præſervationis à culpa: ſiquidem non ſolùm *elegit eam Deus*, ſed *& præelegit eam*: Hæc autem præelectio importat omne Privilegium ei conceſſum: ergo etiam illud præſervationis à culpa. Ad hanc etenim electionem & præelectionem tota convenit Trinitas, & quidem cœpit à Conceptione: unde S. Idelphonſus *lib. de Virgin. B. M.* inter tenerrimos ſuæ devotionis affectus erga eandem Beatam Virginem, ſic eam alloquitur: *Tota inviſibiliter Trinitas Conceptionem operabitur in te*: Pater ſcilicèt ut eſſet Filia, Filius ut eſſet Mater, Spiritus Sanctus ut eſſet Sponſa. Dum ergo omnes tres Perſonæ SS. Trinitatis convenerunt ad hujuſmodi electionem & præelectionem, convenerunt etiam, ut eſſet privilegiata in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, præſervando eam à labe Originali, ne quid eſſet in illa commune cum cæteris omnibus. Hinc eſt, quòd ipſa de ſe ipſa ait: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequàm terra fieret: nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram*. Si in mente Dei fuit ab æterno concepta, Deus innocentem in primo inſtanti Conceptionis elegit & præelegit: ſiquidem per hanc electionem & præelectionem, contraxit Beatiſſima Virgo amicitiam cum Deo: Amicitia autem Dei ſtare non poteſt cum inimicitia peccati. Quia verò Matthæus in generatione Chriſti concludit cum Maria, *de qua natus eſt Jeſus*: ergo Chriſtus naſci voluit de ea, in cujus Conceptione nullus adeſſet obex peccati, quia in ſingulari Chriſti Nativitate, *nihil de peccati lege manavit*, ut benè *S. Leo ſerm. 1. de Nat. Dom.* 1259

Quòd ſi in ſecundo inſtanti mundata eſſet Beatiſſima Virgo à macula originali, non haberet quoad hoc Privilegium ſingulare, ſiquidem con- 1260

veniret cum Hieremia, conveniret etiam cum Joanne Baptiſta, qui vocati ſunt ab utero in ſecundo inſtanti. Illa quoque mihi offertur Angelica ſalutatio, in qua Gabriel dicit; *Ave Maria, gratia plena*: ſcilicèt, non plena gratia hoc momento, in quo tibi annuncio Incarnationis myſterium, ſed gratia plena à primo inſtanti tuæ Conceptionis. Ut autem Angelus eam magis certiorem faciat de anteriori gratiæ plenitudine, proſequitur, dicens: *Inveniſti gratiam apud Deum*: Non dicit, *nunc invenis*, quia nunc annuncio, ſed *inveniſti* ante meam annunciationem; id eſt, uſque à primo inſtanti tuæ Conceptionis. Unde Cognata ejus Eliſabeth dum ei dixit: *Benedicta tu inter mulieres*, edocta fuit à Spiritu Sancto, ut intelligeret de prælectione inter mulieres: quæ quidem prælectio intelligi non poteſt de labe Originali: alioquin quæ nam eſſet diſtinctio inter mulieres, ſi dici poſſet de ea, quod de omnibus aliis dicitur, *& in peccatis concepit me mater mea?*

Licèt autem nihil habeamus in Scripturis: ubi tamen loquimur de Maria, ſtare debemus Auguſtino, qui *de liber. arbitr.* ſic revera ait: *Ubi Scriptura de Beatiſſima Virgine nihil commemorat, quærendum eſt ratione quid conveniat veritati, fiatque ipſa veritas auctoritas*. Veritati autem convenit, ut electa Maria Mater Dei, concepta ſit ſine macula: & hoc clarè patet ex eo, quia non poſſunt ſimul ſtare Maternitas Dei, & inimicitia cum Deo: quod ut nobis oſtenderet Matthæus, credidit ſatis expreſſiſſe, dicendo, *de qua natus eſt Jeſus*. Et ut agnoſcamus hanc ejus in primo inſtanti immunitatem à culpa, ipſa nobis oſtendit quem genuit, dicens: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Quapropter S. Anſelmus, ſic ad rem ait: *Si aliqua alicujus peccati labe Conceptio Virginis concepta fuit, fundamentum habitaculi Sapientiæ Dei non congruebat ipſi ſtructura*. Sed & inferre facit Auguſtinus *ſerm. de Annunc.* ibi etenim ait: *Quidquid magnum eſt ſub Deo, mi-* 1261

minus eſt Virgine : ergo quia hoc ſibi acquiſivit ex primo inſtanti innocentiæ. Dum igitur eam tam conſtanter dicere audimus : *Fecit mihi magna* , *qui potens eſt* , quomodo ratio ſufferre poteſt tam ignominioſum initium , ubi talis eſt glorioſus progreſſus?

Si concepta fuit , antequam Deus quidquam faceret à principio, ratio non ſuadet, quòd Deus incæperit opera ſua à Conceptione Virginis cum labe originali : Deus enim fuit ſapiens Architectus hujus Fabricæ , ſiquidem *ipſe fundavit eam Altiſſimus* , & quidem fundavit eam pro ſe ipſo : unde illam adornavit omni gemma puritatis. Ideoque S. Thomas de Villanova *ſerm. de Nat. Virg.* conſiderans , quòd ipſa Fabrica , erat Thronus Dei , illuſtravit omni ſplendore innocentiæ: *Qualem ergo* (ait) *faceret Deus* , *qui elegit eam* , *ut naſceretur ex ea?* Sed & Ricardus à S. Laurentio *in Cantic. capitul.* 39. ſimili motus conſideratione , inquit : *Talem fecit Virginem* , *qualem ex Virgine fieri voluit* . Quare concludere poſſumus cum S. Petro Damiano ſerm. de Aſſumpt. *Caro Virginis ex Adam aſſumpta* , *Ada maculas non admiſit* . Sed inſuper , quæſo , conſideremus , quod etiam conſiderat S. Petrus Chryſologus ſerm. 146. *Et quando*, inquit, *non Maria Mater*? Si ſemper Mater , ſemper ſine macula : quia dum Deus poſſedit eam in initio viarum ſuarum , poſſedit eam ſine labe: neque enim potuit poſſidere in ſua mente puriſſima, niſi Virginem puriſſimam , & conſequenter nec in primo inſtanti maculatam. 1262

Itaque qui in Maria ſupponunt hanc maculam primi inſtantis , *non penetrant naturam Originalis peccati* , ait Abulenſis : nam ſi penetrarent , viderent principium valdè oppoſitum fini, ad quem reſpiciebat Deus , ut eſſet Mater Verbi . Quapropter S. Anſelmus *de Concept. Virg. capitul.* 18. confirmat , dicendo : *Decebat* , *ut ea puritate* , *qua major ſub Deo nequit intelligi* , *Virgo illa niteret* , *cui Deus unicum Filium ſuum ita dare diſponebat* , *ut naturaliter eſſet unus* , *idemque communis Dei Patris* , 1263

& Vir-

& Virginis Filius. Dum autem ab Angelo vocatur *gratia plena*, major gratia ſit ei, qui conſervatur in innocentia, quàm cui remittitur culpa, ait Doctor Angelicus 1. *quæſt.* 20. *a.* 4. *ad* 5. Erat igitur conveniens, ut de mundiſſima Matre mundiſſimus Filius naſceretur, inquit S. Auguſtinus *ſerm.* 20. *ad Fratr.* Quòd ſi denique Maria fuit *Eva correctio*, ut ſic eam appellat Damaſcenus *Orat.* 1. *de Nat. Virg.* ideò fuit, quia macula Evæ non eſt ingreſſa in Conceptionem Mariæ. Unde Eccleſia, obſervans illud *Ave* Gabrielis, ſtatim vidit Evæ correctionem: & ideò dicit in Hymno Mariæ: *Mutans Evæ nomen*, quia dum Angelus ſic ſalutat, annunciat Mariæ hujuſmodi mutationem, ſiquidem ex *Ave*, retrogrado litterarum ordine, venit *Eva*.

Te igitur demiſſè veneror, Beatiſſima Virgo, 1264 & tibi gratulor de tam diſtincto Privilegio tibi ſoli conceſſo, tibi ſoli conveniente, o Mater Dei, nam macula non eſt in te uſque à primo inſtanti tuæ Conceptionis. Quia verò ego ſolus neſcivi tuam promulgare immunitatem à culpa, auxilium quæſivi à Sanctis Patribus, ab Oratoribus ſacris, à tuis pluribus Panegyriſtis, ut ego nihilominùs ſolus, dicerem; quod multi devotiſſimè de te dicunt, tuamque prædicant exemptionem à culpa Originali. Ego tamen, qui *in iniquitatibus conceptus ſum*, deprecor te humiliter & devotè per immaculatam Conceptionem tuam, ut tuis validiſſimis interceſſionibus ita facias apud Filium tuum Dominum meum, ut omnes in me abſtergantur maculæ: ſimulque benigniſſima obtineas, ut hæc tua Solemnitas, & tota ejus Octava, præſervetur ab erroribus, & immunis ſit ab omni mendo, ſicque omnia dicam non intentione placendi, ſed deſiderio juvandi, & finem illum aſſequar, quem imploro, cuncta dicendi juxta mentem Eccleſiæ. Rogo etiam te, piiſſima Virgo & Mater Dei, ut mihi ignoſcere digneris, ſi ſufficienter non valui tuam dilucidare Conceptionem immaculatam: ſpe-

ſpero enim, quòd accipies pro ſufficienti, quod meliùs dilucidare neſcivi, & quòd tua miſeratione & interceſſione me veles inter illos, pro quibus tu proteſtaris: *Qui dilucidant me, vitam æternam habebunt*.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad inſtitutionem Feſti Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

ANtequàm ad ipſum Feſtum Conceptionis deveniamus, benè credimus aliquid de Inſtitutione præmittere, ut ex antiquitate inferamus devotionem circa hoc myſterium religiosè ſemper præſtitam. Hoc etenim ordine fiet, ut ſicuti plerique de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis tractantes, ab origine Feſti ſumunt initium, ſic & nos laudabilem hujuſmodi conſuetudinem ſecuti, & de eadem Conceptione locuturi, ab ipſa origine eruamus exordium dicendi: Siquidem Feſtum, quod à pluribus ſæculis recognoſcit ſuum ortum, non ſine maximo pietatis incremento ex ſucceſſiva celebratione, Lectori Eccleſiaſtico oſtendetur devotiùs celebratum. Itaque variæ ſunt de hac Feſtivitate ſententiæ; Alii originem trahunt à quadam apparitione à S. Nicolao Pontificali veſte induto facta Abbati Elſimo, qui eum monuiſse dicitur, ut celebraret hoc Feſtum: Alii verò viſioni quidem tribuunt exordium, ſed factæ S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, qui in Mari ſæva jactatus procella, audire ſibi viſus eſt, fore ut ſecundo 1263

cundo vento uteretur, & incolumis navem ad littus appelleret, ſi Deiparæ Conceptionem ſolemniter celebrandam curaret, ex quo Feſtum arbitrantur incæptum in Magna Britannia circa annum 1109. Non deſunt tamen & Alii, qui inchoatum credunt Conſtantinopoli, ex quadam Conſtitutione à Balſamone adducta Comneni Cæſaris, qui Imperii Bizantini habenas moderatus eſt ab anno 1143. uſque ad annum 1180. & quidem pro die nona Decembris, ubi ſic habetur: *Nona Decembris, utpotè quòd in ea peragatur Conceptio caſtiſſimæ Matris Dei noſtri.*

In Gallia quoque ortum habuiſſe hanc Feſtivitatem, & quidem in Eccleſia Lugdunenſi inferunt alii ex eo, quòd S. Bernardus Abbas Clarevallenſis in quadam Epiſtola reprehendit illos Canonicos, quòd novum Feſtum celebrarent ſine Indulto Apoſtolico: ſi erat Feſtum novum, ergo antea nullibi celebrabatur: ergo incæpit in illa Eccleſia. Sanctus verò Bernardus incipit à laudatione illius Baſilicæ, quæ ſemper rigoroſam voluit obſervantiam Rubricarum, ut inde videat quomodo contra morem ſuum introduxit novitatem Feſti. Placet autem Epiſtolam illam hoc proprio loco inſerere à pluribus citatam, à nemine verò relatam. Habetur ergo *Oper. volum. 1. Epiſt.* 174. edita, ut creditur, circa annum 1140. & eſt tenoris ſequentis, videlicet: Inter Eccleſias Galliæ conſtat profectò Lugdunenſem hactenus præemicuiſſe, ſicut dignitate ſedis, ſic honeſtis ſtudiis & laudabilibus inſtitutis. Ubi enim æquè viguit diſciplinæ cenſura, morum gravitas, maturitas conſiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis inſigne? Præſertim in Officiis Eccleſiaſticis haud facilè unquam repentinis viſa eſt novitatibus acquieſcere, nec ſe aliquando juvenili paſſa eſt decolorari levitate Eccleſia plena judicii. Unde miramur ſatis, quòd viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrum voluiſſe mutare colorem optimum, novam inducendo Celebritatem, 1266

„ quam

„ quam Ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores, aut devotiores ſumus? Periculosè præſumimus quidquid ipſorum in talibus prudentia præterivit. Nec verò id tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omninò diligentiam prçteriiſse. Si ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter, atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum: *Hactenus S. Bernardus*. Antiquius autem principium Alii aſſerunt habuiſse in Hiſpania hoc Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis ſub S. Ildephonſo, licèt non deſint qui tenent ſub Gondiſalvo Epiſcopo Tholeſano, qui vixit paulo poſt S. Ildephonſum, ante annum 800. Deinde Fridericus Patriarcha Aquilejenſis in ſuis Eccleſiis Feſtum egit, & obiit anno 897. In Ordine verò Minorum cæpit celebratio hujus Feſti ab anno 1263.

Ex tanta opinionum varietate, licèt nihil certi habeatur de origine hujuſmodi Feſti, hoc tamen clarè patet, quòd antiquiſſima ſit celebratio Conceptionis Beatę Marię Virginis. Cùm autem Sixtus Quartus viderit pluribus in locis introductum Feſtum, illud ſua Conſtitutione fecit Univerſale, & ideò ad totam extendit Eccleſiam anno 1476. qui Pontificatus ſui erat quintus, confirmando religioſum Conceptionis diem, nempè octavam Decembris, ut *in Extravag. comm. lib.* 3. *titul.* 12. *capitul.* 1. Ex illa tamen generali Sixti Conſtitutione non infertur, quòd Romæ tunc incæperit Feſtum, cùm Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 7. *capitul.* 2. *ſub die* 8. *Decembris*, dicat, ante multos annos ibi celebratum fuiſse in Domo Carmelitarum, cum Cardinalium interventu, Miſsa ſolemni, & ſermone de eodem Feſto, & poſtea Sixtum tradidiſse Eccleſiæ Univerſali. Quamvis autem Baſileenſe Concilium anno 1439. ſtatuerit ſeſs. 36. hiſce verbis: *Renivantes præterea inſtitutionem de celebranda ſancta*

1263

ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Eccleſias, ſexto idus Decembris, antiqua & laudabili conſuetudine celebramus: dicti tamen Concilii ætate, moribus tamen Populi Chriſtiani colebatur, *antiqua & laudabili conſuetudine*, ut obſervat Ludovicus Thomaſſinus in ſuo egregio Commentario de Dierum Feſtorum celebratione *libr. 2. capit. 5. ſub num. 9. pag. 48. juxta edit. Venet. de Anno 1729.*

Circa Ritum hujus Officii de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, Sixtus Quartus, qui extendit ad totam Eccleſiam, duplicem fecit, qui ſanè ritus intelligendus erat de duplici minori, nam poſtmodum Clemens Octavus declaravit Feſtum duplex majus: ergo antea erat duplex minus. Tractu tamen temporis elevatum fuit ad duplex ſecundæ claſſis; & ſimul crevit Octava, quam cùm non habeat antiquum Martyrologium Romanum, neque illud à Cęſare Cardinale Baronio eruditis notationibus illuſtratum, imò neque Gavantus, qui obiit circa annum 1644. noviſsimè additam eſse clarè patet; & ab Alexandro Septimo cæpiſse, qui cùm creatus fuerit anno 1655. & ſic poſt Gavantum anno decimo, non niſi illi Summo Pontifici tribuenda eſt prima hujus Octavæ conceſsio. Hic autem Pontifex, qui primus creditur in ſpecialibus hujus Octavæ conceſsionibus, primò etiám cenſetur conceſsiſſe Sereniſsimę Venetiarum Reipublicę, totique ejus Dominio, edita Conſtitutione *ſub die 13. Junii 1665. Pontificatus ſui anno undecimo*: ubi revera ſic habet: *Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam: Singularis dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis & Reipublicæ Venetiarum erga glorioſiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotio promeretur, ut pia eorum vota ad augendam ejuſdem Auguſtiſſimæ Cœli Reginæ venerationem tendentia, paterna charitate libentiſſimè exaudiamus, &c.* Deinde concedit in Univerſo Dominio Officium & Miſsam Conceptionis B. M. Virginis Immaculatæ de præcepto cum Octava, nec tamen ullum verbum facit 1268

cit de extenſione, ut ſolet in ſimilibus, ex qua videtur prima conceſsio cum Octava: Hanc autem Conſtitutionem Domi integram retineo eodem anno conceſsionis 1665. Venetiis impreſsam *typis Franciſci Valvaſenſis*, quæ cæteroquin non reperitur in Bullario Romano.

Poſt præfatam Alexandri Conſtitutionem, Clemens Nonus extendit ad totum Statum Eccleſiaſticum *in Conſtitut. 13. hujus Pontif. in Bullar. Rom. & incipit* Sincera noſtra *edita anno* 1667. *ſub die* 21. *Octobris*. Poſtmodum alii Summi Pontifices aliis Ditionibus conceſsere, ut patet ex ſequenti Conſtitutione Innocentii Duodecimi, in qua hoc Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis cum Octava extenditur ad Univerſalem Eccleſiam *anno* 1693. *ſub die* 15. *Maii*: Sic igitur in ea habetur: = *Innocentius Papa XII. ad perpetuam rei memoriam*: = *In excelſa Sedis Apoſtolicæ ſpecula*, *&c.* cæteris omiſsis proœmialibus: deinde: = *Ut Officium, & Miſſa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava, & Lectionibus in Octavario Romano dudum à Congregatione tum exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum approbato contentis, & à die octava ad decimam quintam Decembris ritè diſpoſitis, quod jam pridem ex diverſis ejuſdem Sedis Indultis ſeu Decretis in pleriſque Chriſtiani Orbis Provinciis & Regnis recitari conſuevit, ubique terrarum in poſterum ab omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, tam Sæcularibus quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, de præcepto recitetur, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium mandamus & decernimus*. Ita in particulari Bullario ejuſdem Pontificis, *Conſtitut.* 37. *pagin.* 118. & modò etiam reperitur in Bullario Romano noviſsimę editionis Luxemburgenſis de Anno 1727. *tom.* 7. *Conſtitut. itid.* 37. *pagin.* 219. 1269

§. II.

§. II.

De iis , quæ ſpectant ad Profeſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis .

FEſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis non habet præcedentem Vigiliam , neque Jejunium de præcepto Eccleſiæ : ſed forſan alicubi jejunatur , vel ex Populi devotione , vel ex Loci conſuetudine , vel ex Conſtitutione Synodali , vel denique ex Voto alicujus Communitatis . Ad Primam in Officio S. Ambroſii Epiſcopi Confeſsoris & Eccleſiæ Doctoris , vel alterius cujuſcunque Feſti in aliquo Loco ea die celebrati , Martyrologicus Lector , poſt ſecutam Kalendarum Lunariſque ætatis pronunciationem , annunciat primo loco *Conceptio glorioſa ſemper Virginis Genitricis Dei Mariæ* : deinde dicit : *Romæ Beati Eutychiani Papæ* , *&c.* cum reliquis , ut in Martyrologio : niſi alicubi ſimul occurrat aliqua Dies Octava , ut infra videbimus , nam eo caſu dicitur quidem primo loco *Conceptio* , *&c.* ſed ſecundo loco annunciatur ibi *Dies Octava* , & tertio loco *Romæ &c.* Quòd ſi alicubi in diem octavam Decembris incidat Feſtum Dedicationis Eccleſiæ , ſicuti de eo faciendum erit Officium, ſic ibi primo loco illud erit pronunciandum , deinde *Conceptio*, licèt contingat eam ob hanc occurrentiam transferri. 1270

In die ſeptima Decembris , Veſperæ ſunt integræ de ſequenti Feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis & ad Hymnum *Ave Maris Stella* vi- 1271

dean-

deantur quæ ſupra dicta ſunt in primis de Aſſumptione: & terminantur Veſperæ cum commemoratione de præcedenti Officio S. Ambroſii Epiſcopi Confeſſoris & Eccleſię Doctoris: ac etiam de Feria Adventus. Ad Hymnum verò Completorii dicitur clauſula de Beata Maria, & per Octavam in Hymnis ejuſdem metri. Si verò hodie alicubi fiat de Feſto duplici ſecundæ claſſis, adhuc Veſperæ ſunt ibi primæ de Conceptione, cum commemoratione de præcedenti duplici ſecundæ claſſis, & Feriæ: niſi illud duplex ſecundæ claſſis eſſet de Dedicatione Cathedralis in Eccleſiis Regularium in illa Civitate exiſtentibus, in quibus dicta Dedicatio Cathedralis celebratur ſub eodem ritu duplici ſecundæ claſſis: neque enim mihi probatur, quòd ſingula Feſta Beatæ Mariæ Virginis debeant in paritate ritus locum habere à Feſto Dedicationis Eccleſiæ, cùm ſit meo judicio ſpeciale Privilegium ſoli Aſſumptioni ejuſdem Beatæ Virginis conceſſum, ut ſupra dictum eſt ſuo loco. Quòd ſi dicta die ſeptima Decembris agatur de duplici primæ claſſis, ut Faventiæ in Romandiola agitur de S. Savino Epiſcopo Martyre Urbiſque Patrono, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio de ſequenti Conceptione, ac etiam de Feria.

At ſi die ſeptima Decembris veniat Dominica 1272
ſecunda Adventus, in primis Veſperis de ſequenti Conceptione fit commemoratio Dominicæ precedentis, quia cùm illa Dominica ſit privilegiata, non currit ſub Rubrica Dominicarum infra annum occurrentium, quæ in concurrentia cum ſequenti Duplici ſecundæ claſſis ſuam amittunt commemorationem. Quòd ſi ſimul in illa Dominica occurrat alicubi Dies Octava, ut Sarzanæ, & Portus Gruarii de Diœceſi Concordienſi in Foro Julii incidit Dies Octava S. Andreæ Apoſtoli, & in omnibus Eccleſiis eidem dicatis, quia ibi translato Feſto univerſali S. Ambroſii, Officium erit de Dominica ſecunda Adventus, ideò poſt Veſperas integras de ſequenti Con-

ceptione, fit priùs commemoratio Dominicæ licèt ſemiduplicis, deinde Diei Octavæ licèt duplicis: & ratio eſt, quia cùm Dies Octava ceſſerit Dominicæ in toto Officio, debet etiam ei cedere commemorationem in hiſce Veſperis. Si verò dicta Dominica ſecunda Adventus incidat in ipſum Feſtum Conceptionis, in ſecundis Veſperis de S. Ambroſio fit commemoratio ejuſdem Dominicæ, & Conceptio transfertur juxta Rubricas. Occurrente tamen alicubi Die Octava in dicta Dominica, adhuc ſecundæ Veſperæ de S. Ambroſio ſunt integræ, & Dominica ſuum retinet jus jam acquiſitum in præcedentia commemorationis ante illam de Die Octava ſimul occurrente in eadem Dominica quia die ſequenti Officium eſt de ea, translato Feſto Conceptionis.

At ſi die ſeptima Decembris veniat Dominica, 1273. & in Feſto Conceptionis occurrat ſimul Dies Octava, ut Portus Gruarii occurrit Dies Octava Dedicationis, diverſo jure Veſperæ diſponuntur; nam in primis Veſperis de ſequenti Conceptione fit priùs commemoratio de Die Octava, deinde de præcedenti Dominica, quia cùm Dominica amiſerit ſuas integras Veſperas, amittit etiam ſuum jus in præcedentia commemorationis: Et hoc clarè patet ex ſequenti Decreto, ſcilicèt: *Quæſitum fuit: Dies Octava Sancti proprii cadit in Feſtum Conceptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & Dominica ſecunda Adventus die ſeptima Decembris: utrùm in primis Veſperis Beatæ Mariæ primo loco fieri debeat commemoratio de Dominica Adventus, & poſtea de Die Octava Sancti proprii?* Et reſponſum fuit: *concurrente Dominica ſecunda Adventus die ſeptima Decembris cum Feſto Conceptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & Die Octava Sancti proprii, debet fieri priùs commemoratio de Octava Sancti proprii, deinde de Dominica*: & ita reſpondit & declaravit Sacra Rituum Congregatio *in una Galliarum ſub die* 10. *Januarii* 1693. apud P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice, ſub numer.* 180. juxta diſpo-

diſpoſitionem Tabellæ ſecundæ de Concurrentia Dominicæ Majoris, ſeu primæ vel ſecunda claſſis, cum Die Octava, ut ibi Regula tertia, quemadmodum præcisè docet Rubrica Breviarii Romani de Commemor. titul. 9. ſub numer. 11.

Ubi autem Feſtum Conceptionis Beatiſſimę Mariæ Virginis celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, prout non ſolùm eſt in Eccleſiis eidem dicatis, verùm etiam in pluribus Civitatibus ubi eſt Titulus Cathedralium, & in nonnullis etiam Regnis inferiùs citandis ubi eſt Patrona: ibi dictis primis Veſperis de ſequenti Conceptione, fit quidem commemoratio Feriæ, vel Dominicæ præcedentis, non tamen S. Ambroſii neque alicujus Diei Octavæ, ſi in aliqua Eccleſia Civitatis vel Regni forſan concurreret ut concurrit Pragæ in Bohemia Dies Octava S. Andreæ Apoſtoli, & Conceptio eſt ibi duplex Primę claſſis. Sed ſi ſimul incidat Dominica, ſicuti in ea celebranda eſt ibi Conceptio, ſic in primis ejus Veſperis fit commemoratio tantùm Dominicę non Diei Octavę prçcedentis. Attamen ſi die ſeptima Decembris actum ſit alicubi de duplici ſecundę claſſis, & in Feſto Conceptionis duplici primę claſſis occurrat Dominica, in primis Veſperis de ſequenti fit commemoratio priùs de illo Feſto duplici ſecundę claſſis, deinde de Dominica craſtina. Idem dicendum, ſi prçcedat duplex primę claſſis & ibi Conceptio ſit itidem duplex primę claſſis ratione Tituli Cathedralis, vel ex vi Patronatus, dummodo Feſtum duplex primę claſſis ibi prçcedens, ſit de aliquo Sancto, non verò de Dedicatione Eccleſię, ex ratione ſuperiùs allata, quia (ut reor) in ſecundis Veſperis de Dedicatione fieret commemoratio Conceptionis. 1274

Cçterùm in primis Veſperis de Feſto Conceptionis Beatę Marię Virginis, ſive conſiderentur de duplici ſecundę claſſis, ut in Eccleſia Univerſali, ſive & majori ratione attendantur tam 1275

quam de duplici primę claſſis , ut in pluribus Civitatibus & Regnis , nulla ſit commemoratio de Die infra Octavam ſpecialem , quod eſt commune omnibus & ſingulis Feſtis hujuſmodi ritum habentibus , vigore Rubricę generalis Breviarii *de Commemor. titul.* 9. *ſub numer.* 4. *&* 6. ideoque Curię in Rhętia nihil fit in hiſce primis Veſperis de Die infra Octavam S. Lucii Epiſcopi Martyris Urbiſque Patroni , cujus Feſtum celebratur ibidem die tertia Decembris : ſic in Regno Navarrę , & in omnibus Eccleſiis Societatis Jeſu omittitur in iiſdem primis Veſperis commemoratio de Die infra Octavam S. Franciſci Xaverii : ita denique nullam habet commemorationem Dies infra Octavam S. Geraldi Epiſcopi Confeſſoris itidemque Patroni in Eccleſiis Bracharenſibus in Luſitania , in quibus dictum Feſtum celebratur die quinta ejuſdem Decembris cum Octava.

In Eccleſiis autem Cathedralibus , ubi hoc Fe- 1276
ſtum Conceptionis Beatę Marię Virginis eſt Titulare , vel Patronale Civitatis aut Regni , prout eſt ſub hoc myſterio Patrona Regnorum Auſtriaci , Polonici , Bohemici , Neapolitani , Sardinici , Siciliani , Luſitani , Hiſpanici , & forſan aliorum : ibi Epiſcopi ex loco conſueto deſcendunt aſſociati de more à ſuis Canonicis & Dignitatibus ad proprias Eccleſias , primas Veſperas Pontificaliter cantaturi de Titulari , vel reſpectivè de Patrona , ex Cęremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *capitul.* 1. §. 2. *pagin. mihi* 184. juxta noviſſ. edit. Roman. de Anno 1729. ſub Benedicto XIII. ultimo ejuſdem Cęremonialis Recognitore , ubi initio adeſt ejus Bulla , quę incipit *Licèt aliàs* , emanata anno 1727. die verò 7. Martii : ibi igitur ſic revera habetur : *ſi Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam die ſequenti celebraturus , Veſpera ſolemniùs peraguntur , quàm ſi non eſſet celebraturus : quod præcipuè in his Vigiliis obſervari ſolet , videlicet* (cęteris omiſſis) *Sancti Titularis Eccleſiæ , & Patroni Civitatis* : quòd ſi Conceptio eſt Patrona Regni , eſt Patrona conſequenter cujuſvis Urbis

bis in eo Regno exiſtentis, quia Partes conſtituentes Totum, ſunt de natura Totius. Itaque ornanda erit Eccleſia Cathedralis foris & intùs eo modo, quo ex eodem Ceremoniali diximus, ſupra in iis, quę ſpectant ad ipſum Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Pſalmi verò decantari debent à Choro, & ab ipſiſmet Canonicis, & Beneficiatis, aliiſque de Capitulo in tono & cantu Gregoriano: ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur:

In fine Veſperarum Epiſcopus ſolemnem largitur Benedictionem per conſueta verba *Sit Nomen Domini benedictum, &c.* ſine tamen publicatione Indulgentiarum, quę nunquàm publicantur in Veſperis, ut habet Ceremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *capitul.* 25. §. 8. *pagin.* 152. & iterum clariùs *libr.* 2. *capitul.* 1. §. 19. *pagin.* 192. Quòd ſi conceſſa exiſtat Indulgentia pro viſitatione Eccleſię Cathedralis à primis Veſperis Conceptionis Beatę Marię Virginis uſque ad Solis occaſum ipſius Feſti, illa è ſuggeſtu notificanda erit a Sacris Oratoribus Civitatis in Dominica pręcedenti, ut Populus copioſiùs interveniat & ad eam devotè acquirendam, & ad Feſtum plenè celebrandum: Agitur enim de Titulari Eccleſię pręcipuę in Urbe, & ideò pręcipuus deberet eſſe concurſus Fidelium ad illam, &, ut ait Pſalmiſta, *uſque ad cornu Altaris*, quod intelligitur de frequenti Populi acceſſu ad Eccleſiam, ita ut ipſa Altaria videant prope ſe multitudinem: Cùm etenim unius devotio alterum excitet ad devotionem, quantò magis multi ſimul ſumpti excitabunt? ex quo verè provenit, quòd hoc modo magis gaudeamus in Domino, Diem Feſtum celebrantes ſub honore Titularis, vel reſpectivè Patroni. 1277

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

POſt varios ritus, ad quos tractu temporis elevatum eſt Feſtum & Officium de Conceptione Beatę Marię Virginis, ut clarè patet ex prę miſſis, tandem ad complementum operis Clemens Undecimus ſequentem edidit Conſtitutionem, videlicet: *Clemens Papa XI. ad perpetuam rei memoriam.* = *Commiſſi nobis divinitùs*, cęteris omiſſis devotum Pontificis finem reſpicientibus in conſtituendo; deinde ſic habet: *Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ ubique Terrarum in poſterum ab omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ſicut alia Feſta de præcepto ſervari, & celebrari, ac ſub præcepto obſervationis Feſtorum comprehendi, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus.* Ita in particulari Bullario ejuſdem Pontificis *par.* 1. *Conſtitu.* 40. *edita anno* 1708. *ſub die* 6. *Decembris*, *pagin.* 90. & modò reperitur etiam in Bullario Romano noviſsimę editionis Luxemburgenſis *tom.* 8. *ſeu continuat. Conſtitut. itid.* 40. Itaque à dicto recenti anno hoc Feſtum eſt pręceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Celebratur autem ſub ritu duplici ſecundę claſsis in colore albo. 1278

Quoad Officium in ipſo Feſto celebrandum. Matutinum eſt proprium, & dicitur prorsùs, ut hodie in Breviario, exceptis Antiphonis ex Pſalmis 1279

mis Noctunorum ex ejus Officio parvo ſumendis. In tertio tamen Nocturno mutatur nona Antiphona, dicitur enim *Angelus Domini*, quę Antiphona verè convenit huic Tempori Adventus. Ad Laudes ſimiliter omnia ſunt propria, ſed in tertia Antiphona pro *exorta*, non dicitur *concepta*, nam uſu communi non mutatur hoc verbum, quod cęteroquin convenit & Conceptioni, & Nativitati, ut ritè intelligenti patet, ait Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 7. *capitul.* 2. *die* 8. *Dec. in fine*. Repetita de more Antiphona ad *Benedictus*, dicitur Oratio propria; in qua habetur nomen Conceptionis: nemo autem alio nomine uti debet; ſiquidem Sacra Congregatio Univerſalis Inquiſitionis coram Gregorio XV. mandat & pręcipit omnibus & ſingulis Perſonis Eccleſiaſticis, tam Sęcularibus, quàm cujuſvis Ordinis Regularibus, ut in Sacroſancto Miſſę Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publicè quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti debeant, ut videre eſt apud Chærubinum *in Bullar. Rom. tom.* 3. *Conſtitut.* 29. *ejuſd. Pontific. quæ incipit* Sanctiſsimus, *edita anno* 1622. *ſub die* 24. *Maii*, quam plures habent relati in mea Collectione de Regularibus cujuſcunque Ordinis, *tom.* 2. *ſub numer. marg.* 2139. *pag.* 372. Forſan, quia apud Aliquos vocabatur ad examen, utra celebrari dicenda eſſet Deiparæne *Conceptio*, an *Sanctificatio*, ut habet Ludovicus Thomaſsinus *de Dier. Feſtor. celebrat. libr.* 2. *cap.* 5. *ſub num.* 10. *pag.* 48. *juxta edit. Venet. de anno* 1729.

Ad dictas Laudes poſt Orationem Feſti, non 128 fit commemoratio, niſi de Feria Adventus, & ante eam fit commemoratio de aliqua Die Octava alicubi forſan hodie occurrente, ut in Eccleſia Tudenſi in Hiſpania incidit Dies Octava de Dedicatione illius Cathedralis. De Die verò infra Octavam nihil fit in his Laudibus, & ideò Curię in Rhetia omittitur commemoratio de ſexta Die infra Octavam S. Lucii: nihil de Die itidem ſexta infra Octavam S. Franciſci Xaverii

apud Clericos Regulares Societatis Jeſu. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, non verò *Qui venturus es in Mundum*, & optimam tradit rationem Arnaudus *in Epith. Sacror. Rit. tract. 2. par. 1. tit. 21. ſub numer. 2. pag. mihi* 313. quia ſcilicet concurrentibus duobus Verſibus propriis, uno ratione Temporis; altero verò ratione Feſti (ut in noſtro caſu) præferri debet ratio Feſti, & ejus Octavæ. Ad alias denique Horas omnia dicuntur ut in in proprio, ſed Hymni omnium Horarum clauduntur cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*.

Quòd ſi hodie occurrat Dominica, quæ ſemper erit ſecunda Adventus, translato in Eccleſia Univerſali Feſto Conceptionis ad diem nonam ſequentem in Feria ſecunda, Officium erit de Dominica ſub ritu ſemiduplici in colore violaceo. Itaque omnia dicuntur ut in Pſalterio, & in Proprio illius Dominicæ. Ad Laudes reviviſcunt commemorationes de Diebus infra Octavas alicubi occurrentibus, quæ ratione Feſti Conceptionis omittebantur. Ad Primam dicitur Pſalmus *Confitemini*, & Symbolum *Quicunque*: itidem in Reſponſorio brevi Verſiculus de Adventu *Qui venturus es in Mundum*, cum Precibus Dominicalibus: Ad alias verò Horas omnia dicuntur ut in Dominica, neque ultima ſtropha Hymnorum mutanda eſt, quia nondum incœpit Feſtum Conceptionis. Diximus ſupra, quòd in prædicta occurrentia Dominicæ, transfertur Feſtum Conceptionis in Feriam ſecundam ſequentem, quæ non eſt impedita in Eccleſia Univerſali: Ubi autem eſt impedita, transfertur ulteriùs infra Octavam: ita Aquilejæ in Foro Julii, & Parentii in Hiſtria: *Die 8. Dec. Domin. 2. Adventus, 2. claſſis col. viol. de ea; ſemid. = Die 9. Fer. 2. Syri Epiſc. Confeſs. ſemid. = Die 10. Fer. 3. Translat. Almæ Domus Lauret. dup. maj. = Die 11. Fer. 4. Damaſi Pp. Confeſs. ſemid. = Die 12. Fer. 5. Concept. B. M. V. dup. 2. claſs. fuit 8. hujus*. Imò 1281

dari

dari poteſt caſus, in quo Feſtum Conceptionis transferatur extra totam ſuam Octavam, & ultra: ita Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Baſſi Epiſcopi & Martyris: *Die 8. Dec. Domin. 2. Advent. 2. claſs. col. viol. de ea, ſemid.* = *Die 9. Fer. 2. Proculi Pp. Conf. ſemid.* = *Die 10. Fer. 3. Translat. Almæ Domus Lauret. dupl. maj.* = *Die 11. Fer. 4. Damaſi Pp. Confeſs. ſemid.* = *Die 12. Fer. 5. Octava S. Baſſi Titularis, dup.* = *Die 13. Fer. 6. Luciæ Virg. Mart. dup.* = *Die 14. Sabb. Spiridionis Epiſc. Conf. ſemid.* = *Die 15. Domin. 3. Advent. dupl. 2. claſs. col. viol. de ea, ſemidupl.* = *Die 16. Fer. 2. Euſebii Epiſc. Vercell. Mart. ſemid.* = *Die 17. Fer. 3. Lazari reſuſcitati Epiſc. Confeſs. ſemid.* = *Die 18. Fer. 4. Expectat. Part. B. M. V. dupl.* = *Die 19. Fer. 5. Concept. B. M. V. dupl. 2. claſs. fuit 8. hujus.*

At quid dicendum, ſi in Feſtum Conceptionis incidat apud Regulares alicujus Urbis Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, quæ ibi celebrari debet ſub ritu duplici ſecundæ claſſis? Certè in ſola ritus paritate attenditur major dignitas Feſti. Quænam erit major dignitas in hoc caſu, Conceptionis, vel Dedicationis? Salvo meliori judicio, ego celebrarem Dedicationem, translata Conceptione, & conſequenter in occurrentia Dominicæ, priùs reponerem ex duobus translatis Dedicationem, deinde Conceptionem, quia illa eſt Feſtum Domini, hæc verò Feſtum Dominæ. Nec valet exemplum Aſſumptionis ejuſdem Beatæ Virginis excludentis in occurrentia Dedicationem, ubi eſt duplex primæ claſſis, & ideò paris ritus, quia ibi non concurrit ſola ritus paritas, ſed privilegium illi tantùm Solemnitati conceſſum, ut videre eſt ſupra in ipſo Die Aſſumptionis, & diximus in Feſto Nativitatis ipſius Beatæ Virginis, cujus ritus eſt æqualis cum iſto Conceptionis: licèt Halden ibidem citatus diverſimodè ſentiat, quia ſupponit ritum in Aſſumptione, non Privilegium, & ex paritate ritus in aliis Feſtis Beatæ Virginis infert translatio- 1282.

nem

nem Dedicationis, quod mihi (ut verum fatear) non ſatis probatur.

Hoc unum etiam eſt notandum in translatione Conceptionis extra Dominicam incidentis in caſu ſupra propoſito Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ſimul occurrentis apud Regulares illius Urbis, in qua contingit celebrari dictam Dedicationem; ſiquidem ſi reponi ibi non poſſit intra Octavam, reponenda erit Conceptio in ſua Die Octava, cùm Regulares non agant Octavam de Dedicatione Cathedralis: niſi tamen in illa Eccleſia non occurrat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis. Quod autem ſic fieri poſſit, ſatis ſuperque probavimus tum auctoritate tum etiam ratione *tom. 1. de Dieb. Oct. S. Steph. Protomart. & Joan. Evang. ac etiam SS. Innoc. Mm.* In caſu verò hujuſmodi translationis & repoſitionis totum fit ut in ejus Feſto, nihil verò de Die Octava, exemplo deſumpto ex Feſto Nominis Beatæ ejuſdem Mariæ Virginis, quando Dominica occurrit in Die Octava Nativitatis ejuſdem. Sicuti autem Octava incipit à ſuo Feſto principali, ſic in diebus ante repoſitionem Feſti, nihil fit de ea, ut clarè patet, & ideò ad Primam dicitur Verſiculus de Adventu *Qui venturus es in Mundum*, nec Hymni mutant clauſulam. 1283

Prædicta tamen omnia conſiderant Feſtum Conceptionis ut duplex ſecundæ claſſis, prout eſt in Eccleſia Univerſali. Ubi verò celebratur ſub altiori ritu primæ claſſis, ut celebratur in Regnis Hungarico & Bohemico, in toto Archiducatu Auſtriaco, & in omnibus Eccleſiis eidem Conceptioni dicatis, ſi occurrat Dominica, in ea celebratur, lecta ad Matutinum nona ejuſdem Dominicæ Lectione, & facta commemoratione in Laudibus. Cæterùm ſi in aliqua eorumdem Regnorum Eccleſia occurrat Dedicatio propria, ſub eodem ritu duplici primæ claſſis, majori ratione transferrem ibi Feſtum Conceptionis, celebraturus Dedicationem; nam ſi transferrem ratione ritus duplicis ſecundæ claſſis, ut 1284

ſu-

ſupra diximus, & verum credimus, multo magis in altiori ritu primæ claſſis. Quodcunque verò aliud Feſtum primæ claſſis occurreret, ſi tamen occurrere poteſt, procul dubio præferenda eſſet in celebratione Conceptio ſub eodem ritu, & illud aliud Feſtum transferendum, quia in hujuſmodi ritus paritate major dignitas danda eſt Conceptioni.

Si verò in Feſto Conceptionis forſan alicubi ſimul occurrat Feſtum ſemiduplex, erit de eo agendum die ſequenti infra Octavam, ſi non eſt impedita, ut ſupra diximus *tom. 1. de Feſto Aſcenſ.* licèt habeatur reponendum duplex translatum. At ſi ſequens Dies fuerit impedita, ſemiduplex illud transfertur poſt totam Octavam in primam diem non impeditam juxta Rubricas. Hoc tamen privilegium, quo gaudet ſemiduplex, non eſt habiturum Feſtum duplex inferioris ritus in Die Conceptionis occurrens, ſi habeatur aliud duplex ejuſdem ritus priùs translatum, quod nullam habet contradictionem apud Rubriciſtas. 1285

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in ipſo Feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Miſſa in Feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis eſt propria, & dicitur in colore albo, cum *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione Feriæ. At ſi alicubi occurrat Dies Octava, ut ejus occurrentiam retulimus ſupra in primis Veſperis, dicitur ſecunda 1286

Ora.

Oratio de ea, & tertia de Feria. De Die verò alicubi occurrente infra Octavam ſpecialem; nihil fit in hodierna Miſſa, nam neque facta fuit ejus commemoratio in Officio; vigore Rubricæ tum Breviarii *de Commemorat. tit. 9. ſub numer.* 6. tum etiam Miſſalis; itidem *de Commemorat. tit. 7. ſub num.* 1. Dicitur ſimiliter & *Credo*, nec non Præfatio de Beata Maria *Et te in Conceptione*. Hoc tamen loco opportunè notandum eſt, quòd Tobias Lohner *de SS. Miſſæ Sacrific. par. 2. de Ritib. tit. 20. de Præfat. ſub numer. 5. pag. 65. juxta edit. Venet. in octavo, de Anno* 1734. putat ex motivo, quòd permiſſum ſit, Feſtum Immaculatæ Conceptionis cum Octava, addi poſſit in Præfatione *Et te in Immaculata Conceptione*: & eo magis movetur, quia Diœceſes aliquæ Germaniæ (ut ipſe ſubdit) in ſuis Directoriis ſic monent. Sed cùm Rubrica Miſſalis etiam noviſſimi tam in Ordine Miſſæ, quàm in ipſo Feſto Conceptionis dicat tantùm *Et te in Conceptione*, ſic omninò ſervandum eſt, & conſequenter nihil addendum abſque novo Decreto. Ideoque Auctorem hunc in pluribus à me ſecutum & commendatum, in hoc non laudo, cùm Bullæ Pontificiæ in fronte Miſſalis appoſitæ unanimiter præcipiant, nihil addi vel detrahi; nulla admiſſa excuſatione. Et facit quoad hoc ſequens noviſſima Declaratio, nempè: *In Officio votivo Immaculatæ Conceptionis, in Antiphona, quæ dicit*: Poſt Partum Virgo inviolata permanſiſti, *dici non poteſt* Immaculata: *ita Sacra Rituum Congregatio in Einſidlen. ſub die* 23. *Junii* 1736. apud P. Merati *tom. 2. par. 1. in Indice, ſub num.* 334.

Miſſale autem Ambroſianum Mediolani impreſ- 1287
ſum habet hodie Præfationem à Romana diverſam, & ideò propriam, quam de more noſtro volumus hoc proprio loco per extenſum ponere, licèt recitetur dumtaxat in Eccleſiis illius Ritus, quia forſan rem, ut ſperamus, gratam faciemus Lectori Eccleſiaſtico, ſpecialium Rituum, præſertim in viridi adhuc obſervantia exiſtentium,

tium, religiosè curioſo. Eſt igitur ea, quæ ſequitur, breviter concepta, & fideliter à nobis ex eodem Miſſali tranſumpta, videlicèt: *Verè dignum & Juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Recenſemus enim præclariſſima Conceptionis Diem, quo glorioſiſſima Dei Genitrix, intemerata Virgo Maria, Stella coruſca & admirabilis, Mundo concepta eſt. Quæ nobis perennis vitæ Januam, quam Eva in Paradiſo clauſerat, reſeravit: noſque de tenebris ad lucis antiquæ gaudia revocavit, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, &c.* Si verò in Eccleſiis Regularium in aliqua Civitate exiſtentibus occurrat Dedicatio Cathedralis, quæ apud ipſos eſt Feſtum duplex ſecundæ claſſis, & credimus dignius Feſto Conceptionis ex ſuperiùs dictis, translata Conceptione, Miſſa dicetur de Dedicatione cum *Gloria*, & ſecunda Oratione Feriæ, cum *Credo*, & Præfatione communi.

1288 Quotieſcunque autem in hanc Diem Conceptionis incidat Dominica ſecunda Adventus, Miſſa erit de eadem Dominica in colore violaceo, ſine *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de Beata Maria *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, &c.* & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, cum *Credo*, & Præfatione communi, & ante ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ. Ita occurrente Die Octava in hac Dominica, dicitur in Miſſa ſecunda tantùm Oratio de Octava, juxta Rubricam Miſſalis *de Oration. tit. 9. ſub numer.* 10. Dies tamen infra Octavam ſpecialem alicubi occurrentem, quæ ex ſuperiùs dictis omittenda erat in Miſſa de Conceptione, locum habet in Miſſa de Dominica, nec tamen dicitur tertia Oratio ex eadem Rubrica. Dicta Miſſa de Dominica dicenda etiam erit apud Regulares, in Eccleſiis illius Civitatis, in quibus ipſi commorantur, ſi forſan hodie incidat Dedicatio Cathedralis, cujus Feſtum apud eoſdem tanquàm du-

duplex ſecundæ claſſis transferendum eſt in occurrentia Dominicæ. Quòd ſi Feſtum Conceptionis ſit duplex primæ claſſis, prout in pluribus Regnis, & in omnibus Eccleſiis Fratrum Minorum totius Ordinis S. Franciſci, ubi eſt Patrona, nec non in nonnullis Eccleſiis eidem dicatis, Miſſa dicitur de Conceptione, etiam in occurrentia Dominicæ, cum commemoratione de Feria, vel reſpectivè de Dominica; & cum Evangelio ejuſdem Dominicæ in fine. Idem dicendum, ſi in aliqua Civitate occurrat Dedicatio Cathedralis, nam etiamſi ibi Conceptio eſſet primæ claſſis, adhuc Miſſa meo judicio erit de Dedicatione ratione majoris dignitatis, cum commemoratione, ut ſupra, Feriæ, vel Dominicę.

Ubi verò in diem octavam Decembris incidat 1289
Dedicatio Cathedralis vel Eccleſię Collegiatę, licèt ibi transferenda ſit Conceptio, cantandę tamen erunt duę Miſſę; nam data hujuſmodi occurrentia in Feſto Nativitatis Beatę Marię Virginis, duas Miſſas eſſe cantandas declaravit Sacra Rituum Congregatio anno 1604. ſub die 16. Octobris, ut refert Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 5. *ſub numer.* 4. quod enim prędicatur de uno, prędicatur de cęteris paribus, & ubi idem caſus contingit, eadem Lex eſt ſervanda, cum à ſimili valeat argumentum. Non tamen cantandæ ſunt duæ Miſſæ (ſi hodie fiat de conceptione) in Congregatione Regulari Vallisoletana Ordinis S. Benedicti de Hiſpania, cui approbata quidem fuit immemorabilis conſuetudo cantandi poſt Primam ſingulis Diebus Miſſam Votivam de Beata Maria non tamen omiſſa Conventuali, ſed cum exceptione quorumdam Feſtorum, inter quos Dies exceptos comprehenduntur omnes illi Dies, in quibus celebrari debet peculiare Feſtum in honorem Beatæ Virginis, juxta præſcriptum in Kalendario Romano, prout excepit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1633. *ſub die* 19. *Decembris*, apud Thomam Paſcuccium *in Compend.*

pend. ad Conſultat. Canon. Jac. Pignatell. par. 2. *tit. de Miſs. Sacrif. pag.* 31. *juxta edit. Venet. de anno* 1716. *poſt Roman. de anno* 1699. & refert etiam noviſſimè Reverendiſſimus P. Merati in ſuis perutilibus Additionibus ad Gavantum *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice ſub num.* 273. *pag.* 1378.

1290 Attamen, ſive fiat hodie de Feſto Conceptionis, ſive eo tranſlato, agendum ſit de Dominica occurrente Adventus, ſi in aliqua Eccleſia occurrat Expoſitio SS. Sacramenti pro Oratione quadraginta Horarum, non erunt ibi cantandæ duæ Miſſæ, una de Feſto, & altera de SS. Sacramento, ſed una tantùm de Conceptione, vel reſpectivè de Dominica, cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione, ut in Conſtitutione nona ad hanc rem emanata, ſub paragrapho decimo, ſic præcepit *Clemens XI. in ſuo particulari Bullario, par.* 2. & modò reperitur etiam *in Bullario Romano, tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut. itid.* 9. In Miſſis autem privatis, ſi fiat de Feſto ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, cum commemoratione Feriæ, ſi verò ſub ritu duplici primæ claſſis, cum commemoratione de Feria, vel reſpectivè de Dominica incidente, abſque Oratione SS. Sacramenti, quam in prædictis duobus Duplicibus omittendam eſſe, declaravit Sacra Rituum Congregatio in ſequenti reſponſione data Canonicis Regularibus Lateranenſibus ad quartum Dubium, ſcilicèt: *Quæritur, an in Miſſa privata de Sancto duplici, vel ſemiduplici, de quo tali die ſit Officium, facienda ſit commemoratio de SS. Sacramento expoſito occaſione quadraginta Horarum?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio reſpondit, *Poſſe, ſed omittendam in Feſtis primæ, & ſecundæ claſſis: Die* 2. *Decembris* 1684. *N. Card. Ludoviſius. L.* ✠ *S. Bernardinus Caſalius Sacr. Rit. Congr. Secretar.* Hæc autem Reſponſio eſt apud me integra ut ſupra, unà cum aliis tredecim eadem die emanatis, ſed nunc ad rem non facientibus: & eam diviſim ab aliis refert Franciſcus Monacellius *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1.

pag.

pag. 51. *ſub num.* 2. & etiam noviſſimè P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice ſub num.* 471.

Ubi autem Miſſa dicenda eſt de Dominica ſecunda Adventus, quia Conceptio ut ſecundæ claſſis eſt transferenda, in Miſſis privatis tempore Expoſitionis pro Oratione quadraginta Horarum, ſecunda Oratio dicitur, ut in dicta Dominica ſecunda, nempè de Beata Maria *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero*, & tertia pro *Papa*, vel *Eccleſiæ tuæ*, quarta verò de SS. Sacramento; nam hoc videtur legitimè inferri ex ſequenti reſponſione Sacræ Rituum Congregationis *in una Canonicorum Regularium Lateranenſium ſub die* 2. *Decembris* 1684. in qua dictum fuit, quòd non eſt omittenda una ex aſſignatis Orationibus in Miſſa, veluti tertia *A cunctis*, ſi ſecunda eſſet de Feſto ſimplici, ut ejus loco dicatur Oratio imperata, veluti *Deus refugium*: ſed poſt tertiam Orationem *A cunctis*, poteſt & imperata dici, cùm in Miſſa de Semiduplici, vel Simplici, vel Votiva non ſint neceſſariò dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel ſeptem, ut habet P. Merati *loco proximè citato*, *ſub num.* 476. 1291

Ad majus robur dicendi in Miſſis privatis de Dominica Orationes aſſignatas ante illam de SS. Sacramento expoſito, accedit ſequens Decretum, nempè: *Quando tertia Oratio in Miſſis eſt* ad libitum, *& ex juſſu Summi Pontificis, vel Epiſcopi, debet apponi aliqua ſpecialis Oratio pro publica indigentia, hæc Oratio debet recitari tanquàm ex præcepto in quarto loco, non omiſſa tertio loco illa, quæ eſt* ad libitum, *ſeu pro devotione Sacerdotis eligenda*, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Bergomen.* 17. *Auguſti* 1709. apud eundem P. Merati, *ibidem*, *ſub numer.* 747. Unde ſi dicenda eſt priùs Oratio à Sacerdote eligenda, multo magis Orationes aſſignatæ in Miſſali. Quòd ſi in dicta Dominica non impedita à duplici primæ claſſis occurrat in aliqua Eccleſia commemoratio de Die Octava, vel de Die infra Octavam, in Miſſa 1292

ſole.

ſolemni de eadem Dominica, licèt ſecundæ claſſis, debet fieri commemoratio de SS. Sacramento expoſito poſt illam Octavæ, quia in Miſſis ſolemnibus tantùm Feſtorum primæ & ſecundæ claſſis eſt facienda ſub unica concluſione, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Burgen. anno* 1736. *ſub die* 23. *Junii*, teſte eodem, *ibidem*, *ſub numer.* 684.

Cæterùm hęc Miſſa propria de Conceptione Beatę Marię Virginis, non poteſt infra Annum dici uti Votiva, juxta ſequentem reſponſionem à Sacra Rituum Congregatione datam P. Procuratori Generali Ordinis Capuccinorum, videlicèt: *An Miſsa aſſignata Feſtivitati Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ celebrari poſſit in Sabbatis, ut Votiva?* Ad quod eadem Sacra Rituum Congregatio reſpondit *Negativè, & ita declaravit die* 30. *Septembris* 1679. *Cæſar Card. Fachenettus. L.* ✠ *S. Bernardinus Caſalius Sacr. Rit. Congr. Secret.* Dictam Declarationem, prout ſupra ſtat & jacet, Domi retineo, & eam refert etiam Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 453. *pag.* 1398. ubi tamen addit, quòd ex Rubricis ſparſim in corpore Miſſæ Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis in Miſſali Fratrum Minorum ab Innocentio XII. denuò approbatis, apparet, eandem Miſſam uti Votivam ab ipſis recitari poſſe per Annum. Nota tamen *ab ipſis*: ergo non ab aliis. Et ratio eſt, quia cùm omnia ſint adeò accommodata Feſto, ut extra Feſtum non conveniant, ideò infra Annum non eſt dicenda uti Votiva. Diximus *extra Feſtum*, nam infra ejus Octavam, quæ eſt prorogatio Feſti, dici poteſt: quapropter ſi quis celebrare voluerit de Beata Maria infra hanc Octavam eo die, quo fit de Feſto ſemiduplici, poteſt imò debet dicere propriam de Conceptione, ſed more Votivarum, ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, niſi fuerit Sabbatum, quia tunc *Gloria* tantùm, ut in Eccleſia Univerſali die 11. Decembris in Feſto ſemiduplici S. Da- 1293

maſi Papæ Confeſſoris : & Venetiis etiam die 9. ejuſdem Menſis in Feſto itidem ſemiduplici S. Proculi Epiſcopi Confeſſoris, & die 14. in alio Feſto ejuſdem Ritus S. Spiridionis ſimiliter Epiſcopi Confeſſoris.

Miſſa autem Defunctorum in Die Obitus, præſente Corpore in Eccleſia, hodie cantari poteſt, quia in duplicibus ſecundæ claſſis non habetur clara quoad hujuſmodi Miſſæ decantationem prohibitio. Ubi verò Conceptio Beatæ Mariæ Virginis eſt Patrona Civitatis, vel Regni, aut Titularis Eccleſiæ, & conſequenter ibi celebratur ſub ritu duplici 1. claſſis, dicta Miſſa in Die Obitus, quantumvis urgeat præſentia Corporis, non eſt cantanda: tum quia hoc Feſtum tunc fit una ex illis magnis Celebritatibus, quas obſtare dicit; & ideò excipit Rituale Romanum *tit. de Exequ. rubric.* 5. tum etiam quia omnia duplicia primæ claſſis, ut talia, excludunt hanc Miſſam vigore ſequentis Declarationis, ſcilicèt: *Supplicantibus humiliter Capitulo, & Canonicis Cathedralis Collenſis Sacræ Rituum Congregationi pro declaratione nonnullorum Dubiorum*, inter ea fuit octavum tenoris ſequentis: *An in Duplicibus primæ claſſis, præſente Corpore, poſſit Defunctorum Miſſa cantari: & an dici poſſit una Miſſa privata, deficientibus Clericis in Choro?* Et Sacra eadem Congregatio ad octavum Dubium reſpondit, *Negativè in omnibus: Die 5. Julii* 1698. Dicta declaratio, prout ſupra ſtat & jacet, eſt apud me in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii, quam poſtea video in compendium redactam apud P. Merati in pretioſis Additionibus ad Gavantum *tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num.* 525. 1294

Poſt Miſſam vario ordine dicendam in Die Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſuccedunt ſecundæ Veſperæ, quæ omninò dicuntur, ut hodie in Breviario, cum commemoratione de Feria Adventus. Quòd ſi die ſequenti fiat alicubi 1295

cubi ex integro Officium de Die infra Octavam altioris ritus, in ſecundis Veſperis de Conceptione fit commemoratio illius Octavæ, & Feriæ: non tamen ſic agendum, ſi cras fiat de Feſto infra dictam Octavam, nam tunc deperditur commemoratio Octavæ, & fit dumtaxat illa Feſti ſequentis, & Feriæ: utrumque enim docet Rubrica Breviarii *de Commemor. tit.* 9. *ſub numer.* 6. & in tertiò Notandò *poſt Tabell. Concurr.* Si verò die nona Decembris fiat forſan in Eccleſiis Regularibus alicujus Civitatis de Feſto Dedicationis Cathedralis; Veſperæ (ut reor) erunt de ſequenti; cum commemoratione de præcedenti Conceptione, & de Feria. Et ſic ubi Conceptio eſt primæ claſſis, ſi die ſequenti ibi fiat de Dedicatione, ut de duplici ejuſdem ritus; Veſperas in eadem Eccleſia facerem de ſequenti ob rationem majoris dignitatis; cum commemoratione præcedentis Conceptionis, & Feriæ: Quòd ſi Feſtum Conceptionis, vel ut ſecundæ claſſis, vel etiam ut primæ, concurrat cum Feſto primæ vel ſecundæ claſſis de aliquo Sancto vel Sancta, Veſperæ erunt integræ de Conceptione, juxta ritum utriuſque Feſti æqualem; cum commemoratione ſequentis; & Feriæ. Quòd ſi Conceptio ut ſecundæ claſſis concurrat cum ſequenti duplici primæ claſſis, ut Toleti in Hiſpania fit de S. Leocadia Virgine Martyre Urbiſque Patrona; in primis Veſperis de ſequenti fit commemoratio de præcedenti Conceptione, & de Feria.

At ſi die octava Decembris occurrat Domini- 1296
ca, & die ſequenti fiat de Conceptione tranſlata; Veſperæ erunt de ſequenti Conceptione, cum commemoratione Dominicæ. Si verò die nona in Feria ſecunda occurrat Feſtum ſemiduplex, ut Venetiis Feſtum S. Proculi Epiſcopi Confeſſoris; Aquilejæ in Foro Julii & Parentii ac Tergeſte in Hiſtria Feſtum S. Syri itidem Epiſcopi Confeſſoris; utrobique in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio ſequentis

Semiduplicis, & nihil de Conceptione, cujus Feſtum non eſt adhuc ibi incœptum. Commemoratio autem Dominicæ, ubi transfertur Conceptio in diem immediatè ſequentem non impeditam, nullibi eſt omittenda, quia hujuſmodi Dominica eſt privilegiata, & ideo nunquam deperdit ſuam commemorationem, ſicuti in concurrentia cum duplici ſecundæ claſſis deperdunt cæteræ Dominicæ non privilegiatæ. Quomodo verò regulanda ſit commemoratio hujuſmodi Dominicæ, ſi in eam incidat alicubi aliqua Dies Octava, vide infra ſecundas Veſperas de Die Octava Conceptionis, ubi juxta varias concurrentias ibi expoſitas, ſolutionem habebis.

Si verò Feſtum Conceptionis Beatę Marię Vir- 1297
ginis fuerit Patronale alicujus Urbis, vel Titulare alicujus Cathedralis, Epiſcopus Loci accedet ad celebrandas etiam ſecundas Veſperas Pontificales in ſuam Eccleſiam, à ſuis aſſociatus Canonicis & Dignitatibus, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *libr.* 2. *cap.* 1. §. 3. *pagin. mihi* 184. ubi revera ſic habetur: *Secundæ Veſperæ poterunt etiam per Epiſcopum eadem ſolemnitate celebrari* (intellige, *qua primæ*) *ſaltem in Dominica Reſurrectionis, & in Die Nativitatis Dominica Noſtri Jeſu Chriſti, ac in Feſto Sancti Titularis Eccleſiæ, & Sancti Patroni Civitatis*. Ubi Dictio illa, *ſaltem*, importat neceſſitatem celebrandi Pontificaliter ſecundas Veſperas Feſtorum ibi expreſſorum, non enim cadit ſupra ly *poterunt*, quaſi Epiſcopus poſſit & non poſſit, & ideò ſit in ejus libertate ſolemniter peragere, vel non peragere ſecundas Veſperas, quia agitur de Feſtis præcipuis Urbis & Cathedralis, ad quæ libenter concurrit Populus, cùm etiam in gratiam Populi ſecundas Veſperas feſtivas amantis, Dominica non dividat Veſperas in concurrentia cum Feſto ſemiduplici ſequenti. In ſecundis autem hujuſmodi Veſperis omitti poteſt in ſolemnibus commemoratio ſequentis Semiduplicis, licèt nulla Rubrica, ut verum fatear, hoc expreſsè permittat, ſed Ga-

van-

Digitized by Google

vantus optimus hujuſmodi Legum interpres ſic rationabiliter ſentiat : Hoc tamen intelligendum eſt de Eccleſia Titulari , non per totam Civitatem , licèt per totam eam extendatur Titulus Cathedralis , & Patronatus Urbis , quia ibi revera eſt Solemnitas , ubi eſt Titulus.

1298 At quia pluribus in Locis fieri ſolet , præſertim à Regularibus, ſolemnis Proceſſio poſt Veſperas , manutenenda eſt Eccleſia prima in ſua poſſeſſione , ut patet ex ſequenti Decreto , videlicet : *Conquerentibus Fratribus Servitis Loci Summæ Ripanæ Taurinenſis Diœceſis , ſolitis in Die Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis facere ſolemnem Proceſſionem in honorem ejuſdem glorioſiſſimæ Virginis , de nonnullis aliis ejuſdem Loci prætendentibus facere ſimilem Proceſſionem eodem Die in eodem Loco* : Sacra Rituum Congregatio die 9. Aprilis 1633. reſpondit , *nullo modo eſſe permittendas duas Proceſſiones eodem die in eodem Loco : & ideò in caſu propoſito Fratres Servitas manutenendos eſſe omninò in eorum ſolita Proceſſione Conceptionis : & non licere aliis eodem Die facere ſimilem Proceſſionem* . Hoc Decretum proteſtatur habuiſſe authenticum Hieronymus Nicolius *in Floſculis* ; *verb. Proceſſio* , *ſub numer.* 12. ſed & ad hunc locum Floſculorum, ſub eodem verbo & numero ipſemet Auctor remittit *in Lucubrat. Lib.* 1. *Canon.* 31. *tit.* 11. *de Offic. Judic. Ordin. ſub numer.* 14. *Amplia* 3. *pag. mihi* 51. ubi ratio , quia una turbaret & impediret aliam , & citatum legitur dictum Decretum apud Barboſam *in Sum. Apoſtolic. Deciſ. Collect.* 605. *ſub numer.* 21. *pagin.* 304. & etiam clarè apud Paſcuccium *in Compend. ad Conſult. Canon. Jac. Pignatel. par.* 1. *tit. de Confrater. Sodalit. pag.* 124. *juxta edit. Venet. de Anno* 1716. *poſt Roman. de Anno* 1699.

§. V.

De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Dies infra Octavam Conceptionis Beatę Mariæ Virginis, in quibus fieri poteſt ex integro Officium de Octava, ſunt tantùm quatuor in Eccleſia Univerſali, nempè, nona, decima, duodecima, & decimaquarta Decembris, ſeu ſecunda, tertia, quinta, & ſeptima infra Octavam, non occurrente inter eas Dominica, nam ſi incidat, erunt tantùm tres. Alicubi ratione propriorum Feſtorum poſſunt eſſe minùs quàm quatuor. Alibi nulla Dies infra Octavam, vel quia ibi transferenda eſt Conceptio ratione Dominicæ in ea occurrentis, ad Diem ſeptimam infra Octavam, vel quia in eadem Eccleſia aut Loco non poteſt reponi Conceptio translata, niſi poſt totam ejus Octavam: neque enim hujuſmodi caſus translationis eſt merè metaphyſicus, cùm ſupra quoad hoc datum ſit exemplum Venetiis, & alibi proculdubio dari poſſit, cùm plures dentur Diœceſes, in quibus totum hoc Octiduum plenum eſt Feſtis duplicibus & ſemiduplicibus occurrentibus. 1299

Ubicunque tamen, & quandocunque Officium fit de Die infra Octavam Conceptionis Beatę Mariæ Virginis, fit ſub ritu ſemiduplici, & in colore albo quoad Chorum, Omnia verò dicuntur ut in ejus Feſto, cum nona Antiphona tertii Nocturni *Angelus Domini*, *&c.* Lectiones autem 1300

tem in primo Nocturno dicuntur de Scriptura occurrente, ſed in ſecundo & tertio ſunt quotidie propriæ. Ad Laudes fit commemoratio de Feria Adventus: die verò decima Decembris additur commemoratio de Feſto ſimplici S. Melchiadis Papæ & Martyris: Ad tollendum autem omnem ſcrupulum quoad nonam Lectionem Feſti ſimplicis alicubi occurrente, ecce recentiſſimum ad rem Decretum ſequentis tenoris, ſcilicet: *An in Feſto S. Luciæ die decima tertia Decembris in Officio poſſit legi nona Lectio propria alicujus Sancti ſimplicis, ut de S. Judoco Confeſſore ſolet legi in hac Diœceſi, de quo illa die fit commemoratio?* Sacra Rituum Congregatio reſpondit, *Affirmativè*, *in Brugen.* 23. *Junii* 1736. & idem omninò confirmavit *in Mechlinen.* 16. *Februarii* 1737. *ad* 6. *Dubium*, ut refert P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub numer.* 320. Ubi tamen ſimul incidit alia Dies infra Octavam minùs dignam, cujus Feſtum ſit duplex ſecundæ claſſis, ut apud Societatem Jeſu Octava S. Franciſci Xaverii, ibi ad Laudes de Die infra Octavam Conceptionis fit commemoratio de illa Die infra Octavam particularem ante commemorationem feriæ, quia in paritate ritus Officium fit de Octava digniori, cum commemoratione de minùs digna. Quòd ſi alicubi occurrat alia Octava, cujus Feſtum principale ſit duplex primæ claſſis, tunc Octava Conceptionis cedit alteri Octavæ altioris ritus: ſic Toleti in Hiſpania die decima quarta Decembris fit Officium de Die ſexta infra Octavam S. Leocadiæ Virginis & Martyris, Urbiſque Patronæ, cum commemoratione de ſeptima Die infra Octavam Conceptionis, & poſtmodùm de Feria: ſic Oveti in eadem Hiſpania die duodecima, & decima quarta ejuſdem Decembris fit de Die tertia, & reſpectivè quinta infra Octavam S. Eulaliæ Virginis & Martyris, & illius Civitatis itidem Patronæ, cum commemoratione Conceptionis, & Feriæ.

Cur autem Octava Conceptionis, quæ videtur 1301

dignior, cedat Octavæ Patroni Loci, & Titulari Eccleſiæ, optimam tradit rationem Guyetus *in Heortolog. libr.* 4. *ſect.* 1. *qu.* 5. *pag.* 252. quia ſcilicet dignitas Perſonæ non attenditur, niſi in æqualitate claſſis: ergo quæ ſunt claſſis ſuperioris præferri debent ſemper aliis, quæ ſunt inferioris, licèt aliunde Perſona ſit dignior: *Hæc ille*: & ideò Conceptio, quæ eſt ſecundæ claſſis cedit Patrono vel Titulari, qui eſt primæ claſſis: Quòd autem Feſto principali, cedit & ejus Octavæ, quia Acceſſorium ſequitur naturam ſui Principalis. Præterquàm quòd ſic bis declaravit Sacra Rituum Congregratio, nempè *die* 16. *Octobris* 1604. ubi dixit, quòd ſi Eccleſiæ Dedicatio (quæ eſt primæ claſſis) occurrat in Feſto Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ (quod eſt ſecundæ claſſis) fiat de ea, & infra Octavam fiat de digniori, ut habet Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 8. *capit.* 5. *ſub numer.* 4. Si in Feſto Nativitatis agendum eſt de Dedicatione: ergo Dedicatio etiam infra Octavam eſt dignior. Sed res clarior fit ex ſequenti reſponſione, videlicet: *Propoſitis in Sacra Rituum Congregatione ad humillimas preces Decani, & Capituli Cathedralis Curienſis ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinale Coloredo nonnullis* Dubiis, inter ea ſecundum fuit tenoris ſequentis, nempè: *Quando duæ Octavæ ſimul occurrunt, ſcilicet Patroni Principalis ſub ritu duplici primæ claſſis, & Beatæ Mariæ Virginis duplici ſecundæ claſſis, de quo infra Octavam ſit dicendum Officium?* Et Sacra eadem Congregatio ad ſecundum Dubium reſpondit, *recitandum Officium de Patrono Principali, cum commemoratione Octavæ Beatæ Mariæ Virginis: & ita declaravit die* 19. *Junii* 1700. Hanc Declarationem ego Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſimi D. Secretarii de propria manu: ſed & illam compendiosè refert P. Merati in ſæpè laudatis, ſemperque laudandis Additionibus ad Gavantum *tom.* 1. *part.* 2. *in Indice, ſub numer.* . . .

1302 Aſt ubi Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Vir-

Virginis eſt duplex primæ claſſis, etiam infra Octavam habet locum à quacunque alia Octava, cujus Feſtum principale ſit ejuſdem ritus, niſi ſit Octava Dedicationis Eccleſiæ, quam meo judicio eſſe digniorem ſupra patet ex rationibus ibi allatis. Itaque ſive Octava ſit de Patrono Loci, ſive de Titulari Eccleſiæ., in Officio de Die infra Octavam Conceptionis fit ad Laudes commemoratio alterius Octavæ, & Feriæ: Cùm enim contrariorum eadem ſit ratio, ſi in ritus inæqualitate cedit Octava Conceptionis alteri Octavæ ritus altioris, in paritate ritus debet retinere ſuam majorem dignitatem, & ſic alteri Octavæ minùs dignæ ſolam concedit commemorationem in Laudibus. Si verò die decima quarta Decembris occurrat Feria quarta Quatuor Temporum, & Officium ſit de ſeptima Die infra Octavam Conceptionis, in primo Nocturno dicuntur Lectiones, ut in Feſto Sanctæ Mariæ ad Nives, de Parabulis Salomonis, *Ego Sapientia habito*, quia in hujuſmodi occurrentia, deficiunt, ut clarè patet, Lectiones de Scriptura occurrente, cùm in ea die habeatur Evangelium, cujus Homilia idcircò legenda eſt pro nona Lectione ad Matutinum.

Quia verò infra hanc Octavam Conceptionis 1303
fieri poteſt de quocunque Feſto novem Lectionum, ſive duplici etiam translato, ſive ſemiduplici, dummodo tamen occurrat, imò & ex dictis de quacunque Die infra Octavam digniorem ſeu altioris ritus, tunc ſi in diem decimam quartam Decembris incidat dicta Feria quarta Quatuor Temporum, ceſſet ratio legendi in primo Nocturno Lectiones ut in Feſto ad Nives, quia non ſumus ampliùs in Officio de Die infra Octavam Conceptionis, de quo intelligit hoc loco Rubrica: & ideò dicuntur in hujuſmodi caſu Lectiones, ut in primo Nocturno de Communi illius Feſti, cum nona Lectione Feriæ ad Matutinum, & cum ejus commemoratione ad Laudes. In quocunque Officio de Feſto novem Lectio-

ctionum (dummodo non ſit duplex primæ , vel ſecundæ claſſis) fit in Laudibus commemoratio Conceptionis , & Feriæ : ſed commemoratio de Feria Adventus fit ſemper , etiam in dictis duplicibus ſolemnioribus : & ſi alibi occurrat alia Dies infra Octavam , fit de ea commemoratio ante vel poſt illam de Conceptione , juxta majorem vel minorem dignitatem ; quod enim ſervatur in toto Officio de Octava , ſervatur in Commemorationibus , ita ut commemoratio dignior locum habeat à minùs digna.

Quoniam autem pluribus Dominiis conceſſum 1304
eſt pro die decima Decembris Officium de Feſto Translationis Almæ Domus Beatæ Mariæ Virginis Lauretanæ , ſub ritu duplici majori , ut pro univerſa Picena Provincia *anno* 1699. *ſub die* 16. *Septembris*: pro toto Statu Eccleſiaſtico *anno* 1725. *ſub die* 23. *Auguſti* : pro Dominio Veneto *anno* 1728. *ſub die* 3. *Julii* : & alibi aliis annis : ideò in ejus Laudibus fit quidem ibi commemoratio Feriæ , & S. Melchiadis , ſed non Conceptionis , quia de eodem non fit bis in Officio . Ubi autem dicta die decima fit de aliqua Die Octava , ut apud Societatem Jeſu occurrit Dies Octava S. Franciſci Xaverii , Octava Conceptionis reaſſumit ibi ad Laudes ſuam commemorationem, quam amiſerat in Feſto dictæ translationis Almæ Domus . Laureti verò ex duplici ratione omittitur commemoratio Conceptionis , & quia eſt Feſtum Beatæ Mariæ Virginis , de qua ut diximus non fit bis in eodem Officio , & quia eſt ibi duplex primæ claſſis , tanquam Feſtum primarium illius Eccleſiæ , quia eſt Domus Genitricis Dei Mariæ , in qua *Verbum caro factum eſt* : Creditur verò , quòd admirabilis hæc translatio contigerit quarto idus Decembris , hora decima , & ideò Laureti eadem hora pulſantur Campanæ pro gratiarum actione.

At quid agendum , ſi dictum Feſtum Transla- 1305
tionis Almæ Domus Lauretanæ transferri forſan contingat in diem decimam quartam Decembris,

(nec

(nec etenim eſt caſus metaphyſicus , ſed facilis translationis) & eadem die occurrat Feria quarta Quatuor Temporum, nam Evangelium Feſti convenit cum illo de Feria licèt diſconveniat Homilia ? Ego in tertio Nocturno legerem Homiliam Feriæ , cum Reſponſoriis de Feſto , abſque nona Lectione . Ad Laudes autem facienda eſſet commemoratio ejuſdem Feriæ: Neque enim in Homilia Feſti habetur aliquid , quod ſpectet ad hanc Almam Domum , ſed S. Ambroſius loquitur de virtutibus Beatæ Virginis , de quibus etiam S. Bernardus in Homilia Feriæ: & ſic me conformarem illi Rubricæ poſitæ in Feſto Expectationis ejuſdem Beatæ Virginis , quod in pluribus Dominiis ex Indulto Apoſtolico celebratur die decima octava Decembris , & hebetur in calce Breviarii inter Feſta particularia Locorum. Itaque in dicta Rubrica ſic dicitur *Si hoc Feſtum venerit in Feria quarta Quatuor Temporum Adventus*, , *loco ſequentis Homiliæ leguntur tres Lectiones Homiliæ ejuſdem Feriæ quartæ*, *cum Reſponſoriis*, *quæ hic aſſignantur* , ſcilicet de Feſto Expectationis .

Ubi tamen infra hanc Octavam Conceptionis fiat de Feſto duplici ſecundæ claſſis , (ut in Civitate Portucalenſi in Luſitania die duodecima Menſis fit de translatione S. Pantaleonis Martyris ſub eodem ritu) in Laudibus fit commemoratio Feriæ Adventus , & non Conce-ptionis. Sed ſi duplex ſecundæ claſſis alicubi venerit die decima Decembris, ut caſus contingere poteſt in Eccleſiis Regularium alicujus Urbis , in qua occurrat eodem die Dedicatio Cathedralis , quæ apud ipſos celebranda eſt ſub dicto ritu, ibi poſt commemorationem Feriæ fit etiam de S. Melchiade Papa & Martyre . Incidente verò Feſto duplici primæ claſſis in dictam diem decimam Decembris, nihil ibidem agendum eſt ad Laudes de Octava Conceptionis , nihilque de S. Melchiade. Quodcunque Feſtum infra hanc Octavam celebretur , ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine* , & ad 1306

Hymnos

Hymnos omnium Horarum dicenda eſt ſtropha finalis *Jeſu tibi ſit gloria*, *qui natus es de Virgine*: niſi Officium alicubi fiat de pluribus Martyribus, cum Hymnis de eorum Communi, quia tunc ad Hymnum dumtaxat Matutini non variatur clauſula, ſiquidem conſideratur propria, eo quòd in ea precemur, ut Deus dignetur nos jungere conſortio Martyrum: ſic Auguſtæ Taurinorum, ubi prima die non impedita infra Octavam fit de SS. Mm. Martiniano, & Sociis ſub ritu duplici ut in Communi, quorum Feſtum fuit 8. hujus.

§. VI.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Diebus infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Miſſa de Die infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſi Officium fuerit de ea, dicitur ut in ejus Feſto, in qua *Gloria in excelſis*, cum ſecunda Oratione de Feria Adventus, & tertia de Spiritu Sancto; vel tertia de Feſto ſimplici, ut die decima Decembris, de S. Melchiade, ubi ſcilicet non extenditur Feſtum Translationis Almę Domus Lauretanæ. Dicitur etiam *Credo*, & Præfatio de Beata Maria cum Verſiculo *Et te in Conceptione*, ut in Miſſali. Ubi autem occurrit aliqua Dies infra Octavam minùs dignam, cujus Feſtum principale ſit duplex ſecundæ claſſis, & Officium ſit 1307

de

de Octava, ibi in Miſſa Conceptionis fit commemoratio de illa Die infra Octavam, & tertia Oratio dicitur de Feria, ut die nona Decembris in Socitate Jeſu, in qua occurrit Dies ſeptima infra Octavam S. Franciſci Xaverii. Si verò Dies infra Octavam fuerit de Feſto duplici primæ claſſis, & Officium fiat ibi de Octava, etiam Miſſa erit de ea, cum commemoratione de Octava Conceptionis, & Feriæ: ita Curiæ in Rhætia die nona Menſis dicitur Miſſa de ſeptima Die infra Octavam S. Lucii: ita Oveti in Hiſpania die duodecima, & decima quarta fit Miſſa de Die tertia, vel reſpectivè quinta infra Octavam S. Eulaliæ Patronæ: ita Faventiæ in Italia die nona ejuſdem Menſis dicitur Miſſa de Die tertia infra Octavam S. Savini: & in omnibus & tribus illis Civitatibus Secunda Oratio eſt de Octava Conceptionis, & tertia de Feria.

Quotieſcunque die decima quarta Decembris 1308 Officium ſit vel de Octava Conceptionis, ut in Eccleſia Univerſali, vel de alia Octava altioris ritus, ut in quibuſdam Eccleſiis particularibus, & in eam diem incidat Feria quarta Quatuor Temporum, Miſſa tam ſolemnis, quam privata erit de illa Feria quarta Quatuor Temporum, in colore Violaceo, ſine *Gloria in Excelſis*, & cum ſecunda Oratione de Conceptione, & tertia de Spiritu Sancto. Quòd autem tertia Oratio dicenda ſit de Spiritu Sancto, licèt Miſſa de Feria quarta Quatuor Temperum præſcribat tertiam, quæ eſt alia ab illa de Spiritu Sancto, id fit, quia ibi non ſupponitur occurrentia Octavæ Conceptionis quæ non erat ante Rubricam: Unde Sacra Rituum Congregatio *anno* 1736. *ſub die* 23. *Junii in Einſilden.* reſpondit, quòd *quando occurrit Feria Quatuor Temporum infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, debet recitari Officium de Die infra Octavam, Miſſæ autem, ſive una cantetur, ſive legantur, ſint de Feria Quatuor Temporum, cum ſecunda Oratione de Octava, & tertia de Spiritu Sancto, quæ ſem-*

per

per dicitur infra Octavas Beatæ Mariæ Virginis, *juxta titul.* 9. *de Oration. ſub numer.* 7. *&* 9. *nam Oratio*, *quæ ibi præſcribitur dicenda ſecundo loco*, *ponitur tertio loco*, ut refert Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. to.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 687.

Sed quænam Præfatio dicenda eſt in hac Miſſa de Feria quarta Quatuor Temporum occurrente die decima quarta Decembris in Officio de Die ſeptima infra Octavam Conceptionis? Rubrica Miſſalis in Proprio de Sanctis videtur velle Præfationem communem: ait enim die decima quinta ejuſdem Menſis in Die Octava Conceptionis: *Si hodie occurrat Feria Quatuor Temporum in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis dicuntur duæ Miſſæ*; *una de Octava*; *altera de Feria cum Orationibus aſſignatis*; *& in hac Miſſa*, *& ſequentibus Quatuor Temporum dicitur ſemper Præfatio communis*: Sed ego obſervo, quòd Rubrica incipit velle Præfationem communem à Die Octava Conceptionis; non verò à Die ſeptima infra Octavam, in qua occurrere poteſt Feria quarta Temporum: Hinc eſt, quod diligentiſſimus P. Merati, teſtis de viſu *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 3. *ſub numer.* 2. *pag.* 102. ait, quòd in Calendariis Urbis, & in novo Miſſali edito Romæ anno 1714. (quòd etiam ego habui ſub oculos Venetiis;) ſic habetur die decima quarta Decembtis: *Si hodie occurrat Feria IV. quatuor Temporum*, *Miſſa dicantur de Feria*; *cum commemoratione Octavæ*; *& tertia Oratione de Spiritu Sancto*; *cum Præfatione de Octava*. Ratio autem eſſe poteſt, quia cùm infra Octavam dicenda ſit unica Miſſa de Feria quarta Quatuor Temporum, in ea ſit commemoratio Octavæ, cujus ratione dicitur Præfatio de Octava: In Die autem Octava cantantur duæ Miſſæ; unde ſufficienter dicta fuit, Præfatio de Octava in prima Miſſa, & conſequenter non eſt neceſſe illam repetere in ſecunda de Feria, in qua neque ſit commemoratio Octavæ.

1309

Cùm

Cùm autem infra hanc Octavam Conceptionis fieri poſſit de quocunque Feſto novem Lectionum, ſive duplici etiam tranſlato, ſive etiam ſemiduplici, dummodo occurrat, ideò in Miſſa hujuſmodi Feſti dicitur ſecunda Oratio Conceptionis, & tertia de Feria Adventus, cum *Gloria*, & *Credo*, & cum Præfatione Octavæ: & ſi Feſtum veniat die decima Decembris, etiam cum quarta Oratione de Feſto ſimplici S. Melchiadis Papæ & Martyris, dummodo Feſtum ea die non ſit de Tranſlatione Almæ Domus Lauretanæ, quia, ut ex inferiùs dicendis patebit, omiſſa Oratione de Octava, ſecunda erit de Feriæ, & tertia S. Melchiadis. Quòd ſi Dies decimaquarta impedita ſit à Feſto novem Lectionum quantumcunque ſolemne, etiam primæ claſſis, & ſimul incidat Feria quarta Quatuor Temporum, in Miſſis privatis, data, vel omiſſa Octavæ commemoratione, juxta ritus qualitatem, fit commemoratio de dicta Feria Temporum, cum ejus Evangelio in fine: Si tamen infra hanc Octavam agendum ſit de Feſto, ſi Feſtum ſit ſemiduplex vel duplex minùs, aut etiam majus, in Miſſa de eo, ſecunda Oratio dicitur de Octava, & tertia de Feria; & ſi occurrat ſimplex, additur quarta Oratio de illo, ut die decima in Eccleſia Univerſali fit de S. Melchiade: Idem dicendum, ubi particulariter fiat de alio Feſto ſimplici, ut die decima tertia Decembris in Feſto S. Luciæ Virginis & Martyris, Pragæ in Bohemia, Auguſtæ Vindelicorum in Rhetia, & Salisburgi dicitur ſecunda Oratio Octavæ, tertia Feriæ, & quarta de Feſto ſimplici particulari S. Othiliæ Virginis, de qua Martyrologium Romanum eadem die. Brixinæ verò in Comitatu Tyrolenſi, quia Feſtum dictæ S. Othiliæ celebratur die decima quarta Decembris ſub ritu duplici majori, in Miſſa de Feſto dicitur ſecunda Oratio Octavæ, & tertia Feriæ. 1310

Ubi verò infra hanc Octavam Conceptionis fit de Feſto duplici ſecundæ claſſis, omiſſa commemora- 1311

mora-

moratione Octavæ, dicitur tantùm in Miſſa Oratio ſecunda de Feria, & ſi tale Feſtum veniat eo die, quo occurrit Simplex, in Miſſis privatis dicitur quidem tertia Oratio de eo, ſed non in Miſſa ſolemni. Quòd ſi Feſtum ſit duplex primæ claſſis, & occurrat die decima Decembris, in Miſſa tam ſolemni quàm privata nihil de Octava, nihilque de Feſto ſimplici S. Melchiadis, & nihilominùs *Gloria*, & *Credo*, ac Præfatio de Conceptione, niſi Miſſa de Feſto haberet forſan alicubi propriam. Impedita tamen die decima quarta à Feſto novem Lectionum, & in eam incidente Feria quarta Quatuor Temporum, in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis cantantur duæ Miſſæ, etiamſi Feſtum ſit duplex primæ claſſis, quia Rubrica Miſſalis *tit.* 3. *ſub numer.* 2. *in fine* excipit tantùm ab hac obligatione Vigilias: ergo non Ferias Temporum. Una igitur cantanda eſt de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam. Itaque ſi Feſtum fuerit ſemiduplex, in ejus Miſſa dicitur ſecunda Oratio de Octava, & tertia de Spiritu Sancto: ſi fuerit duplex minus vel etiam majus, dicitur ſecunda Oratio Octavæ tantùm: ſi fuerit duplex primæ vel ſecundæ claſſis, dicitur dumtaxat Oratio unica & ſemper, cum *Gloria*, & *Credo*. In altera verò Miſſa de Feria quarta Quatuor Temporum in colore violaceo dicenda, & ſine *Gloria*, Orationes dicuntur ut in illa Feria in Proprio de Tempore. In Miſſa tamen de Feſto dicitur Præfatio de Octava, niſi forſam Feſtum habeat propriam: in Miſſa verò de Temporibus dicitur Præfatio communis, ut patet ex ſuperiùs dictis.

Quia tamen in pluribus Dominiis die decima Decembris, quæ eſt tertia infra Octavam Conceptionis celebretur Feſtum Translationis Almæ Domus Laurentanæ ſub ritu duplici majoris, ſi contingat alicubi illud forſan transferri in diem decima quartam Decembris, ſeu in ſeptimam infra Octavam Conceptionis, & ſimul eodem 1312

die

die occurrat dicta Feria quarta Quatuor Temporum, in Miſſa de Feſto, omiſſa commemoratione Conceptionis ex ratione ſuperiùs allata in Officio, fit commemoratio quidem illius Feriæ Temporum occurrentium, attamen in fine legitur Evangelium S. Joannis, non verò illud Feriæ propter ipſeitatem, quam habet cum illo de Feſto: utrumque enim eſt *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*. An verò ob identitatem Evangelii, in Cathedralibus & Collegiatis cantandæ ſint duæ Miſſæ, affirmativè reſpondeo, ſiquidem aliud eſt, quòd non ſit bis dicendum idem Evangelium in una eademque Miſſa de Feria in Die infra Octavam non impedita: & aliud eſt, quòd bis cantetur in duabus Miſſis diſtinctis, interpoſita etiam una Hora Canonica, quæ eſt Sexta: Præterquàm quòd in reliquis Miſſa de Feria omninò differt à Miſſa de Feſto: unde etiam in hujuſmodi occurrentia exequi debemus præceptum Rubricæ volentis duarum Miſſarum decantationem in Feriis Quatuor Temporum occurrentibus in Feſto duplici. In Miſſa denique de dicto Feſto Almæ Domus Lauretanæ dicitur Præfatio de Beata Maria, cum Verſiculo *Et te in Feſtivitate*.

Sive autem Officium ſit de Die infra Octavam Conceptionis, ſive de alia Die alicubi occurrente infra Octavam ſpecialem altioris ritus, ſive etiam de Feſto ſemiduplici, dici poſſunt quæcunque Miſſæ Votivæ privatæ, & de *Requiem*. Quòd ſi quis in Feſto ſemiduplici, vel quando alicubi fit de Die infra Octavam digniorem, dicere velit Miſſam de Beata Maria, dicere debet de Octava tanquam de Tempore, ſed more Votivarum ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, niſi ſit Sabbatum, quia tunc dicitur *Gloria* ratione Sabbati: Et hoc clarè patet ex ſequenti Sacræ Rituum Congregationis Declaratione, nempè: *Septimò quæritur: An qui in Sabbato infra Octavam Beatæ Virginis Mariæ recitat Officium* (intellige ſemiduplex) *de aliquo Sancto, eo die occurrente vo-* 1313

lens celebrare Miſſam Votivam de Beata Maria Virgine teneatur celebrare Miſſam feſtivam cum Gloria, & Credo? Et Sacra Rituum Congregatio, ſupplicante P. Procuratore Generali Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium, ad ſeptimum Dubium reſpondit, *Affirmativè, ſed ſine Credo: & ita declaravit die 2. Decembris* 1684. = *N. Card. Ludoviſius.* = *L.* ✠. *S.* = *Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secret.* Dicta Declaratio eſt apud me, prout ſupra ſtat & jacet, & illam compendioſè refert P. Merati *tom.* 1. *Addit. ad Gavant. part.* 2. *in Indice, ſub numer.* 474. Quòd ſi in Sabbato non dicitur *Credo*: ergo extra Sabbatum neque *Gloria*.

Satis de Miſſa: Accedamus ad Veſperas. Itaque Veſperæ de infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis modò ſunt integræ, modò à Capitulo, modò cum ſola commemoratione, & modò etiam ſine commemorattone. Sunt integrę ſemel in Eccleſia Univerſali, quando non occurrente Dominica, die nona, & decima ſucceſſivè Decembris Officium eſt de Octava, nam die nona Veſperæ ſunt integræ de eadem Octava & dicuntur ut in ſecundis Veſperis Feſti, juxta Rubricam Breviarii *de Octavis, titul.* 7. *ſub numer.* 5. cum commemoratione Feriæ, & S. Melchiadis. Dixi, *in Eccleſia Univerſali*, nam fallit regula in pluribus Regnis, Dominiis, Provinciis, Diœceſibus, Religionibus, in quibus die decima ejuſdem Menſis fit ex conceſſione Apoſtolica Officium duplex majus de Tranſlatione Almę Domus Lauretanæ, quod Feſtum impedit integras Veſperas de Octava Conceptionis, die nona præcedenti. Ubi autem dicto biduo occurrit alia Octava minùs digna, & Officium ſit conſequenter de Conceptione, in Veſperis de Octava digniori fit commemoratio alterius Octavæ particularis minùs dignæ, & Feriæ, ac S. Melchiadis. 1314

Aſt Ubi ſimul occurrit Octava dignior, vel altioris ritus, ſi dictis duobus diebus nona & de- 1315

cima

cima Decembris agendum ſit ibi de illa Octava cum integro Officio, veluti de Dedicatione Eccleſiæ, vel de Octava alicujus Patroni Principalis Loci, Veſperæ dicuntur de Octava particulari, cum commemoratione de Octava Univerſali Conceptionis, ac etiam de Feria Adventus, & ultimo loco de Feſto ſimplici S. Melchiadis Papæ Martyris. In illis autem Regnis, Civitatibus, Religionibus, in quibus Conceptio eſt Patrona, vel in illis Eccleſiis, in quibus eſt Titularis, & conſequenter Feſtum duplex primę claſſis, ſi ſimul ibi occurrat alia Octava ejuſdem ritus ſeu claſſis primæ, Veſperæ ibidem dicendæ ſunt de Conceptione, cum commemoratione alterius Octavæ in Loco vel Eccleſia ſimul occurrentis (licèt ſit de Patrono vel Titulari) & Feriæ, ac etiam de Feſto ſimplici S. Melchiadis. Quòd ſi Conceptio ritum habeat duplicem primę claſſis, & alia Octava ſimul occurrens, ſit de Dedicatione Eccleſiæ, ſicuti in paritate ritus credimus Octavam Dedicationis eſſe digniorem Octava Conceptionis, ſic die nona Decembris in Veſperis de Octava Dedicationis fiet commemoratio de Octava Conceptionis, deinde de Feria Adventus, & poſtmodùm de S. Melchiade.

Dictæ verò Veſperæ de Die infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis ſemel tantùm poſſunt eſſe à Capitulo, & quidem in Eccleſia Univerſali, nempe die undecima Decembris, ſi die ſequenti Officium ſit de Die infra Octavam, ſiquidem in ſecundis Veſperis de S. Damaſo Papa Confeſſore à Capitulo fit de Octava, cum commemoratione de præcedenti ſemiduplici, & Feriæ. Quòd ſi hodie fiat de Octava, & cras de Feſto ſemiduplici, hodie Veſperæ ſunt de Octava uſque ad Capitulum excluſivè, ſed Capitulum de Semiduplici ſequenti, cum commemoratione Octavæ, & Ferię: ita in Eccleſia Univerſali die decima Decembris fit de Octava, & Veſperæ dicuntur à Capitulo de eodem S. Damaſo, cum commemorationibus, ut ſupra. At ſi Of- 1316

ficium hodiernum ſit de altera Octava, vel digniori, ut de Dedicatione, vel altioris ritus, ut de Patrono Loci, aut de Titulari Eccleſiæ, & cras ſiat de Feſto ſemiduplici: vel è contra hodie fiat de Semiduplici, & cras de Octava, in primo caſu Veſperæ erunt à Capitulo de Semiduplici ſequenti, cum commemoratione de Octava particulari, deinde de Univerſali, & poſtmodùm de Feria: In ſecundo verò caſu Capitulum erit de Octava particulari, cum commemoratione de Octava Univerſali, & de Feria. Si verò die decima quarta Menſis occurrat Feria quarta Temporum, in Veſperis illius Diei pro commemoratione ejuſdem Feriæ dicitur Oratio Dominicæ.

1317 Fit autem in Veſperis ſola commemoratio de Octava Conceptionis, ſi hodie fiat de Octava, & cras de Duplici minori vel majori, ut die duodecima Decembris fit in Veſperis de ſequenti Feſto S. Luciæ commemoratio Octavæ, & Feriæ. Quia verò ſi hodie fiat de Feſto ſemiduplici, & cras de Die infra Octavam, Semiduplex habet in Veſperis commemorationem poſt Octavam, ſiquidem Capitulum eſt de Octava, deinde commemoratio de præcedenti Semiduplici: Gavantus tamen quamdam invenit concurrentiam, in qua Feſtum ſemiduplex habet commemorationem ante illam Octavæ, quando ſcilicet hodie fit de Semiduplici, & cras de Duplici minori vel majori infra Octavam, nam Veſperæ ſunt de Duplici ſequenti, cum commemoratione priùs de Semiduplici præcedenti, & poſtmodum de Octava, ut videre eſt apud ipſum *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 11. *ſub num.* 39. ubi etiam tradit exemplum ex Breviario deſumptum in hiſce præciſis noſtris terminis, nam in ſecundis Veſperis ſemiduplicibus S. Thomæ, quando concurrunt ratione translationis cum primis duplicibus S. Silveſtri Papæ, Veſperæ in dicto Breviario ordinantur de ſequenti, cum commemoratione priùs de S. Thoma Cantuarienſi, deinde de quatuor Octavis. Dictam

autem

autem Gavanti obſervationem in ſimilibus retinendam cum laude recipit Guyetus *in Heortolog. libr. 4. ſect. 1. cap. 13. quaeſt. 9. pag. 276. juxta edit. Venet. de anno 1729. poſt Pariſien. de anno* 1657. ubi & ipſum illuſtrat Gavantum novo & pulcherrimo exemplo. In noſtra verò Octava Conceptionis caſus eſt, quando Feſtum Semiduplex S. Damaſi Papæ celebratur die duodecima Decembris in Feria ſecunda, ſiquidem Veſperæ tunc ſunt de Feſto duplici minori S. Luciæ, cum commemoratione priùs de præcedenti Semidupli. ci S. Damaſi, deinde de Octava, & ultimo de Feria.

Non fit denique in Veſperis commemoratio de Octava Conceptionis, ſi die ſequenti vel præcedenti Officium ſit de Duplici primæ vel ſecundæ claſſis: Quòd ſi hodie agatur de Duplici ſecundæ claſſis; & cras fiat Officium de Die infra Octavam, tunc & eo caſu in ſecundis Veſperis de illo Duplici fit commemoratio Octavæ, deinde Feriæ, juxta Rubricas. Datur tamen & alius caſus omittendi commemorationem Octavæ, licèt Feſtum infra eam occurrens; non ſit duplex primæ vel ſecundæ claſſis; nam cùm in pluribus Regnis, Diœceſibus, & Civitatibus die decima Decembris celebretur ex conceſſione Apoſtolica Feſtum de Translatione Almæ Domus Lauretanæ ſub ritu duplici majori; ibi, in utriſque Veſperis omittitur commemoratio de Octava Conceptionis; non quidem ratione ritus, ſed ratione Feſti de eadem Beata Virgine, quia juxta regulam Rubriciſtarum non fit bis de eodem in eodem Officio: & confirmatur ex pluribus Decretis in ſimilibus factis, & ſupra relatis infra Octavam Nativitatis ejuſdem Beatæ Virginis pro Feſto SS. Nominis ipſius. 1318

Cæterùm infra hanc Octavam poſſunt in Veſperis fieri aliquæ commutationes ratione Feſtorum infra eam occurrentium: nam primò, ſi alicubi fiat die decima Decembris de Feſto unius Martyris, nec ibi agatur de Alma Domo Lau- 1319

retana, die præcedenti commutanda eſſet in Veſperis pro Feſto ſimplici S. Melchiadis Papę Martyris Antiphona, Verſiculus & Reſponſorium, & forſan Oratio; quæ omnia ſumenda erunt ex Laudibus in ejus Communi. Alius caſus commutationis in Veſperis dari poteſt pro duobus Sanctis Doctoribus ſucceſſivè celebrandis: Ita anno 1738. apud Minores Obſervantes S. Franciſci: cùm enim die quarta Decembris agant de S. Barbara ſub ritu duplici die verò quinta de Die Octava S. Jacobi de Marchia, & die ſeptima eo anno occurreret Dominica, Feſta duorum SS. Doctorum Petri Chryſologi, & Ambroſii fuerunt neceſſariò translata, & juxta Rubricas optimè repoſita, unum poſt aliud, infra hanc Octavam, nempè die nona Menſis in Fertia tertia Feſtum S. Petri, & die decima Feſtum S. S. Ambroſii in Feria quartą: ideoque conſideratè & benè adnotatum fuit in ſecundis Veſperis de S. Petro Capitulum de Feſto ſequenti S. Ambroſii, cum commemoratione præcedentis per Antiphonam *Amavit eum Dominus*, ut in ſecundis Veſperis de Communi Confeſſoris Pontificis, quia Antiphona *O Doctor optime* reſervata fuit S. Ambroſio Capitulum habenti. Oratio verò S. Petri non eſt in prędicto caſu commutanda, quia licèt in fine conveniat per aliqua verba cum illa S. Ambroſii, per multa verò pręcedentia variat omninò.

Dicta verò concurrentia de duobus Sanctis Eccleſię Doctoribus, cum commutatione Antiphonę in Veſperis, ne bis dicatur, *O Doctor optime*, eſt juxta caſum univerſalem; ſed extra hanc Octavam Conceptionis: quando etenim die ſeptima Martii occurrit aliqua ex Dominicis privilegiatis, Feſtum S. Thomę Aquinatis Doctoris transfertur in diem undecimam ejuſdem Menſis, ideòque ſecundę ejus Veſperę concurrunt cum ſequenti Feſto S. Gregorii Papę itidemque Doctoris: Et cùm hujuſmodi caſus ultima vice contigerit anno 1734. in quo eadem die ſeptima Mar- 1320

tii

tii occurrebat Dominica Quinquageſimę, ego, translato ut ſupra Feſto S. Thomę, pro ejus commemoratione adnotavi in Veſperis ad varietatem Antiphonam de ſuo Communi, ſcilicèt, *Hic Vir deſpiciens Mundum*, ut videre eſt in quarto meo Romano Divinorum Officiorum Decennio *ab anno Domini* 1733. *uſque ad annum* 1742. *incluſivè*: & hoc antea adnotaveram in mea Collectione de Sacris Ritibus edita Venetiis apud Patrem meum Leonardum anno 1730. *ſub numer. margin.* 1399. *pag.* 481. Quia tamen ſupra vidimus translatum Feſtum S. Petri Chryſologi, & eo die celebratum illud S. Barbarę, ortum fuit Dubium, an revera ſic eſset agendum, vel potiùs celebrandum Feſtum S. Petri, translato illo de S. Barbara? Ad quod Sacra Rituum Congregatio *in Einſidlen. ſub die* 5. *Maii* 1736. declarando reſpondit, quòd *ubi celebratur Feſtum S. Barbaræ ſub ritu duplici, etiamſi ſine ſpeciali ſolemnitate, fiet de illa Officium*, prout habet Reverendiſſimus P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 288. *pag.* 694.

In noſtro autem caſu infra Octavam Conceptionis faciliùs poteſt contingere commutatio Antiphonę ad Veſperas & Laudes pro commemoratione S. Ambroſii Doctoris in Eccleſia propria, in qua fit ejus Octava: nam ſi ibi transferatur Feſtum S. Petri Chryſologi itidem Doctoris ratione Dominicę privilegiatę illud quandoque incidentis: die verò ſequenti ſeu quinta Menſis agendum ſit in eadem Eccleſia de aliquo Feſto Diœceſano, Officium dicti S. Petri transfertur infra Octavam Titularis, & ſic forſan in utriſque ejus Veſperis facienda erit dicta Antiphonę commutatio pro commemoratione S. Ambroſii. Ad Laudes verò in dicto Feſto S. Petri ſicut pręfertur translato, ſumenda quidem eſt pro commemoratione S. Ambroſii Antiphona *O Doctor optime*, ſed non tanquàm ex primis Veſperis, ſed tanquam ex ſecundis, ita ut ſi dicta Antiphona non inſerviret pro utriſque, ſumenda eſset ex ſecundis in dictis Laudibus: prout ſumi debet 1321

Verſiculus & Reſponſorium : cùm enim Dies infra Octavam non habeat primas Veſperas , nihil ſumendum eſt ex eis occurrentia identitatis Antiphonę ad Laudes. Quod certè non benè obſervant aliqui Calendariſtę , qui quotieſcunque in Laudibus alicujus Feſti habent ipſeitatem Antiphonę , pro commemoratione ſuę Octavę remittunt ad primas Veſperas : & tamen Rubrica Breviarii *de Octavis* , *titul.* 7. *ſub numer.* 5. clarè pręſcribit , quòd *in Veſperis infra Octavam omnia dicuntur ſicut in ſecundis Veſperis*.

§. VII.

De iis , quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Dominica infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis poteſt eſſe ſecunda , vel etiam tertia Adventus . Erit ſecunda , ſi venerit die nona vel decima Decembris : erit verò tertia , ſi occurrerit die undecima , duodecima , decima tertia , vel decima quarta ejuſdem Menſis . In quamcunque diem infra Octavam inciderit hæc Dominica , ſi non fuerit impedita à Feſto duplici primæ claſſis , Officium fiet ut in Pſalterio , in colore violaceo quoad Chorum , ſub ritu ſemiduplici . Dixi , *in colore violaceo* , quia eſt exceptio regulæ , ſicuti eſt exceptio Dominicæ: nam aliæ Dominicæ non privilegiatæ , infra aliquam Octavam occurrentes , aſſumunt colorem Octavæ : iſtæ verò , majores nuncupatæ , proprium retinent ſibi à Rubrica ſpe-

ſpecialiter conceſſum, licèt infra Octavam occurrant. Multa tamen habet propria hæc Dominica, ſive ſecunda ſit ſive tertia, & ideò ex proprio loco ſumenda. Quia verò incipit à primis Veſperis, nulla die poteſt ipſas habere integras, bis dumtaxat eas dividit à Capitulo, & in reliquis nunquam ſuam amittit commemorationem, non ſolùm quia eſt privilegiata, verùm etiam, quia nulla datur unquam Dominica cujuſvis Temporis, quæ ſaltem in ſuis primis Veſperis commemorationem non retineat, quodcunque ſit Feſtum præcedens cum ea concurrens.

Percurramus tamen cunctos Dies infra Octavam, ut priùs videamus varium Veſperarum ordinem in Eccleſia Univerſali, deinde in particulari. Itaque ſi Dominica veniat die nona Decembris, in ſecundis Veſperis de Feſto Conceptionis fit commemoratio Dominicæ ſequentis, licèt Conceptio in Eccleſia propria celebretur ſub ritu duplici primæ claſſis; & ſi alicubi occurrat aliqua Dies intra Octavam ſpecialem, nihil fit in hiſce Veſperis de ea. Si verò incidat in diem decimam ejuſdem Menſis, Veſperæ in Sabbato uſque ad Capitulum excluſivè ſunt de Octava Conceptionis, ſed Capitulum fit de Dominica ſequenti, cum commemoratione Octavæ Conceptionis, ac etiam de Feſto ſimplici S. Melchiadis Papæ Martyris. Ubi autem die nona in Sabbato occurrit Feſtum ſemiduplex, ut Venetiis de S. Proculo Epiſcopo Confeſſore, iterum Capitulum eſt de Dominica, cum commemoratione Semiduplicis præcedentis, & Octavæ, nec non S. Melchiadis. Quòd ſi die decima in Dominica fiat de Feſto duplici primæ claſſis, ut Laureti in Piceno fit de Translatione Almæ Domus, Veſperæ Sabbati ſunt de Feſto ſequenti, cum commemoratione Dominicæ ſimul in dicto Feſto venientis, non verò de Octava Conceptionis, nec de S. Melchiade. Ubi autem dicta die decima fit de Die Octava alicujus Feſti Octavam habentis, & incidat Dominica, Veſperæ in Sabbato

bato dicuntur, ut infra dicemus de primis Veſperis Diei Octavæ Conceptionis occurrentis in Dominica.

1324 At ſi Dominica infra Octavam Conceptionis incidat in diem undecimam Decembris, Veſperæ iterum ſunt à Capitulo de Dominica ſequenti, cum commemoratione Octavæ: Ubi autem heri actum eſt in Sabbato de aliqua ſpeciali Die Octava, vel de Feſto Almæ Domus, in ſecundis ejus Veſperis fit commemoratio Dominicæ ſequentis; & etiam in primo caſu fit de Conceptione, non autem in ſecundo. Si verò Dominica veniat die duodecima ejuſdem Menſis, Veſperæ dividuntur, nam Capitulum eſt de ſequenti Dominica, cum commemoratione de præcedenti Feſto Semiduplici S. Damaſi Papæ Confeſſoris, cujus Antiphona *Dum eſſet Summus Pontifex*, deinde de Octava Conceptionis; ubi autem dicta die duodecima occurrit alicubi aliqua Dies Octava, & ſimul Dominica, in Veſperis Sabbati fiunt commemorationes, ut ſuo loco dicetur, ubi de Die Octava Conceptionis ſermo erit: caſus verò Diei Octavæ in ſæpè dictam diem duodecimam incidentis, habetur Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Baſſi Epiſcopi Martyris, ubi Dies Octava ejuſdem Titularis: Quòd ſi eadem die duodecima occurrat in aliqua Eccleſia Feſtum duplex primæ claſſis, Veſperæ in Sabbato ſunt de ſequenti, cum commemoratione Dominicæ craſtinæ, non verò S. Damaſi præcedentis, neque Conceptionis.

1325 Occurrente verò Dominica in die decima tertia Decembris, in primis Veſperis de S. Lucia Virgine & Martyre, ubi eſt Titularis, fit commemoratio ejuſdem Dominicæ ſequentis, non verò Octavæ Conceptionis: & ſi alicubi in dictam diem decimam tertiam incidat Feſtum ſimplex particulare, ut Pragæ in Bohemia, Auguſtæ Vindelicorum in Rhætia, & Saliſburgi in confinio Tyrolis, incidit Feſtum ſimplex S. Ottiliæ Virginis, ibi in Veſperis Sabbati omittitur com-

commemoratio de illo Simplici : Ubi autem Feſtum S. Luciæ non eſt Titularis, Veſperæ in Sabbato dividuntur à Capitulo de Dominica ſequenti, & fit commemoratio Octavæ, de qua actum eſt ea die, ac de Feſto ſimplici itidem ſequenti, ubi ſpecialiter occurrit, prout ſupra vidimus. Si denique hæc Dominica intra Octavam veniat die decima quarta, tunc in ſecundis Veſperis de S. Lucia fit commemoratio ſequentis Dominicæ, & Octavæ, cujus tamen Octavæ commemoratio omittitur, ubi S. Lucia eſt Titularis Eccleſiæ. Quæcunque vero ſint Veſperæ in Sabbato ad Hymnum ejuſdem Metri dicitur clauſula de Beata Maria *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*, ita & ad Completorium: Dixi, *ad Hymnum ejuſdem metri*, nam ubi fit de Alma Domo Lauretana, ſive occurrat in Sabbato, ſive in Dominica ubi eſt duplex primæ claſſis, prout eſt Laureti in Piceno, ad Hymnum Veſperarum in Sabbato, ſeu ad *Ave Maris Stella*, non fit mutatio clauſulæ, quia non eſt ejuſdem metri.

Quoad Officium in ipſo Die Dominica infra Octavam Conceptionis celebrandum, ſi illud fit de eadem Dominica, omnia dicuntur ut in Pſalterio, & in Proprio de Tempore, juxta numerum Dominicæ occurrentis, quæ poteſt eſſe modò ſecunda, modò verò tertia Adventus, ut ſupra oſtendimus. Ad Laudes fit commemoratio Conceptionis, ac alterius Octavæ particularis, ſi alicubi occurrat ante vel poſt Conceptionem, juxta majorem vel minorem Octavæ dignitatem, vel ſuperiorem aut æqualem ritum Feſti Octavam ibidem habentis: ſic ſi Dominica veniat die nona Decembris, apud Societatem Jeſu poſt commemorationem Conceptionis fit in Laudibus commemoratio de Die ſeptima infra Octavam S. Franciſci Xaverii Confeſſoris, cujus Feſtum apud illam celeberrimam Societatem celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis: ſic Curiæ in Rhætia fit commemoratio de Die itidem ſeptima infra 1326

Octa-

Octavam S. Lucii Epiſcopi Martyris ante commemorationem Conceptionis, quia eſt Octava de Patrono Loci, & conſequenter de Feſto duplici primæ claſſis. Ad Primam dicitur Pſalmus *Confitemini*, ac etiam Symbolum *Quicunque*, & in Reſponſorio brevi, licèt Officium ſit de Dominica, dicitur Verſiculus de Octava *Qui natus es de Maria Virgine*; non verò de Adventu, & ſine Precibus Dominicalibus ratione Octavæ. Ad omnes verò Horas clauduntur Hymni cum ſtropha de Beata Virgine; nempè, *Jeſu tibi ſit gloria*, &c.

Prædicta tamen valent, ſi Officium ſit de Dominica, quod certè in Eccleſia Univerſali erit ſemper tale, quocunque die occurrat Dominica infra hanc Octavam. Cùm enim hæc Dominica ſit una ex majoribus, & inſcribatur ſecundæ claſſis, non habet univerſaliter impedimentum: & cùm particulariter excludat omne Feſtum duplex ſecundæ claſſis, ideò ſi hæc Dominica venerit die duodecima Decembris, Portucale in Luſitania transfertur Feſtum duplex ſecundæ claſſis de Translatione S. Pantaleonis Martyris, & fit de Dominica privilegiata. Reſtat ergo, ut alicubi impediatur Dominica à Feſto duplici primæ claſſis, & tunc ad Matutinum dicitur nona Lectio Homiliæ in Evangelium Dominicæ, & ad Laudes fit ejus commemoratio, tacita commemoratione Conceptionis: ita Toleti in Hiſpania, ſi Dominica occurrat die nona Decembris, celebratur Feſtum S. Leocadiæ Virginis Martyris Urbiſque Patronæ: ita ſi Dominica incidat in diem decimam ejuſdem Menſis, Oveti in eadem Hiſpania fit de S. Eulalia Virgine Martyre itidemque Patrona, & utrobique ſub ritu duplici primæ claſſis: & nihilominùs ad Primam dicitur Verſiculus de Beata Maria, & ejus clauſula in Hymnis omnium Horarum.

§. VIII.

§. VIII.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Miſſa in Dominica infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſi Officium ſit de Dominica (ut ſemper erit in Eccleſia Univerſali) dicitur, ut in Dominica ſecunda vel tertia Adventus, cùm una vel altera ex dictis duabus Dominicis poſſit occurrere infra hanc Octavam. Dicitur autem in colore violaceo, quia hæc Dominica non reſpicit rationem Octavæ, propter quam aliæ Dominicæ non privilegiatæ aſſumunt colorem Octavæ in Miſſa. Color autem violaceus indicat omiſſionem Hymni Angelici, qui regulam recipit à nono Reſponſorio in Officio. Duę tamen dumtaxat dicuntur Orationes, una ſcilicèt de Dominica, & altera de Octava Conceptionis, juxta Rubricam Miſſalis *de Oration. tit.* 9. *ſub num.* 10. ſed hęc Rubrica non ſupponit aliam commemorationem neceſſariò faciendam, & ideò ſi occurrat, addenda erit poſt illam Octavę, ut ſi Dominica venerit die decima Decembris, tertia Oratio dicetur de Feſto ſimplici S. Melchiadis. Sed & dari poſſunt particulariter etiam quatuor Orationes: ſic dicta die decima Decembris, Bracharę in Luſitania in Miſſa Dominicę dicitur ſecunda Oratio de Conceptione, tertia de ſexta Die in- 1328

fra

fra Octavam S. Gerardi Epiſcopi Confeſſoris, & quarta de S. Melchiade.

Ubi duę ſimul occurrunt Octavę, una ſcilicet univerſalis de Conceptione, altera verò particularis, attenditur modò major dignitas Perſonę in aſſignatione pręcedentię quoad earum Orationes in Miſſa, & modò conſideratur major ritus, quo gaudet Feſtum cum Octava. Itaque in paritate ritus major dignitas datur Conceptioni: ſi verò ritus eſt inęqualis, priorem locum in commemorationibus Miſsę datur Octavę ritus altioris: ſic ſi Dominica veniat die nona Decembris, in Eccleſiis Societatis Jeſu dicitur ſecunda Oratio de ſecunda Die infra Octavam Conceptionis, tertia verò de ſeptima Die infra Octavam S. Franciſci Xaverii: utraque enim Octava habet Feſtum principale duplex ſecundę claſſis: ita ubi Conceptio celebratur ſub ritu duplici primę claſſis, ſi occurrat ſimul Octava ejuſdem ritus, quę ſit de Patrono Loci, vel Titulari Eccleſię (excepta, ut reor, Octava Dedicationis) in Miſsa Dominicę ſecunda Oratio erit de Octava Conceptionis tanquàm de digniori, & tertia de Octava particulari tanquàm de minùs digna: ſic Viennę in Auſtria Conceptio celebratur ſub ritu duplici primę claſſis, ſi in illa Civitate exiſtat aliqua Eccleſia S. Nicolao, vel S. Ambroſio dicata, & die nona Decembris occurrat Dominica, ibi in Miſsa ſit priùs commemoratio Conceptionis, deinde de Octava Titularis. Quòd ſi Conceptio ſit ſecundæ, & alia Octava particularis ſit de Feſto primæ claſſis, in Miſſa Dominicæ ſecunda Oratio erit de Octava particulari, & tertia de Octava univerſali.

In hac Miſſa de Dominica infra Octavam Conceptionis dicitur *Credo*, non ſolùm ratione Octavæ, ſed principaliter ratione Dominicæ, cùm Symbolum dicendum ſit poſt Evangelium in omnibus Dominicis, vigore Rubricæ Miſſalis *de Symbolo*, *tit.* 11. ubi eſt prima regula dicendi *Credo* in Miſſa. Præfatio verò erit de Beata Maria, cum

cum Verſiculo Octavæ, *Et te in Conceptione*. Quia verò hæc Dominica ſoli cedit Feſto duplici primæ claſſis, ideò ubi occurrit, ut ſupra vidimus in Officio, Miſſa erit de Feſto in colore conveniente, in qua dicetur ſecunda Oratio Dominicæ, ſed non de Octava Conceptionis, cujus tamen ratione dicetur Præfatio *Et te in Conceptione*: niſi Feſtum illud primæ claſſis habeat Præfationem propriam, nam ſi Dominica venerit die decima Decembris, Laureti & Recïneti in Provincia Picena, ubi Feſtum Translationis Almæ Domus Beatæ Mariæ Virginis celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, in ejus Miſſa & fit commemoratio Dominicæ, & dicitur Præfatio de Beata Maria, ſed cum Verſiculo *Et te in Feſtivitate*, & legitur in fine Evangelium Dominicæ, cæteroquin legendum ubicunque fit in Dominica Feſtum duplex primæ claſſis.

Sive verò Miſſa ſit de Dominica, ſive de Fe- 1331
ſto duplici primæ claſſis occurrente in Dominica, ante Miſſam ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ in Cathedralibus, & Collegiatis, aliiſque Eccleſiis laudabilem hujuſmodi conſuetudinem retinentibus. At ſi duplex illud primæ claſſis fuerit de Patrono Loci, vel de Titulari, aut de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, & Epiſcopus Pontificaliter celebret, omittenda erit in illa Eccleſia dicta Aquæ benedictæ aſperſio, ut citato Cæremoniali Epiſcoporum ſic præſcribente, alibi diximus. Non tamen cantantur duæ Miſſæ, una ſcilicèt de Dominica, & altera de Feſto duplici primæ claſſis, juxta ſequentem Declarationem, videlicèt: *Supplicantibus humiliter Capitulo, & Canonicis Cathedralis Collenſis Sacræ Rituum Congregationi pro declaratione nonnullorum Dubiorum*, inter ea fuit decimum quartum tenoris ſequentis, nempè: *An in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus fit de Duplici primæ claſſis, ſint cantandæ duæ Miſſæ?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad decimum quartum Dubium reſpondit, *Negativè*, *die* 5. *Ju-*

lii

lii 1698. Dicta Declaratio eſt apud me in forma authentica, & illam compendioſè refert etiam P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num.* 528.

1332 Si hæc Dominica fuerit ſecunda Adventus, & non impedita à Feſto duplici primæ claſſis, Miniſtri in ſolemni utuntur Planetis ante pectus plicatis in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis: ſi verò fuerit Dominica tertia, utuntur Dalmatica & Tunicella, vigore Rubricæ *de qualit. Paramentor. tit.* 19. *ſub. numer.* 6. & ita ſervandum etiam in Collegiatis expreſsè præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2, *cap.* 13. §. 11. *pagin. mihi* 289. ſed & in dicta Dominica tertia pulſantur Organa, ex dicto Ceremoniali *lib.* 1. *capit.* 28. §. 2, *pag.* 165. Eſt itaque Dominica Lætitiæ: Dominus enim propè eſt: Unde Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 3. *cap.* 4. *pag. mihi* 115. ſic ad rem ait: *Dominica tertia totum Officium conſolationem decantat*: & conſiderans merita S. Joannis Baptiſtę tam in hac Miſſa à Chriſto commendati, proſequitur: *Quis ergo non erubeſcet flere, eo quòd competens ſuis meritis non habeat ex hominibus teſtimonium, tanto ſibi impoſito in Cœlis præcone meritorum? Gaudete potiùs* (reaſſumit Apoſtoli verba) *in Domino ſemper, iterum dico, gaudete*: & tandem obſervat quòd Miſſa, quę tali Lętitię exhortatione incipit, terminat cum illo Iſaię; *Puſillanimes, confortamini, & nolite timere: ecce Deus noſter veniet, & ſalvabit nos.* Hoc autem gaudium ſpirituale oſtendit Eccleſia etiam in Dalmaticarum aſſumptione antea depoſitarum, & in pulſatione Organorum, quę priùs ſilebant.

1333 Quòd ſi in hac Dominica occurrat in aliqua Eccleſia Expoſitio SS. Sacramenti ratione Orationis quadraginta Horarum, non erit cantanda Miſsa Votiva de eodem SS. Sacramento, ſed de Dominica occurrente, ſive illa ſit ſecunda ſive tertia Adventus, In dicta Miſsa de Dominica pro Expoſitione cantanda dicitur etiam Oratio

tio SS. Sacramenti ſub unica concluſione, ut patet ex ſequenti Inſtructione ad hanc rem emanata, in qua §. 10. ſic habetur: *Ad Altare, ubi exponitur SS. Sacramentum, non celebretur alia Miſſa, quàm ſolemnis pro Expoſitione: & ultra Conventualem (in Eccleſiis, in quibus adeſt obligatio eam cantandi) celebretur poſt Nonam Miſſa SS. Sacramenti Votiva pro re gravi: exceptis tamen omnibus illis Dominicis, quæ ſunt primæ vel ſecundæ claſſis, & omnibus diebus, quibus ratione Kalendarii tam univerſalis, quàm particularis illius Eccleſiæ, in qua fit Expoſitio, fiat Officium itidem primæ vel ſecundæ claſſis, ac exceptis etiam Feria quarta Cinerum, & Feriis ſecunda, tertia, & quarta majoris Hebdomadæ: in quibus Dominicis, aliiſque Diebus, & Feriis exceptis, cantetur Miſſa Conventualis cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione: & ita ſervetur inviolabiliter in omnibus Eccleſiis tam Sæcularium quàm Regularium*, prout præcipit Clemens XI. in ſuo particulari Bullario, *par.* 2. *Conſtitut.* 9. *pag.* 312. & modò reperitur etiam in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis, *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut. itid.* 9. *emanata die* 20. *Jan.* 1705.

His de Miſſa peractis, deſcendamus ad Veſperas. Itaque ſecundæ Veſperæ de Dominica infra Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis ter poſſunt eſſe integræ, & quidem in Eccleſia Univerſali, nempè die nona, decima, & undecima Decembris, quotieſcunque in unam ex prædictis tribus diebus incidat Dominica. In iiſdem ſecundis Veſperis, ſic, ut præfertur, non impeditis, fit commemoratio Conceptionis, & ſi Dominica veniat die nona, additur commemoratio de Feſto ſimplici ſequenti S. Melchiadis: ſi verò occurrat die decima vel undecima, fit priùs commemoratio de ſequenti Feſto ſemiduplici S. Damaſi modò occurrente, modò translato. Veniente verò Dominica in die duodecima vel decimatertia, Veſperæ ſunt de Feſto duplici minori ſequenti S. Luciæ, juxta ejus oc- 1334

currentiam vel translationem : & ita erunt impeditę à Die Octava Conceptionis, ſi Dominica occurrat die decimaquarta Decembris, cum commemoratione in prędictis concurrentiis de eadem Dominica precedente.

Si verò alicubi ſimus infra Octavam altioris ritus, in Veſperis Dominicalibus fit priùs commemoratio Octavę particularis, deinde univerſalis : & quando Veſperę ſunt de ſequenti Duplici minori vel majori, poſt commemorationem Dominicę ſervatur ordo prędictus in facienda Octavarum commemoratione, quia Octava dignior, quę in Veſperis locum habet in Dominica non impedita, retinet etiam in Dominica impedita, quando in ea Veſperę ſunt de ſequenti. Ubi autem Conceptio eſt primę claſſis, & infra ejus Octavam occurrat alia Octava ejuſdem ritus, veluti de Patrono Loci, vel de Titulari Eccleſię, tunc in ſecundis Veſperis integris de Dominica fit priùs commemoratio de Conceptione, deinde de altera Octava, niſi Octava ſit de Dedicatione Eccleſię, quia hęc eſt Octava de Domino, illa verò de Domina. Quia tamen hęc Dominica eſt de majoribus, & ideò de privilegiatis, nunquam in ſuis ſecundis Veſperis amittit commemorationem, quocunque ſequente Feſto duplici, etiam primę claſſis. 1335

Impedita verò hac Dominica à Feſto duplici primę claſſis, in ſecundis ejus Veſperis, data Dominicę commemoratione, omittitur illa de Octava Conceptionis, & de quacunque alia Octava, ſi alicubi ſimul occurrat, imò & Feſti ſimplicis ſubſequentis : ita Toleti in Hiſpania, quotieſcunque Dominica veniat die nona Decembris, fit in ea de S. Leocadia Virgine Martyre Urbiſque Patrona principali, & conſequenter ſub ritu duplici primę claſſis : ideoque ibi in ſecundis Veſperis de Feſto fit commemoratio de Dominica ſimul occurrente, non tamen de Octava Conceptionis, neque de Feſto ſimplici 1336

ſub-

ſubſequente S. Melchiadis Papę Martyris. Idem dicendum, ubi in Feria ſecunda fiat de Feſto duplici primę vel ſecundę claſſis; nam in primis ejus Veſperis fit quidem commemoratio Dominicę pręcedentis, ſed omittitur illa Octavę, & Feſti ſimplicis: ita Oveti in dicta Hiſpania, die decima Decembris celebratur Feſtum duplex primę claſſis de S. Eulalia Virgine Martyre & ejuſdem Urbis itidem Patrona, in cujus primis Veſperis data Dominicę pręcedentis commemoratione, nihil fit de Octava Conceptionis, nihilque de ſequenti Feſto ſimplici S. Melchiadis.

Illud denique hoc loco notandum reſtat, quòd 1337
ſi in hac Dominica infra Octavam occurrat Feſtum ſemiduplex, erit transferendum in Feriam ſecundam immediate ſequentem; niſi ſit impedita ab aliquo Feſto occurrente, non attenta temporis prioritate aliorum translatorum ejuſdem ritus; juxta Rubricam Breviarii *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub numer.* 5. & hoc omnibus convenit & ſolis Feſtis ſemiduplicibus in Dominica infra Octavas communes occurrentibus: ita in Eccleſia Univerſali quotieſcunque Dominica incidat in diem undecimam Decembris, in ea occurrit Feſtum ſemiduplex S. Damaſi Papę Confeſsoris, quod ideò ratione dictę Rubricę transfertur in diem ſequentem nunquàm impeditam; ſeu in Feriam ſecundam: ita Aquileję in Foro Julii, & Tergeſte in Hiſtria; ſi hęc Dominica infra Octavam veniat die nona ejuſdem Decembris; in Feria ſecunda immediatè ſequenti fit de Feſto S. Syri Epiſcopi Confeſsoris ſub ritu ſemiduplici; quod fuit heri in Dominica, nam in dictis Civitatibus & Diœceſibus non celebratur ex conceſſione Apoſtolica Feſtum Almę Domus Lauretanę (ceteroquin celebrari ſolitum die decima ejuſdem Menſis in pluribus Locis) & ideò ibi dies decima non eſt impedita.

Diximus ſupra, quòd illud Feſtum ſemiduplex 1338
in Dominica infra Octavam occurrens, transfer-

tur in Feriam ſecundam ſequentem non impeditam, licèt habeantur alia Feſta ejuſdem ritus priùs tranſlata. Nunc autem addimus ejus tranſlationem in dictam Feriam ſecundam, non obſtante, quòd detur alicubi reponendum aliquod Feſtum duplex tranſlatum, etiamſi ſit de ſolemnioribus, ut clarè patet ex ſequenti Reſponſione: = *Ordinis Cœleſtinorum*: = *Cùm de Anno* 1704. *Dies feſtus Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti incidat in alterum SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi: Cùmque propter alios dies feſtos, nempè S. Athanaſii, Inventionis SS. Crucis, & Dominica infra Octavam Aſcenſionis Officium eorundem Sanctorum ultra prædictam Dominicam infra Octavam Aſcenſionis veniat transferendum, P. Abbas Æctor Girenda Ordinis Cœleſtinorum, cùm in dictam Diem Dominicam infra Octavam, quæ erit quarta Menſis Maii occurrat etiam dies feſtus S. Monicæ Viduæ, demiſſiſſimè Sacræ Rituum Congregationi ſupplicavit declarari: An in Feria ſecunda immediatè ſequenti Dominicam infra Octavam Aſcenſionis ſit recitandum Officium SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, vel potiùs alterum S. Monicæ prædicta?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio, auditis Cæremoniarum Magiſtris, juxta aliàs Decreta ſub die 22. Decembris 1696. edita, *Officium in Feria ſecunda prædicta de S. Monicæ recitandum eſſe cenſuit, & ita declaravit die* 16. *Septembris* 1702. Dictam Reſponſionem ſeu Decretum Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii.

Ad majorem tamen præfati Decreti intelligentiam plura occurrunt advertenda. Notandum itaque primò, quòd Feſtum S. Monicæ Viduæ tunc temporis erat ſemiduplex, unde erat caſus Rubricæ ſuperiùs citatæ de Feſto ſemiduplici occurrente in Dominica infra Octavam: & factum eſt duplex *anno* 1730. *ſub die* 26. *Auguſti*. Notandum ſecundò, quòd illa Feria ſecunda ſeu die 1339

quin-

quinta Maii non erat impedita, & benè reponi poterat Officium S. Monicæ Viduæ tunc ſemiduplex: modò autem eſt impedita à Feſto ſemiduplici occurrente & præceptivo S. Pii Quinti Papæ Confeſſoris, univerſaliter conceſſo *anno* 1713. *ſub die* 28. *Januarii*. Notandum tertiò, quòd licèt Officium S. Monicæ ſit duplex, & illa Feria ſecunda ſit impedita, Decretum tamen ſupra relatum ſemper remanere debet in ſuo robore quoad caſus ſimiles ſive in Eccleſia Univerſali, ſive in aliqua Diœceſi vel Religione occurrentes, cùm ex uno exemplo licèt nunc impedito; tunc tamen libero, quid in ſimilibus ſit faciendum oſtendatur. Notandum quartò, quòd cùm illa Feria ſecunda conſideretur eo anno pro die fixa & propria, ideò Officium ſemiduplex in Dominica infrà Octavam non privilegiatam occurrens, tantum habet juris in eadem Feria ſecunda non impedita à Feſto occurrente novem Lectionum, ut non ſolùm non cedat duplici ſecundæ claſſis, ut in Decreto, ſed neque duplici primæ claſſis translatò.

Notandum denique quintò, quòd Decretum citatum in dicta reſponſione data Ordini Cœleſtinorum, emanatum *anno* 1696. *ſub die* 22. *Decembris* intelligit, quòd nihil penitùs circa Semiduplicia in Dominicis infra Octavas occurrentia veniat immutandum ut videre eſt in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. marg.* 1098. *pagin.* 364. & ideo non impedita Feria ſecunda, nulla attendenda ſit prioritas temporis Feſtorum cujuſcunque ritus translatorum. Ratio autem Decreti eſt, quia ſi ſemiduplex in caſu propoſito non celebretur in Feria ſecunda non privilegiata transferri debet ultra totam Octavam, & ſi cederet duplici translato, ſuum amitteret jus acquiſitum: Duplex verò translatum celebrari poteſt quacunque die non impedita infra Octavam. Quòd autem non ſolùm duplex ſecundæ claſſis translatum, ſed etiam primæ claſſis 1348

 re-

reponendum, cedere debeat dicto ſemiduplici in Dominica infra Octavam occurrenti, & in Feria ſecunda non impedita celebrando: clarè patet etiam ex ſequenti Decreto emanato *in Valentina* 19. *Julii* 1700. in quo ſic expreſsè habetur: *Feſtum ſemiduplex incidens in Dominica infra Octavam non privilegiatam, debet transferri immediatè in Feriam ſecundam non impeditam, licèt ſit reponendum quodcunque Officium, etiam ex ſolemnioribus*, prout refert P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub numer.* 226. *circa finem*: ſed nomine Feſtorum ſolemniorum venit principaliter duplex primæ claſſis: ergo etiam duplex primæ claſſis cedere debet in caſu propoſito.

§. IX.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

SIcuti Octava Conceptionis Beatæ Mariæ Vir- 1341
ginis noſtris ut ita dicam temporibus particulariter incœpit, & fuit denique ab Innocentio Duodecimo univerſaliter conceſſa, ut ſupra vidimus, cùm de inſtitutione hujus Feſti ſermo erat: ſic de illa nullam faciunt mentionem Auctores antiqui de Sacris Ritibus tractantes: ideo nihil habet Gavantus, nihil Biſſus, nihil Bauldrius, nihil Guyetus: imò neque Martyrologium Romanum antiquum, ex quo patet, cur nihil adnotaverit Cæſar Cardinalis Baronius. Quia verò in recentioribus Martyrologiis hæc

Dies

Dies Octava reperitur, de ea idcircò primo loco legendum eſt die præcedenti ad Primam, nempè: *Octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis*. Si tamen alicubi occurrat in hac Die Octava Conceptionis alia Dies Octava dignior, veluti Dedicationis Eccleſiæ, aut altioris ritus, veluti de Patrono principali Loci, vel de Eccleſiæ Titulari, ſicuti Officium erit de una vel altera Die Octava particulari, ſic primo loco erit in Martyrologio pronuncianda: & multo magis priùs annunciabitur Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ſi alicubi ſimul occurrat, ex rationibus ſupra allatis, cùm de Die Octava Nativitatis ejuſdem Beatæ Virginis ſermo erat.

Nonnulla tamen occurrunt notanda circa hanc 1342
Diem Octavam Conceptionis tam in Concurrentia, quàm in Occurrentia, de quibus omnibus hìc ſermo. Primo igitur loco dicendum venit de primis ejus Veſperis, quæ in Eccleſia Univerſali ſunt ſemper integræ, cæteroquin ſumendæ ex primis Veſperis Feſti, & plerunque cum ſola commemoratione de Feria Adventus, nam ſi die decima quarta Decembris Officium ſit de ſeptima Die infra Octavam, eadem die primæ Veſperæ de ſequenti clauduntur cum ſola Feriæ commemoratione. Si verò concurrat Dominica, in Veſperis itidem de ſequenti fit commemoratio ejuſdem Dominicæ præcedentis. Si verò dicta die decima quarta Decembris actum ſit de Feſto duplici minori, ut quando die decima tertia occurrit Dominica, in Eccleſia Univerſali transfertur in Feriam ſecundam ſequentem Feſtum duplex minus S. Luciæ, tunc ex ſpeciali privilegio omnibus & ſingulis Diebus Octavis Beatæ Mariæ Virginis conceſſo in Decreto edito *anno* 1691. *ſub die* 11. *Auguſti*, & relato à Clericato *de Sacrific. Miſſæ*, *initio Operis*, *Decreto* 56. & eſt apud me in forma authentica, tunc, inquam, Veſperæ ſunt integræ de ſequenti Die Octava Conceptionis, cum commemoratione de

præcedenti Feſto duplici minori S. Luciæ, & Feriæ: & ſic in ſimilibus.

An ſi die decima quarta Decembris occurrat Sabbatum, in quo actum ſit de Die ſeptima infra Octavam Conceptionis, tunc Veſperæ in Sabbato ſunt de Pſalterio, à Capitulo fit de Dominica ſequenti, cum commemoratione de Die Octava ex primis Veſperis Feſti, ut decrevit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1622. *ſub die* 9. *Novembris*, & habetur in Octavario Romano *de Concurren. Offic. titul.* 11. *ſub numer.* 4. *in fine*: & ratio eſt, quia cùm Dies Octava non habeat Officium in ſequenti, nec etiam convenit habere primas Veſperas in præcedenti. Idem dicendum, ſi alicubi in Sabbato actum eſſet Officium de ſeptima Die infra aliam Octavam digniorem, ut de Dedicatione Eccleſiæ: vel de alia Octava ritus altioris, ut de Patrono Loci, vel de Eccleſiæ Titulari, addita tantùm commemoratione de Die Octava Conceptionis, ſi tamen ejus Feſtum tranſlatum ſit repoſitum antea infra Octavam. 1343

Quomodo verò regulandæ erunt Veſperæ die decima quarta Decembris in Sabbato, ſi eo die occurrat alicubi Feſtum ſemiduplex, ut Venetiis Feſtum S. Spiridionis Epiſcopi Confeſſoris? Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub numer.* 22. infert ex præcitato Decreto, quòd in hoc caſu Veſperæ uſque ad Capitulum debeant eſſe de Feſto ſemiduplici, à Capitulo verò de ſequenti Dominica privilegiata, cum commemoratione priùs de præcedenti Feſto ſemiduplici, quia habuit dimidium Veſperarum, deinde Diei Octavæ, quæ in toto Die ſequenti Dominica nihil habet, niſi meram commemorationem. Michael tamen Bauldryus *in Manuali Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 1. *ſub numer.* 10. invertit ordinem Gavanti quoad commemorationes, facta enim Veſperarum diviſione à Capitulo, poſt Orationem Dominicæ, dat primum locum Diei Octavæ ſequenti tanquam 1344

du-

duplici ; deinde Feſto præcedenti tanquàm ſemiduplici. Ejuſdem opinionis cum Bauldryo eſt Carolus Guyetus *in Heortolog. libr.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 13. *quæſt.* 9. *verſ. Sed in altero caſu*, *pag. mihi* 276., cui non placet ratio Gavanti ; nam de Dominica per annum, in qua occurrit Feſtum duplex, fit commemoratio Sabbato in Veſperis ante commemorationem Semiduplicis, quod in ipſo Sabbato factum eſt, & tamen de ipſa Dominica non fit poſtera die niſi commemoratio. Attamen mihi videtur, quòd aliqua ſit diſparitas inter Dominicam plenam ſeu impeditam: & Dominicam vacuam ſeu non impeditam: nam plena habet in Veſperis ſolam commemorationem, quam ſolam habet etiam Semiduplex præcedens: Vacua verò dimidiavit Officium cum Semiduplici: in hujuſmodi autem concurrentia Semiduplex habet commemorationem ſtatim poſt Orationem Dominicæ ex Rubricis: Dum ergo Semiduplex eſt in poſſeſſione Veſperarum uſque ad Capitulum, non eſt privandum ſua precedentia in commemoratione, & ideò Dies Octava impedita ab Officio Dominicæ, non debet tollere locum habenti jus in re, ſibi à Rubricis, & ideò à Lege conceſſum.

Quòd dictum eſt de Feſto ſemiduplici, intelligendum puto de Die infra aliam Octavam digniorem, quæ non ſit Dies ſeptima, ſed ſecunda, tertia, quarta, quinta, vel ſexta, nam ſi in Sabbato Officium fuit ex integro de illa, Veſperæ, meo judicio, non erunt ampliùs de Pſalterio, quia extinctus eſt titulus unius ejuſdemque Octavæ, & ſic non ſumus conſequenter ampliùs in eadem Octava: itaque in hujuſmodi caſu divederem Veſperas ſicuti de Feſto ſemiduplici, à Capitulo facerem de Dominica ſequenti, & darem priùs commemorationem Diei infra Octavam, quæ habuit dimidium Veſperarum, deinde Diei Octavæ licèt duplici, quia mihi videtur par ratio, nam caſus Decreti ſupracitati eſt 1345

de

de una eademque Octava non verò de diverſa, Sequitur ex dictis, quòd ſi Dominica ſit impedita à Feſto duplici primæ claſſis, & in Sabbato actum ſit de Feſto ſemiduplici, tunc Veſperæ in ipſo Sabbato regulantur juxta Guyetum; ſunt enim de Feſto ſequenti, cum commemoratione priùs Diei Octavæ, deinde Dominicæ, quæ amiſit rationem Capituli, & ultimo loco de Feſto ſemiduplici præcedenti. Ad Hymnos tamen Veſperarum, & Completorii cum clauſula de Beata Maria, & ſine Precibus.

Quòd ſi die decima quarta Decembris Officium 1346
fuit de aliquo Feſto duplici in Sabbato, ibi in ſecundis Veſperis illius Feſti facienda commemoratio priùs de ſequenti Dominica non impedita, deinde de Die Octava Conceptionis, ut in primis Veſperis Feſti: ita benè in Directorio Congregationis Caſſinenſis pro Annis 1726. & 1737. dicta die decima quarta in Sabbato adnotatę fuerunt ſecundæ Veſperæ duplices minores de S. Dominico Silenſi Abbate in Hiſpania, cum commemoratione Dominicæ ſequentis, & Diei Octavæ Conceptionis: licèt, ex integro, non occurrente Dominica, Veſperæ dictæ eſſent de ſequenti Die Octava, cum commemoratione de S. Dominico, & de Feria Adventus, prout extra caſum Dominicæ, ſic quovis anno agendum eſt. Pluribus etiam adhinc annis requiſitus fui à tunc Reverendiſſimo Domino Clemente Bortolucci Vicario digniſſimo Eccleſiæ Parochialis S. Laurentii de Tarviſio, & ordinario Monialium S. Mariæ Novæ Ordinis S. Benedicti Confeſſoris (cui Deus piiſſimus requiem donet ſempiternam) quomodò regulandæ eſſent Veſperæ in Eccleſia earumdem Monialium, in qua occurrit de decima quarta Decembris in Sabbato Feſtum duplex minus præfati S. Dominici Silenſis Abbatis, & in diem ſequentem decimamquintam ejuſdem Menſis incidit in eadem Eccleſia Dies Octava Dedicationis? His acceptis reverenter Epiſtolis reſpondi, quòd

in ſecundis Veſperis de S. Dominico facienda priùs erat commemoratio de Dominica ſequenti, quia non oſtenditur impedita, deinde de Die Octava Dedicationis tanquàm de digniori, & poſtmodùm de Die Octava Conceptionis tanquàm minus digna, & utraque commemoratio ex primis Veſperis Feſtorum ſumenda nec quærere ab ipſo volui, in quo conſiſteret difficultas.

Quòd ſi Dominica ſecunda Adventus occurrat die octava Decembris, Conceptio verò translata reponi non poſſit, niſi die decima quarta ejuſdem Menſis in Sabbato, tunc & eo caſu in ſecundis Veſperis de Conceptione fit tantùm commemoratio Dominicæ tertiæ ſequentis, ſed in Laudibus Dominicæ non impeditæ Dies Octava ejuſdem Conceptionis ſuam reaſſumit commemorationem in primis Veſperis amiſſam: Et hoc legitimè infertur ex ſequenti Decreto à ſimili, videlicet: *Ex parte Cleri Eccleſiæ Toletanæ quæſitum fuit: An occurrente Feſto duplici ſecundæ claſſis Octavam habente in Dominica Septuageſima, ſi (ſequentibus Feriis occupatis) transfertur in ſequens Sabbatum: ſecundæ Veſperæ erunt ut in primis aut in ſecundis Veſperis Feſti, cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima: aut erunt de Pſalterio, à Capitulo Dominicæ, cum commemoratione Diei Octavæ: & quid, ſi Dies Octava habeat Orationem propriam?* Et Sacra Rituum Congregatio, ponente Eminentiſſimo Zondadari, reſpondit, *ſecundas Veſperas Feſti fieri debere cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima, & in Die Octavæ eſſe recitandam Orationem propriam: hac die* 15. *Septembris* 1736. ut habet P. Merati *tom.* 2. *par.* 1. *in Indice*, *ſub num.* 336. ſequitur ex dictis, quòd ſi die decima quarta Decembris reponatur in Sabbato Feſtum duplex ſecundæ claſſis, quod alicubi oocurrebat in Feſto Conceptionis ibi duplici primæ claſſis, in ſecundis Veſperis de eo, fiet commemoratio priùs de Dominica tertia ſequenti, deinde de Die Octava Conceptionis, non 1347

verò

verò de Die Octava illius Feſti particularis Octavam habentis, de qua tamen fiet commemoratio in Laudibus Dominicæ non impeditæ.

Quoad Officium in ipſa Die Octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis celebrandum, dicitur ut in Feſto, & in colore albo, ſi loquamur de Choro, exceptis tamen Lectionibus; quæ in primo Nocturno dicuntur de Scriptura occurrente, reliquæ verò ſecundi & tertii Nocturni ſunt propriæ hodie in Breviario. Ad Laudes fit commemoratio Feriæ tantùm, niſi alicubi occurrat aliqua Dies infra Octavam ſpecialem, ut occurrit Toleti in Hiſpania Dies ſeptima infra Octavam, S. Leocadiæ Virginis Martyris Urbiſque Patronæ, & Oveti in eodem Regno Dies ſexta infra Octavam S. Eulaliæ Virginis Martyris itidemque Patronæ, ubi idcircò fit commemoratio de illa Die infra Octavam; deinde de Feria. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es, &c.* Quòd ſi hodie incidat Feria quarta Quatuor Temporum, in primo Nocturno, quia deficiunt Lectiones de Scriptura occurrente, provida Rubrica ſupplet, volens, ut in hujuſmodi caſu ſumantur ex Feſto S. Mariæ ad Nives, ſeu ex die quinta Auguſti, vel etiam ex Feſto S. Mariæ de Mercede, quod occurrit die vigeſimaquarta Septembris, juxta commodiorem recitantium locum in Breviario, cùm utrobique ſint *Ego Sapientia habito in conſilio*. Ad Matutinum tamen dicetur nona Lectio de illa Feria, & ad Laudes fiet ejus commemoratio. 1348

Si tamen occurrat Dominica, ea ſemper erit tertia Adventus, cujus Officium erit integrum de eadem Dominica, ſub ritu ſemiduplici, & in Choro color adhibebitur violaceus, quia cùm non cedat Diei Octavæ, prout cedunt Dominicæ per Annum, ſuum retinere debet colorem. 1349

Ita-

Itaque omnia dicuntur ut in Pſalterio tempore Adventus, & in Proprio hujus Dominicæ. Ad Laudes fit commemoratio de Die Octava Conceptionis. Ad Primum verò dicitur Pſalmus *Confitemini*, & Symbolum *Quicunque*, nec ideò in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus de Adventu *Qui venturus es in Mundum*, ſed ille *Qui natus es de Maria Virgine* ratione Octavæ, ſicuti ex eadem ratione omittuntur Preces Dominicales, & Hymni omnium Horarum clauduntur cum ſtropha de Beata Maria, ſcilicet, *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*.

Attamen ſi in hac Die Octava Conceptionis occurrat alicubi alia Dies Octava dignior, qualis eſſe poteſt de Dedicatione, cujus occurrentiam jam ſupra vidimus in primis Veſperis: vel incidat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ſed extra caſum Dominicæ: Officium erit vel de illa Die Octava digniori, vel de illo Feſto ex ſolemnioribus, cum commemoratione in Laudibus de Die Octava Conceptionis, & Feriæ: & certè de duabus Diebus Octavis agendum eſſe de digniori, nemo ambigit, & nihilominus ſic notat Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 7. *quaſt.* 7. *in fine*, *pagin.* 255. & ſi ſimul occurrat Feria quarta Quatuor Temporum, & ad Matutinum illius Diei Octavæ dignioris, vel illius Feſti dicetur nona Lectio Feriæ, & ad Laudes fiet commemoratio de Die Octava, & de Feria Temporum: in primo autem Nocturno Lectiones erunt, ut in Feſto pro Die Octava Dedicationis, vel de Communi pro Feſto: quod ſemper nihilominùs verum eſſet, quia nec Dies Octava Dedicationis, nec Feſtum ex ſolemnioribus admittit in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente, etiam extra caſum venientis Feriæ quartæ Quatuor Temporum. 1350

Locuti hactenus ſumus de occurrentia alterius Diei Octavæ dignioris, vel Feſti primæ & ſecundæ claſſis extra caſum Dominicæ; nunc in caſu 1351

caſu Dominicæ differere debemus. Si ergo occurrat Dominica, & dignior, Officium erit adhuc de Dominica, ut ſupra diximus, ſed ad laudes fiet priùs commemoratio de Die Octava digniori & particulari, deinde de Die Octava minus digna & univerſali, qualis in caſu propoſito eſt illa de Conceptione licèt aliundè ſit ipſa dignior. Quoad verò occurrentiam Feſti ex ſolemnioribus, cùm hæc dividantur in duas claſſes, ſolum Feſtum primæ claſſis poteſt locum obtinere ab hac Dominica: & ideo Officium erit de eo, cum nona Lectione Dominicæ ad Matutinum; & ad Laudes fiet priùs commemoratio de una vel duabus Diebus Octavis tanquàm de duplicibus, deinde de Dominica tanquam de ſemiduplici, quia cùm Dominica ſit impedita, & ideò non habeat ſuum integrum Officium, ſtare debet generali ordini commemorationum, quia impedimentum illud Feſti, per quod ipſa reſtringitur ad ſolam commemorationem, deperdere facit ſuum jus in re, quod cæteroquim habebat acquiſitum in toto ſuo Officio.

§. X.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Miſſa in Die Octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis dicitur ut in ejus Feſto in colore albo, cum *Gloria in excelſis*, & cum ſecunda Oratione de Feria tantùm, niſi ali- 1352

alicubi occurrat aliqua Dies infra Octavam ſpecialem, quia tum ſecunda Oratio erit de illa, & tertia de Feria. In hac Miſſa dicitur etiam *Credo*, & Præfatio de Beata Maria, cum Verſiculo tamen de hac Octava *Et te in Conceptione*. Si verò hodie occurrat Feria quarta Quatuor Temporum, in Miſſis privatis de Die Octava fit commemoratio illius Feriæ, cum ejus Evangelio in fine: Sed in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis cantantur duæ Miſſæ, ut præſcribit Rubrica Miſſalis hac die, una ſcilicèt de Die Octava, altera de Feria, & in neutra earum fit commemoratio alterius, ac in utraque dicitur in fine Evangelium S. Joannis. Non tamen una cantanda eſt, altera privatim dicenda, quia ambæ præceptivæ ſunt cum cantu, licèt non deſint, qui per privatam intelligunt ſatisfieri Rubricæ. At ſi in hac Die Octava veniat Dominica, Miſſa erit de ea in colore violaceo, ſine *Gloria*, & cum ſecunda Oratione de Die Octava tantùm, nec non cum Præfatione de Beata Maria *Et te in Conceptione*: & ante Miſſam ſolemnem de dicta Dominica, fiet aſperſio Aquæ benedictæ.

Quòd ſi alicubi hodie occurrit vel alia Dies Octava dignior, veluti de Dedicatione Eccleſiæ, de qua exemplum attulimus ſupra in primis Veſperis: vel actum ſit in aliqua Eccleſia de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, Miſſa ibi dicenda erit de illa Die Octava digniori, vel de illo Feſto ex ſolemnioribus, in colore convenien- 1353
te, cum ſecunda Oratione de Die Octava Conceptionis, ac de Feria & cum Præfatione Beatæ Mariæ: & ſi occurrat Feria quarta Quatuor Temporum, in Miſſis privatis poſt Orationem Diei fiet priùs commemoratio de Octava Univerſali, & deinde de Feria Temporum, cum ejus Evangelio in fine: In Cathedralibus tamen & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, in quarum prima de Octava digniori, vel de Feſto; color adhibetur Feſti, dicitur *Gloria*, fit commemoratio

tio de Octava Conceptioni, *Credo*, & Præfatio de Beata Maria cum Verſiculo Octavæ, & cantatur poſt Tertia: In altera de Feria quarta Temporum color adhibendus eſt violaceus, omittitur *Gloria*, dicuntur Orationes ibi aſſignatas, tacetur *Credo*, & Præfatio eſt communis, & in utraque legitur in fine Evangelium S. Joannis. Sunt autem iſtæ duæ Miſſæ præceptivæ, quia Rubrica diſpenſat quidem Cathedrales à duarum decantatione Miſſarum, ſi Vigilia occurrat in Feſto duplici primæ claſſis, ut videre eſt *de Fer. & Vigil. titul.* 3. *ſub numer.* 2. *in fine*, non verò ſi incidat in dictum Feſtum duplex primæ claſſis aliqua ex Feriis Quatuor Temporum Ambæ tamen ſunt applicandæ, ex pluribus Decretis relatis à Reverendiſſimo P. Merati in ſuis ſæpè laudatis ſemperque laudandis Additionibus ad Gavantum *tom.* 1. *par.* 2. *ad par.* 3. *titul.* 12. *pagin.* 808. me etiam citato *de Canonicis*, *ſub numer.* 1058. juxta primam edit. Patern. de Anno 1709. ſed juxta alteram edit. de Anno 1722. *ſub n.* 1551.

Occurrente verò Dominica, ubi occurrit alia Dies Octava dignior, Miſſa dicitur de Dominica, cum ſecunda Oratione de Die Octava particulari digniori, & tertia de Die Octava Univerſali; aſt ubi incidit Feſtum duplex primæ, (non verò ſecundæ) claſſis, Miſſa erit de Feſto cum commemoratione priùs de Die Octava Conceptionis tanquam de duplici, deinde de Dominica tanquam de ſemiduplici, ex ratione ſuperiùs allata in Officio, quia quando Dominica privilegiata non habet integrum ſuum Officium, ſervandus eſt ordo generalis commemorationum, per quem commemoratio ſemiduplicis poſtponitur duplici. Non tamen cantantur duæ Miſſæ, una ſcilicèt de Feſto duplici primæ claſſis, & altera de Dominica majori, ex Decreto ſupra relato, cùm de Dominica infra hanc Octavam ſermo erat. In fine autem hujuſmodi Miſſæ legitur Evangelium occurrentis Dominicæ. 1354

Ut

Ut autem cum ſecundis Veſperis de Die Octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis tota concludatur ejus Octava, hæ ſunt ſemper integræ in Eccleſia Univerſali, non occurrente Dominica, & dicuntur ut in primis Veſperis, cum commemoratione de ſequenti Feſto ſemiduplici S. Euſebii Epiſcopi Martyris, & Feriæ Adventus. Hic Euſebius eſt ille; de quo agebatur ſub ritu ſimplici in hac Die Octava, & translatus in diem ſequentem cum ritu ſemiduplici præceptivo ex Decreto de anno 1728. ſub die 7. Julii, dat caſum Rubriciſtis quoad concurrentiam Diei hujus Octavæ cum illo ratione Dominicæ, de quo paulo inferiùs, nam quod ſupponebat, modò eſt in praxi. Si verò alicubi ſimus infra aliquam ſpecialem Octavam, in his ſecundis Veſperis fit etiam commemoratio de ea ante illam Feriæ. Quòd ſi occurrat hodie alia Dies Octavæ dignior, prout eſt illa de Dedicatione Eccleſiæ, & de ejus actuali occurrentia vidimus exemplum ſupra in primis Veſperis, tunc & ibi ſecundæ Veſperæ ſunt integræ de eadem Die Octava Dedicationis, cum commemoratione de Die Octava Univerſalis, & S. Euſebii, ac Feriæ. At ſi die ſequenti fiat de Feſto duplici minori, vel etiam de Die Octava quacunque licèt Dedicationis, ſecundæ Veſperæ dicuntur ex integro de Die Octava Conceptionis, cum commemoratione de duplici minori vel de Die Octava ſequenti, ac de Feria, ex privilegio omnibus conceſſo & ſingulis Diebus Octavis de Beata Virgine univerſalibus & particularibus, juxta Decretum ſuperiùs citatum in primis Veſperis: ſic Jaderæ in Dalmatia ſub Dominio Veneto, die decima ſexta Decembris fit de Translatione S. Zoyli Confeſſoris cum ritu duplici minori: ſic Toleti in Hiſpania fit eadem die decima ſexta de Die Octava S. Leocadiæ Urbis Patronæ: & utrobique in ſecundis Veſperis de Die Octava Conceptionis fit commemoratio Duplicis minoris vel 1353

Diei Octavæ ſequentis, ac Feriæ.

At ſi die ſequenti Officium ſit de duplici majori, aut ſecundæ claſſis, ut Bononiæ in Statu Eccleſiaſtico fit ſub ritu duplici majori de S. Floriano, uno ex Bononienſibus Protectoribus, & Sociis Martyribus, Veſperæ ſunt de ſequenti, cum commemoratione de præcedenti Die Octava Conceptionis, & de Feria Adventus: Quòd ſi in ſæpè dicta die decima ſexta Decembris, alicubi forſan occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, tunc & eo caſu Dies Octava Conceptionis totum amittit in ſecundis ejus Veſperis, etiam commemorationem, ut clarè patet ex Tabella Concurrentiæ initio Breviarii, ubi ad quæſitum de Die Octava concurrente cum duplici primæ claſſis, reſpondet ſub numero primo, *totum de ſequenti, nihil de præcedenti*; ideoque ibi Veſperæ ſunt de ſequenti, & omiſſa Diei Octavæ præcedentis commemoratione, fit tantùm illa de Feria. Occurrente verò Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis in ipſa Die Octava Conceptionis, in ſecundis Veſperis de illo Feſto fit commemoratio de eadem Die Octava tanquàm de duplici, deinde de ſequenti Feſto S. Euſebii Epiſcopi Martyris tanquàm de ſemiduplici; & ita etiam ſi die ſequenti occurrat Dominica, quæ amiſſis ſuis primis Veſperis, conſideranda videtur tanquàm Dominica per annum, cui in ratione commemorationum præcedit commemoratio de duplici. 1356

Quotieſcunque denique in hanc Diem Octavam Conceptionis incidat Dominica, & non ſit impedita à duplici primæ claſſis, prout nunquam eſt in Eccleſia Univerſali, videtur inſurgere dubium, an commemoratio prima debeat eſſe de ipſa Die Octava, vel de ſequenti Feſto ſemiduplici S. Euſebii. Ratio dubitandi eſt, quia in primis Veſperis de hac Dominica præceſſit commemoratio ſemiduplicis: Attamen à primis Veſperis non arguitur 1357

ad

ad ſecundas, ſiquidem in primis Semiduplex jus ſibi retinebat acquiſitum uſque ad Capitulum, & ideò data ei fuit præcedentia in commemoratione. Hic autem Dominica habet integras ſecundas Veſperas; & ſic ſemi duplex ſola gaudet commemoratione, quapropter cedere debet locum majori, prout eſt commemoratio duplex de Die Octava: & ita omnes ſentiunt cum Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 3. *capitul.* 8. *ſub numer.* 14. ubi etiam quòd ſi in Feria ſecunda ſequenti fiat alicubi de duplici minori vel de alia Die Octava (nam utramque occurrentiam vidimus ſupra) Veſperæ ſunt quidem de ſequenti in Dominica, cum commemoratione priùs Dominicæ; deinde Diei Octavæ: Quòd ſi Dominica ſit impedita à Feſto duplici primæ claſſis, in ſecundis Veſperis de Feſto fiet; ut reor; commemoratio priùs de Die Octava; deinde de Dominica; & poſtremò de ſequenti Feſto ſemiduplici S. Euſebii; & ratio videtur eſſe, quia Dominica conſiderari poteſt veluti Dominica per annum; quæ ſuam commemorationem cedit Officio duplici.

Et ecce, Lector Eccleſiaſtice, finis Deo favente impoſitus Omnibus & ſingulis Octavis Privilegiatis & Communibus; quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur. Utinam ſint eo ordine diſpoſitæ; quem requirit Apoſtolus 1. Corinth. 40. *Omnia autem honeſte; & ſecundàm ordinem fiant in vobis:* ſecundùm ordinem inquam & mentem Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ, veræ & unicæ Sacrorum Rituum & Cæremoniarum Magiſtræ, à qua ſola per totum Orbem benignè diffunduntur; & ubique Locorum obedienter acceptantur. Interim faxit Deus ipſe, tuque Lector illum precari digneris, ut hiſce duobus Tomis valeam addere tertium de particularibus Feſtorum Octavis, quæ in Eccleſiis tam Sæcularibus quàm Regularibus ſpecialiter celebrantur. Ipſe etenim Deus inceptum opus 1358

 per-

perficiet ſolidabitque : & tu plura in illo invenies non ſolùm ſcitu digna , ſed perutilia & neceſſaria , præſertim quia nonnulla dicentur de Patrono Loci , de Titulari Eccleſiæ , deque ejuſdem Dedicatione , de quibus perſæpe loquuntur Rubricæ Breviarii & Miſſalis.

L. D. M. D. A. P. ac S. I. L.

OPE-

Digitized by Google

OPERE ECCLESIATICHE

DI D. GIO: BATTISTA PITTONI SACERDOTE VENETO.

Che ſi vendono in Venezia in Caſa di Leonardo ſuo Padre, Libraro a S. Giuliano in Corte del Vino vicino la Corte del Forno.

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma ſpettanti a' *Veſcovi*, agli *Ordinarj* de' Luoghi, ed agli *Abbati* Secolari, e Regolari; Opera molto utile, e neceſſaria agli Eccleſiaſtici dell' uno, e l' altro Clero, dall' Anno 1183. fino all' Anno 1707. *incluſivè*. Lir. 3.

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma ſpettanti a' *Canonici* dell' una e l' altra Chieſa, cioè, Cattedrale, e Collegiata, dall' Anno 1055. fino all' Anno 1721. *incluſivè*: Opera, ove non ſolo ſi danno notizie curioſe inſieme, e neceſſarie a detti Canonici, ma eziamdio a Prebendati, Inſervienti, e in qualſivoglia modo obbligati a dette Chieſe: inſerite anche molte cognizioni legali tolte dagli Autori più claſſici, ed approvati, antichi, e recentiſſimi: ſeconda ampliſſima Edizione ſeguita nell' Anno 1722. Lir. 3.

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma ſpettanti a' *Vicarj* Apoſtolici, Generali, Capitolari, Foranei, Perpetui, ed Amovibili del Clero Secolare, ed altri ancora delle Religioni: dall' Anno 1507. fino all' Anno 1706. *incluſivè*: Opera non ſolo utile, e neceſſaria a detti Vicarj, ma etiamdio a ſubordinati. Lir. 2.

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma, ſpettanti al *Concorſo delle Parrochiali*, ed alla Collazione de' *Beneficj Eccleſiaſtici*, dall' Anno 1339. fino all' Anno 1729. *incluſivè*. Opera non meno di gran profitto a tutti li Religioſi dell' uno, e l' altro

Digitized by Google

l'altro Clero, che o ſoggetti a Veſcovi, oppure eſenti dalla loro Giuriſdizione deſiderano eſſer proveduti di Benefizio con cura d'Anime, o d'altra ſorte di Beneficj Eccleſiaſtici, ma etiamdio a Collatori medeſimi neceſſariſſima. Lir. 3.

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma ſpettanti alli *Parrochi* dell'uno, e l'altero Clero, che già ſi ritrovano nell'attuale amminiſtrazione della Cura, dall' Anno 1254. fino all' Anno 1734. *incluſivè*: Opera, nella quale ſi toglie a Paſtori ogni fatica nell'oſſervazione degli Autori per la notizia delle coſe decretate, e deciſe, ed inſieme ſi ſolleva il Parroco dalla groſſa ſpeſa de' più riguardevoli Autori, che in queſt Opera ſono citati: terza ampliſſima Edizione ſeguita nell' Anno 1737. Lir. 3.

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma ſpettanti a *Confeſſori* dell' uno, e l'altro Clero, dall'Anno 1023. fino all'Anno 1714. *incluſivè*: Opera neceſſariſſima non ſolo a Religioſi, che ſono per amminiſtrar il Sacramento della Penitenza, ma etiamdio a quelli, che attualmente lo amminiſtrano: terza ampliſſima Edizione ſeguita nell'Anno 1715. Lir. 2. 10.

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma ſpettanti a Regolari di qualſivoglia Ordine anche Militare, dall' Anno 594. fino all' Anno 1719. *incluſivè*: Opera, diviſa in tre Tomi, non ſolo utile a detti Regolari, ma eziamdio a' Veſcovi e loro Vicarj, Avvocati e Giudici Eccleſiaſtici, Parrochi e Confeſſori, e a tutto il Clero Secolare. Si vende: Lir. 10.

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma, ſpettanti a SACRI RITI, ed a CERIMONIE ECCLESIASTICHE, tanto per l'Uffizio, quanto per la Meſſa, sì privata, sì anche ſolenne, molto utili e neceſſarie a tutti gli Eccleſiaſtici dell'uno e l'altro Clero, dall'Anno 1262. fino all'Anno 1729. *incluſivè*. Lir. 3.

Coſti-

Coſtituzioni Pontificie, e Deciſioni delle Sacre Congregazioni di Roma, ſpettanti Canonicamente, e Civilmente al Matrimonio, tanto coſtante quanto ſciolto, dall' Anno 1175. ſino all' Anno 1725. *incluſivè*: Opera diviſa in tre Tomi. Lir. 10. 10.

Trattato noviſſimo delle Ottavæ Eccleſiaſtiche, Privilegiate, e Communi, che annualmente ſi celebrano nella Chieſa Univerſale. Opera dello ſteſſo Pittoni diviſa in due Tomi. Lire 7:-

Noviſſimo Quarto *Decennio* Romano de' *Divini Uffizj*, o ſia, Calendario Romano per dieci Anni, dall' Anno 1733. ſino all' Anno 1742. *incluſivè*, eſpoſto ad utilità di tutte le Dioceſi dallo ſteſſo Pittoni. Lir. 1: 10.

ALTRE OPERETTE

DELLO STESSO PITTONI.

Vita del Venerabile Servo di Dio INNOCENZIO XI. Sommo Pontifice, ed in queſta ſettima impreſſione ſeguita nell' anno 1716. accreſciuta di notizie, con le Grazie operate da ſua Divina Maeſtà per mezzo li AGNUS PAPALI benedetti dal ſopradetto Sommo Potifice, con il ſuo Ritratto al naturale in Rame: ſi vende. L. 1. ſol. 4.

Vita del Sommo Pontifice BENEDETTO XIII. dell' Ordine de' Predicatori, deſcritta dallo ſteſſo Pittoni, con il ſuo Ritratto al naturale in Rame. Lir. 1: 5.

Vita di S. LORENZO GIUSTINIANO Primo Patriarca di Venezia, ſeconda Edizione ſeguita nell' Anno 1716. con il ſuo Ritratto in Rame. ſol. 12.

Vita di S. SABBA Abbate, ſecondo la ſcriſſe il Metafraſte appreſſo il Lipomano, volgarizzata, ed accreſciuta dallo ſteſſo Pittoni, con figura in Rame. ſol. 12.

Lec-

Lettera Affettuoſa ſcritta dallo ſteſſo Pittoni ad iſtanza d'una Innamorata. Sentimenti della Morte a chi vive, con figura in Rame. ſol. 6.

Lettera Morale ſcritta dallo ſteſſo Pittoni ad iſtanza d'un Moribondo: Sentimenti di chi muore a chi ſupravive, con figura in Rame. ſol. 6.

Dedicazioni, o ſiano Sagre delle Venere Chieſe, eſpoſte in perpetuo alla divozione de' Fedeli dallo ſteſſo Pittoni, con un Diſcorſo d' eccitamento a' Criſtiani per intervenirvi, il quale può ſervire a tutte le Dioceſi. ſol. 6.

Riſpoſte Curioſe, che ſi danno ad ogni Queſito in più ſorti di Verſi Italiani, e Latini: faciliſſima Invenzione Numerica del Pittoni, che ſerve per render allegra una Nobile Radunanza, ed eccitarla a conſumare con guſto l'ore più ozioſe del Giorno nell'Eſtivo Trimeſtre, e quelle più tedioſe della Notte nella Stagione Brumale, con figura in Rame. Terza Edizione ſeguita nell'Anno 1739. ſol. 6.

Il Moretto del Pittoni, Narrazione Panegirica delle digniſſime prerogative, che ſi attrovavano in un Cane così nominato, veſtito non ſolo di onorate, e profittevoli Erudizioni, che ponno ſervire a qualche adornamento dell' animo, ma anche di prudentiſſimi, e saniſſimi inſegnamenti, che ponno condurre alla rettitudine de' coſtumi, con 14. Figure. ſol. 16.

Iſtoria della Vita, Azioni, e Guerre crudeliſſime del fiero Re Attila fatte nell' Italia, e ſpecialmente nella Lombardia, cavate da Originali manoſcritti antichiſſimi con due figure in Rame: Terza impreſſione ad iſtanza de' Curioſi. ſol. 12.

619031

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google